

Wiener Stadt-Bibliothek.

96749 C

17

PLANUM TABULARE,

SIVE

DECISIONES CURIALES,

PER

EXCELSAM DEPUTATIONEM

A PIÆ MEMORIÆ IMPERATRICE ET REGINA HUNGARIÆ

DIVA MARIA THERESIA


EATENUS ORDINATAM COLLECTÆ

ET

IN ORDINEM REDACTÆ

ANNO 1769.

NUNC VERO IN USUM ILLORUM, QUI MANUSCRIPTO CARENT, VEL
OCCASIONEM TRANSUMPTUM SUUM CUM ORIGINALI IN CURIA
REGIA ASSERVATO COLLATIONANDI NON HABENT, ADEOQUE
ERRORES VIX AC NE VIX EVITARE POSSUNT,
TYPIS DATÆ.



POSONII,

Sumptibus & Typis Simonis Petri Weber.

1800.

BRITISH MUSEUM

1875

DECISIONS OF THE

1875

EXHIBITION

OF THE

BRITISH MUSEUM

AND



J.N.


139069





A longo jam inde Tempore plurimum Vota eo vergebant, ut Decisiones Excelsæ Curia Regiæ, velut Fons & Principium Juris Hungarici, quibus nullus Juris Consultorum carere potest, tam ad lucrandum in Descriptionem earundem convertendum Tempus, quam & præcavendos Errores illos, qui non obstante omni Solertia per continuam Transumptionem præexistentium Exemplarium irrepere solent, Typis imprimantur. Desiderio huic satisfacere volens, ea cum Præcautione Typis vulgandis Decisionibus se accinxit Editor; quod Manuscripto Operis hujus cum Originali in Excelsa Curia Regia asservato, prius collato; illud nonnisi post obtentas super Conformitate Testimoniales; & additis pro facilitando Usu Lectorum Rubricis & Decisionibus Parenthesi inclusis Numeris, Prelo mandaverit; taliterque confectum Opus jam nunc Usibus Publici dicat

Editor.



LITERÆ DUCIS ALBERTI AD EXCELSAM CURIAM REGIAM

*Reverendissimi, Admodum Reverendi, Spectabiles ac Magnifici,
Magnifici item Nobiles ac Egregii Domini, Amici Co-
lendidissimi!*

Quandoquidem Sua Majestas Sacratissima, mediante Benigno sub 14. Novembris 1768. ad me inviato Rescripto, ad administrationem Justitiæ tanto magis providendam, imo vero ad ipsam Tribunalium directionem, Clementer ordinare dignata est, ut omnes, quæ hactenus intervenerunt, Decisiones, seu Præjudicia Curialia, cum principalibus motivis & rationibus, per specialem eatenus ordinatam Deputationem, Comitem quippe Christophorum Niczky, cum adjunctis Antonio Vöröss & Josepho Kelcz Protonotariis, insimul colligantur, & in certas Rubricas distribuantur; Opus demum per Ipsos confectum per Septemviralem & Regiam Tabulas Judicarias insimul confessuras per partes revideatur, eumque in finem sub ipso etiam Generalium Regni Judiciorum Terminò, Dominicis ac aliis Festis diebus, quibus Sessiones non celebrantur, Negotium id assumatur, & in quantum sub Terminò absolvi nequiret, post finem etiam illius terminetur, ac Relatio demissa submitatur.

Hinc Clementissimam hanc Ordinationem Regiam Tabulæ huic Septemvirali finem in eum significo, quatenus Eadem cum Concurso Tabulæ Regiæ Judicariæ, ubi per præfatum Comitem Niczky eatenus requisita, & Opus Deputationis sub Directione illius elaboratum, sive in parte, sive in toto præsentatum fuerit, Sessionem Mixtam celebrare, illudque pro solido suo administrationis Justitiæ Zelo, in Benignæ hujus & tam salutaris Cæsareo-Regiæ Intentionis effectum, assumere, revidere, & cum suis, si quæ occurrerint, Reflexionibus, repræsentare velint. Queis Prætitulatas Dominationes Vestras ad Vota propria salvas & incolumes vivere exoptans maneo

Prætulatarum Dominationum Vestrarum

Pofonii 26. Januarii 1769.

addictissimus

Albertus m. pr.

LITERÆ CURIÆ REGIÆ AD DUCEM ALBERTUM.

*Serenissime Dux Locumtenens!
Domine Benignissime!*

Opus Collectionis Curialium Decisionum sub Præsidio Comitis Christophori Niczky ex Benigno Suæ Majestatis Jussu continuans Deputatio, quemadmodum sub præfenti Ordinariorum Judiciorum Terminò, primis statim, & successivis Confessus Nostri diebus, Partem laboris sui detulit, ita nos illam per assumptas per Eandem Deputationem in accessu operationis suæ Rubricas, partim ad Continuationem illarum, quæ jam proxime præterito Judiciorum Terminò revisæ, ac per nos Serenitati Vestræ Regiæ humillime submissæ sunt, partim vero, quæ jam ad secundam Operis partem pertinent, Dominicis & Festis diebus, ut jussi sumus, revidimus, & velut ex Curialibus Decisionibus per Eandem Deputationem elaboratam Serenitati Vestræ Regiæ humillime repræsentamus. Qui Benignitati & altis Serenitatis Vestræ Regiæ Gratiis commendati perenni Venerationis Cultu perseveramus

Serenitatis Vestræ Regiæ

Pesthini, Die 21. Mensis Octobris,
Anno 1769.

humillimi Capellani & Servi
Curia Regia.

P L A N U M,
feu Modus operandi, qui in colligendis Decisionibus
Curialibus per Deputationem est assumptus.

*Anno Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Nono, Die Vigesima Quarta Februarii,
Quem in finem Sessio prima Excelsæ Curiae in corpore sub Præsidio Excellen-
tissimi Domini Comitis Emerici a Battyán celebrata fuit.*

Nihil altius, firmissimè animo nostro infedit, quam ut Benigne nobis deman-
datae provinciae partes plene explere possimus; eapropter principio statim eo cu-
ras nostras convertimus, mutisque de eo egimus Consiliis, qua ratione Operis
hujus tractationem ingredi debeamus.

Duo nobis Clementer præcipiuntur. 1.) Ut omnes, quæ hactenus inter-
venerunt, Decisiones, seu Præjudicia Curialia, cum principalibus motivis, &
rationibus colligamus. 2.) Ut illas in certas Rubricas distribuamus.

Quod primum adinet: Decisionum, seu Præjudiciorum nomine assumpsi-
mus, Sententias in Curia Regia latas; nec enim Præjudicia in stricto & rigoroso
sensu sumpta pro Objecto Operis Nostri Benigne designata esse arbitramur; cum
illorum, & in hoc sensu acceptorum Præjudiciorum Collectio jam peracta, &
etiam Suæ Majestati Sacratissimæ submissa sit. Et quia pro natura & Indole Cau-
sarum, quædam Sententiæ ejusmodi essent, quæ pure ad Judicatum Inclytæ Ta-
bulæ Regiæ pertinent, neque via Appellationis ad Excelsam Tabulam Septem-
Viralem deduci possunt, ut sunt Sententiæ, quæ Condescensionem involvunt;
quæ si quidem Curialis Praxis partem efficiant, & alioquin Sua Majestas Sa-
cratissima illo fine (uti Benignum Mandatum continet), Collectionem hanc Be-
nigne ordinare dignata est, ut Tribunalium directioni deservire possit; existima-
vimus Benigne nobis demandatæ provinciae haud nos plene satisfacturos, si
ejusmodi Sententiarum Collectionem prætermitteremus.

Observavimus præterea, cum Processus scrutaremur, quod multæ ejusmodi
Sententiæ sint, quæ licet apertis Legum verbis non contineantur, attamen ex
illarum Combinatione & Sensu proximo, faciliq; labore, deduci possent, ut
nonnihil hæreamus, an tamquam res legibus definitæ in hoc Opus induci de-
beant; quia attamenprehendimus, quod Partes in Processu non modo pluri-
bus verbis pro & contra disceptarunt; sed etiam Pedanei Judices quandoque in
diversas Sententias, propter certas facti circumstantias, abiverunt; ideo, cum
hoc Opus pro directione Tribunalium ex Benigno Mandato destinetur, & hæc
sine ulteriori Cunctatione collegimus.

Quod alteram partem attinet, videlicet Decisionum in certas Rubricas di-
stributionem, hanc invenimus rationem:

Omne hoc Opus in duas Generales dividitur Partes.

Pars Prima ea complectitur, quæ ad ipsam decursus Processualis Metho-
dum formamque pertinet, & Ordinis Processualis Compagem efficiunt.

Pars Altera diversarum Actionum, quas Leges Regni tribuunt, Species
continet, sub quibus omnes materias judicarias, quasi in nativa sua sede loca-
tas, maxime methodica ratione, nos pertractare posse censebamus. Hæc Pars
iterum in quinque Sectiones dividitur.

1-ma est de Actionibus ad Tabulam Regiam.

2-da de Actionibus ad Tabulam Districtualem.

3-tia de Actionibus ad Forum Comitatense.

4-ta de Actionibus ad Liberas Regiasque Civitates.

5-ta de Actionibus ad Sedes Dominales pertinentibus.

Et quia Opus hoc & nos ipsi per partes elaboramus, & per Excelsam Curiam Regiam ita revidendum Benigne ordinatur, jam vero poterunt adhuc & plures, excussa Archivi nostri mole, reperiri Decisiones, quæ sub has, quas nunc humillime exhibemus, Rubricas pertinent; ideo casu in eo, nova accessione eadem materias augere non prætermitemus; quæ nos ideo declaranda esse putavimus, quo ita in limine statim, in Obsequium accepti Benigni Mandati, toto animo directæ nostræ Operationis Systema constare possit, ut si quid a nobis prætermisum esset, id in tempore suppleri possit, Opusque nostrum cum fructu locare continuareque possimus.

Comes Christophorus Niczky de Eadem. m. p.

Mag. Antonius Vöröss, Excelsi Officii Judicatus Curiae Regiæ Protonotarius. m. pr.

Mag. Josephus Kelcz, Officii Personalis Præf. Reg. in Judiciis Locumtenentis Protonotarius. m. pr.

Conspectus Operis.

Primo: Opus hoc in duas dividitur Partes:

Pars Prima ea complectitur, quæ ad pertractandam Causarum Methodum & formam pertinent, ipsamque Processualis Ordinis rationem ac Compagem efficiunt.

Pars Secunda diversarum Actionum, quas Leges Regni tribuunt, species continet, sub quibus Rubricis omnes materias Judiciarias, quasi in nativa sua sede locatas, maxime methodica ratione, pertractari posse, arbitrati sumus.

2.) Quamvis in Benigno Mandato Regio id præcipiatur, ut Curiales Decisiones, seu Præjudicia colligamus; quia tamen pro natura & indole Causarum complures ejusmodi Sententiæ essent, quæ in Judicatu Tabulæ Regiæ ex publica Legum dispositione conquiescerent, neque via Appellationis ad Excelsam Curiam Septem-Viralem deduci consueverunt, uti essent, quæ Condescensionem Judicatus, Instituti, Actionis, Actoratus, &c. involvunt; ideo ad hoc Opus, juxta Benignum Mandatum, pro directione Tribunalium etiam his inferimus.

3.) Ubi in eadem Causa Tabula Septem-Viralis in diversam a Tabula Regia abit Sententiam, Tabulæ Septem-Viralis, qua Supremi Fori Sententiam assumpsimus; cum ejus Sententia in rem judicatam transiverit, & in illius Opinione subversantis Quæstionis decisione ipsa conquiescat, adeoque hæc pro Decisione haberi debet.

4.) Ut autem pateat, in qua Sententia convenerit utraque Tabula, vel minus, distinximus id per subnexa Verba, utpote: *Tabula Septem-Viralis*, vel *Utraque*.

5.) Collegimus tamen etiam eas Tabulæ Regiæ Sententias, quibus Tabula Septem-Viralis suo Judicio non accessit, atque illas in pleno Tabulæ Utriusque Confessu exhibuimus; quæ postquam revisæ sunt, in pluribus repertum fuit, quod differentiæ inter utriusque Tabulæ Sententias, non quoad assumptas & in hoc Opere deductas Juris Quæstiones intercesserint; sed tantum quoad alia peculiariora & specifica Processus accessoria variatio facta sit, differentiæque illa potius quæstionem facti, quam Juris involverit; ideo annuente & ordinante Curia Regia, Decisiones tales pro Decisionibus utriusque Tabulæ introductæ, ac his verbis: *in hac quæstione Juris Utraque Tabula designatæ*.

6.) Sententias autem, ubi Septem-Viralis a Regia in quæstione aut principio Juris dissentiret, separatim & in distinctum Volumen describi fecimus; quo ita nihil, quod ad integritatem illius pertinet, a nobis prætermitteretur, humillime illas quoque adnectimus.

7.) Ru-

7.) Rubricas, materiasque, quæ in hoc Opere pertractantur, in Conspectum sequenti Ordine posuimus. Et quidem

P A R S P R I M A.

	Pag.
I. De Admonitione.	1
II. De Citatione & Exhibitione.	1
III. De Levata, Comparitione, & Contumacia.	3
IV. De Actione & Compromisso.	6
V. De Extraferialitate.	9
VI. De Judicatus Quæstione.	12
VII. De Instituto.	15
VIII. De Actoratu Reali.	19
IX. De Actoratu Personali, seu Activitate.	21
X. De Genealogia.	21
XI. De Plenipotentiaro, & Fratrem natu majore.	23
XII. De Ingestionem & Ingerente.	24
XIII. De Evictione & Evictione.	27
XIV. De Depositione.	28
XV. De Revocatione Procuratoris.	28
XVI. De Litis pendentia.	28
XVII. De Prohibita.	29
XVIII. De Fide Instrumentorum.	30
XIX. De Juramentis & Testibus.	31
XX. De Præscriptione.	31
XXI. De pœnis sub decursu Processus dictari solitis. Et quidem :	
A.) De Calumnia.	35
B.) De Violatione Sedis Judiciariæ.	36
C.) De Infamia.	36
D.) De Emenda Kingvæ	37
E.) De pœna Silentii.	37
F.) De pœna temere Appellantis.	37
XXII. De Expensis Litis.	38
XXIII. De Appellata.	39
XXIV. De Executione & Re-executione.	44
XXV. De Æstimatione.	44
XXVI. De Oppositione.	46
XXVII. De Repulsionem.	49
XXVIII. De Novo simplici & cum Gratia.	51

P A R S S E C U N D A.

S E C T I O I.

De Actionibus ad Tabulam Regiam pertinentibus.

I. De Actionibus Fiscii Regii.	55
II. Processus ex Jure Radicali.	60
III. Ad dandam & recipiendam Contradictionis rationem.	66
IV. Ex Æqualitate vel Inæqualitate Juris.	79
V. Metallis ex Privilegio.	83
VI. Decimalis ex Privilegio.	83
VII. Ad Excisionem Quartalitii.	84
VIII. Ad Invalidationem Fassionum ex præjudicio.	85
IX. De Fassionibus ex neglecta Præmonitione.	93
X. Ad Invalidationem Contractuum, Obligatoriarum, & Quietantiarum.	97
XI. Ad Invalidationem Transactionum.	98
XII. Ad Invalidationem Testamentorum.	102
XIII. Ad Invalidationem Cambii.	104
XIV. Ad Invalidationem Conditionum Pignoratitiarum.	105
XV. Ad Invalidationem Facti Magistratus.	108
XVI. Ad Transumpta Literarum.	109
XVII. Ad Relutionem Pignorum in diversis Comitatus existentium.	110
XVIII. Novæ Divisionis.	119
XIX. Ad obtinendam Successionem coram Tabula Regia.	124
XX. Ad Actum majoris potentia.	125
XXI. Ad pœnam Larvæ.	129

	Pag.
XXII. Ob non obtemperacionem Judiciariis Mandatis.	130
XXIII. Ad dandam rationem Oppositionis & Reoccupationis.	130
XXIV. Ad renovationem Sententiarum Curialium.	134
XXV. Ad Correctionem Executionis.	135
XXVI. Ad Sublationem beneficiorum Curialium.	135

S E C T I O II.

De Actionibus ad Tabulas Districtuales pertinentibus.

I. Divisionis, Successionis, Rectificationis in uno, vel pluribus Comitatus.	136
II. Ad Implementum Contractuum.	150
III. Ex puritate Statutionis.	152
IV. Ad revindicationem Bonorum contra Contradictionem Statutioni oppositam occupatorum.	153
V. Liquidorum Debitorum.	154
VI. Ad acquisitionem Mobilium, Allaturæ, Dotum & Paraphernorum.	161
VII. Ad acquisitionem Contradotis.	166
VIII. Ad exigendas Rationes Tutelares.	166
IX. Processus ad Redintegrationem.	169
X. Processus Computuales.	170

S E C T I O III.

De Actionibus ad Forum Comitatenſe spectantibus.

I. Ad pœnam Violentiæ.	170
II. Marcales.	179
III. Causæ succissionis Sylvarum.	181
IV. Causæ ad acquisitionem Damnorum.	182
V. Repetitionis fugitivorum Colonorum.	183
VI. Repetitionis Literarum.	183
VII. Ad pœnam Dehonestationis.	185
VIII. Ad desummendas Marcas propter denegatam Testificationem.	185
IX. Ad pœnam Art. 19. Uladislai Regis Decreti 4. propter occupationem Bonorum contra oppositionem attentatam.	186
X. Ad desumptionem Vinculi.	186
XI. Ad pœnam Infamiæ ex confectione falsæ Literæ.	187
XII. Ob involationem in Jurisdictionem Magistratualem.	187
XIII. Causæ Magistratuales contra Dominos Terrestres ex Sævitiæ.	188
XIV. Ad Cassationem citra Privilegium exercitiæ exactionis Telonialis.	188
XV. Ad demolitionem Molendinorum & Aggerum.	189
XVI. Ad Proportionem Usus.	190
XVII. Repositionales.	192
XVIII. Ad acquisitionem Bonorum ex Incapacitate Possessorii.	193
XIX. Metalis ex Usu.	194
XX. Decimales ex Usu.	196
XXI. Pignorum in Comitatus.	199
XXII. Ad Cassationem Educilli.	202
XXIII. Ad dandas gesti Officii Rationes.	203
XXIV. Ad Exæstimationem Fundorum.	203
XXV. Ad Executionem Sententiæ Sacræ Sedis.	203

S E C T I O IV. Civitatum.

S E C T I O V. Sedium Dominalium.

NB. Rubricæ harum duarum Sectionum reperiuntur passim & sparsim in prioribus Sectionibus.

Decisiones Curiales, quæ sibi invicem contrariari videntur.	204
Sententiæ inter Tabulam Septem-Viralem & Regiam in Quæstione, ac Principiis Juris differentes.	206
Sententiæ, quæ tantum in facto differunt, & in quibus Utraque Tabula in quæstionibus Juris coaluit.	217



(P A R S P R I M A .)

(I .)

D e A d m o n i t i o n e .

(D E C I S I O I .)

Licet Admonitio cum integrali Summa peragatur, si tamen comprobetur Summam illam præ manibus Judiciariis realiter, & effective non existisse, Actio in Admonitione fundata condescensionem obnoxiat; talis enim Admonitio menti Legis non respondet, & merito elusoria esse censetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Cum omnes legales, & justæ Literarum condiciones observari debeant, ideo si aliqua ejusmodi in Pignoratitiis apposita conditio per admoneri curantem non observaretur, & Pignoratitius hanc non remissionis adferat causam pro sufficienti reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Licet Donatarius, qui ejusmodi Bona sibi a Regia Majestate collata habet, quæ per Cameralem Contractum erga subsequendam ratificationem, vel obtinendam Donationem Regiam alteri prævie data sunt, Possessorem cum integrali Summa admoneri curet, ob intermissam tamen inhærentis oneris levationem, & neglectam Boni remissionem in amissione Summæ convinci non solet; quia Titt. 24. 2^{dæ} illos duntaxat, qui Bona Pignoris titulo, & sub conditione futuræ restitutionis ad se receperunt, tamquam contra pacta, & assumptam obligationem agentes, in amissione Summæ convincendos statuit, ejusmodi vero Contractus Camerales quantum ad rem ipsam perennalitatem involvunt, sed tantum ex defectu solennitatis extrinsecæ in forma Pignoris considerantur, adeoque illi inhærens, pro foenatore, de quo Legis præcitata dispositio loquitur, reputari nequit. *Utraque Tabula.*

(II .)

D e C i t a t i o n e , & E x h i b i t i o n e .

(Dec. 1.) Si Actor Lite jam contestata, moriatur, & prosecutio Causæ in Proles, aut Viduam ejusdem condescendat, illæ absque

que nova Partium I. Citatione talismodi Litem prosequi, & continuare possunt; nam immediate Personam defuncti repræsentant, adeoque naturali quodam ordine Lis illa in ipsos transmissa, & transderivata intelligitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Evocatio medio unius Jurassoris facta non tenet, si enim juxta Articulum 30. 1723. Citatio ad Tabulam Districtualem taliter facta, non valet, quanto minus Evocatio ad Tabulam Regiam, utpote Eminens Forum, valere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Evocatio medio duorum Nobilium non Jurassorum facta pariter locum non obtinet; quia Articulus 30. 1723. ideo requirit, ut Citationes, & Evocationes per Juratos Tabulæ, vel Judicem Nobilium, aut duos Jurassores fiant, ut ita de illius legitime facta exhibitione legales Testimoniales in Jure sufficientem probam præstaturas, extradere valeant; jam vero Nobilium extra Magistratuale officium constitutorum Testimoniales Litteræ probandi vim non obtinent, igitur de legali Citationis exhibitione sufficientem fidem Judici facere non possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Cum Citationes per Jurisdictionatos fieri soleant, ideo per Fiscalem Procuratorem, aut alio consimili honorario tantum nomine obstrictum factæ non tenent, ejusmodi enim Personæ ideo, quod Salarium, & conventionem habeant, jurisdictioni ejus, cui nobilem tantum locarunt operam, subjecti esse non censentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Licet juxta Titulum 33. 1^{mæ} vigor Evocatoriarum tantum 60. diebus duret, si attamen intra 60. dies Jurato Tabulæ Regiæ, vel Judici Nobilium pro exhibitione præsententur, etiam si post 60. dies a dato emanationis computandos, dummodo tamen intra 60. dies post talismodi præsentationem Incatto exhibeantur, non expirant, quia vigor illarum per præsentationem Jurato, vel Judici Nobilium factam sustentatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Si Incattus Bona, quorum intuitu jure conventus fuit, pendente Lite ante tamen factam adjudicationem in alterum transferat, idipsumque in Processu insinuet, tenetur Actor Actualem Possessorem citare, tametsi enim Titt. 27. 1^{mæ} cautum sit, ne sub Lite quidpiam innovetur, subsequens attamen Titt. 60. 1^{mæ} per expressum statuit, quod Possessores Bonorum adeo restringi non debeant, quin justis suis juribus libere uti, ac frui, eademque ex causis rationabilibus etiam divendere possint, præterea cardinalis Nobilium prærogativa hoc exigit, ut nemo nisi legitime citatus, & Juris ordine convictus in Persona, vel rebus suis damnificari possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Licet aliquis jam ut Evictor stet in Processu, si tamen Evincendus eidem Bonum Actionale sub Lite resignet, tunc Actor tenetur illum qua Actualem Possessorem de novo ad Litem evocare, quia per remissionem Bonorum mutatae sunt circumstantiæ Processuales, & ex Evictore factus est Possessor, per consequens nisi in tali qualitate citetur, ad Actionem respondere non obligatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.)

(Dec. 8.) Quamvis in Testimonialibus super Citationem, vel exhibitionem Certificatarum per Juratos Tabulæ, vel Judices Comitatus expeditis declaretur in genere: Citationem, vel exhibitionem medio jurisdictioni eorumdem subjectorum, qui citandi erant, peractam fuisse, nisi tamen in specifico Nomina Jurisdictionatorum medio quorum peracta est, iisdem inserta sint, citatio condescendit, Titulus enim 24. 2^{dæ} ideo præscribit, ut citationes medio Jurisdictionatorum fiant, quatenus illegitime, vel minus facta exhibitio cognosci queat, jam vero si Nomina eorum ex Testimonialibus exmitterentur, nec Judex num dispositioni Legis satisfactum sit, sufficienter cognoscere, nec Incattus in contrarium, quod is, medio cujus citatio facta exponitur jurisdictionatus ejus non fit remonstrare posset. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si in Una Possessione plures sint Compossessores, & unus illorum medio Judicis Pagensis, vel Decurionis, qui tamen alterius Compossessoris Colonus est, citetur, talis citatio condescendere solet, quia citatio debet fieri medio Familiarium, & Jurisdictionatorum, Judex autem, vel Decurio loci tametsi quoad communia, & publica negotia pro tota Communitate constitutus sit, nihilominus in privatis nullius præter Domini sui Terrestris jurisdictioni subest. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Quamvis in Testimonialibus super citationem non exprimitur ad cujus instantiam citatio facta sit, propterea tamen citatio non condescendit, quia per Actionis citatoris inclusum omne eatenus dubium tollit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si in loco quopiam per plures Dominos Terrestris possessio ex commissione omnium Compossessorum tota Communitas violentiam patret, interim Actor tantum contra duorum, vel trium Dominorum Terrestrium subditos impensionem petat, reliquos vero exmittat, quin imo medio unius ex illis eo quod Persona Magistratualis sit, Jure conventos citari faciat, licet subditi illius ex Actione exmissi sint, tamen citatio medio ipsius facta condescendit, quia eo ipso quod una cum reliquis Compossessoribus ad commissionem concurrerit, jam se ab illis separare nequit, adeoque velut in facto Actionali interessatus, Citationem valide peragere non potuit. *Tabula Regia.*

(III.)

De Levata, Comparitione, & Contumacia.

(Dec. 1.) Tametsi in aliis Tribunalibus Causa ipsa die præfixi Termini levata debeat, nihilominus in Tabula Regia potest etiam tertia post præfixum Terminum die Causa levata, & non nisi evoluto triduo, si Actor Causam non levet, potest Incattus ex paribus absolutionem petere, e converso etiam Incattus potest comparitionem suam usque ad tertium diem differre. *Praxis.*

(Dec. 2.) Contumaciæ Sententia illa die ferenda, & pronuncianda est in Foris pedaneis, pro qua Incattus citatus est, si enim sequentibus feratur, vel pronuncietur Sententia licite Pars I. se opponit, quia per intermissam prima die Partis I. comparitionem

4 III. DE LEVATA, COMPARITIONE, ET CONTUMACIA.

Terminus evanuisse censetur, adeoque subsequens factum Judicis illegale evadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Contumaciæ poenam ex non venientia latam evitare volenti, nisi ad comparandum in Persona citatus fuisset, non sufficit demonstrare, quod legitime impeditus, pro Termine comparere non potuerit, verum præterea probare debet, quod omnis Procuratorem constituendi potestas ei erepta fuerit, cum enim per Procuratorem comparere potuisset, propriæ Personæ impedimentum pro sufficienti intermissæ comparitionis ratione haberi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Dum quispiam ad personaliter comparandum citatur, non requiritur, ut statim occasione primæ comparitionis semet personaliter Judicio sistat, verum sufficit, si medio Advocati semet pro taliter comparante declaret, ac una offerat, quod necessitate exigente, semet personaliter in Judicio sistere velit, quia sensu etiam Articuli 32. 1723. per similem bonæ fidei declarationem, omnem contumaciæ suspicionem a se removet. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si Incatto in Processu Tabulari intra triduum non comparente, Actor convictionem ex contumacia petat, interim convictio quacunque tandem ex ratione statim non feratur, & Incattus quarta, vel quinta die convictione nondum lata, comparitionem adornet, etiam si sufficientem hactenus intermissæ comparitionis rationem non assignet, tamen comparitio illius acceptatur, quia ex Lege tantum illi tenentur legalem intermissæ comparitionis rationem reddere, qui jam ex contumacia convicti sunt, & intra quindenam post convictionem comparent, non vero tales, qui convictionem præoccuparunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Si Processus per Actorem coram Tabula Regia quarta post Terminum Judicialiter præfixum die levetur, licet Actor moræ suæ causam assignare velit, tamen ejusmodi Levata condescendit, quia Articulus 32. 1723. unice Incattis beneficium illud tribuit, ut si legalem moræ suæ rationem assignaverint, intra quindenam comparere possint, & hoc ideo, quod hi se ad defendendum parare debeant, tempore præterea egeant, ut de Advocato, & aliis requisitis prospicere possint, Actor vero præterquam quod semper paratus esse debeat, jam ea occasione, dum Actionem concinnari, & expediri fecit, de necessariis ad Litem adeoque instituendam etiam debito tempore Levatam sufficienter prospicere potuit, quod si negligat, merito moram neglectus sustinere debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Comparitio in Causis coram Tabula Regia promoveri solitis etiam post triduum sine onere refusionis expensarum moræ ita admittitur, si illa ante ferendam super Contumacia Sententiam fiat, & ratio intermissæ intra triduum comparitionis reflexe ad Titulum 59. 2^{dæ} assignetur, quo etiam referri solet, si Procuratoriæ Literæ debito tempore ordinario Cursori per Principalem consignatæ fato, vel ob defectum ordinarii Cursoris solito serius delatæ fuerint, taliter enim nec in Principalem contemptus Judicii, nec in Advocatum negligentiae culpa cadere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.)

(Dec. 8.) Pater respectu Jurium per se aquisitionum, qua etiam Tutor, & Curator prolium suarum in Litem vocatus, esto Revisionales super ætate prolium occasione comparitionis exhibere nequeat, vel etiam qua talis comparitionem adornare negligat, nec tamen sive is ob defectum Revisionalium, neque vero proles ejus convinci possunt, quia comparitione Patris Acquisitionis prolium quoque sperativa Jura sustentantur; Revisionales præterea dumtaxat tunc exhiberi per Patrem debent, quando Lis respectu Bonorum proles ejus Materno, aut alio privato jure concernentium, intentatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) In pœna, & onere non venientiae convictus, si subsequente intra quindecim dies compareat, rationemque non Venientiae assignet, quamvis in expensis moræ Actori causatis convinci soleat, Causam tamen continuare, sequere in merito defendere, ante effectivam oneris persolutionem potest, Actorque cum decreta eatenus Executione præstolari usque finalem Litis Terminum debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si in Processibus Tabularibus Actor intra triduum a die Terminii præfixi computando, Causam non levet, Incattus vero post evolutum triduum eandem ex paribus contra Actorem levando semet absolvi, illum vero in Judicio Regali convinci faciat, in hoc casu Actori taliter convicto competit beneficium comparitionis intra quindenam adornandæ, ita quidem, ut si interea comparuerit, & legalem intermissæ comparitionis rationem assignaverit, ab onere Judicii Regalis absolvi debeat, & Causam suam prosequi possit, quodsi nihilominus nec intra quindenam comparuerit, eotum etiam in expensis convinci solet, quia in præmissis circumstantiis ex Actore fit Incattus, per consequens quemadmodum Universa beneficia Incattis ex Lege, & praxi competentia eidem suffragantur, ita etiam onera iisdem incumbentia supportare tenetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Etiam si Actor processum serotine levet, si nihilominus Incattus tam occasione talismodi Levatæ, quam vero occasione subsequarum reassumptarum sponte compareat, tunc amplius contra serotine factam Levatam excipere non potest, quia per iteratas spontaneas comparitiones a præmissa difficultate recessisse censetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Quando Levata cum Actione non cohæret, tunc Causa condescendere solet; quia Actio est fundamentum Processus, per consequens omnia Acta Processualia cum eadem cohærere debent. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Licet Incattus in Causa longæ Litis, seu plures Terminos recipiente, ex Contumacia convictus, & intra quindenam comparens, sufficientem intermissæ comparitionis rationem non assignet, eo tamen non obstante indultu Articuli 38. 1729. erga refusionem expensarum moræ eidem ulterior deffensa admittitur, si nihilominus deffensam suam in continenti non prosequatur, convincitur in totali acquisitione Actorea, & Executio contra illum decernitur; quia beneficiis Causantibus per Leges concessis, in protractionem Causæ abuti non convenit. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Si Actore Causam coram Tabula Regia intra triduum non levante, Incattus eandem primo post longius tempus ex paribus levet; talis Levata rejici solet, cum enim juxta Praxim Curialem Actori pro levanda Causa triduum suffragetur, idcirco si Incattus Actorem ex paribus vult proclamari facere, tunc debet Causam statim post evolutum triduum levare. *Tabula Regia.*

(IV.)

De Actione, & Compromisso.

(Dec. 1.) Si tota Communitas Violentiam patret, & Actor totam Communitatem, verum dumtaxat unum, vel alterum ex tali Communitate Actione quærulosa conveniat, talis Actio condescendit, eo ipso enim quod Articulus 42. 1729. in casu illo, quo violentia per totam Communitatem patratur, eandem nomine colectivo in una dumtaxat pœnalitate convincendam innuat, jam tota Communitas citari & audiri debet, quia unus pro altero nec respondere, eo minus convinci potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si in Compromisso a Sententia per Arbitrativum Judicium ferenda appellandi facultas reservata sit, licet de aliis Juridicis Remediis in eodem Compromisso mentio nulla fiat, usus tamen omnium Juridicorum remediorum in salvo manet, præterquam enim quod ejusmodi remedia expresse præscissa non sint eo ipso, quod appellata reservata sit, censentur Partes circa reliqua remedia in ordinaria Legis dispositione persistere voluisse. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quis ex jure procedat ad acquisitionem talium Bonorum, quæ Antenati sui impetrarunt, sed possessorium illorum quacunque tandem ex ratione adire non poterant, & Actionem eatenus suscitatum etiam in successione, & Legibus eatenus conditis, fundet, talis Actio condescendere solet, tum quod prætentio Successionalis, tamquam ad distinctum Forum, & Institutum pertinens, cum Processu Juris confundi non possit, tum vero quod successio non nisi ex præhabito Antenatorum usu, ac possessorio enascatur, & in Successores redundet. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Dum Partes in Tabulam Regiam ita compromittunt, ut Sententia per eandem ferenda illico, & absque ullo impedimento executioni mancipari debeat, tunc Parti succumbenti nec Prohibitæ beneficium competit, quia sub generalitate sublationis omnium impedimentorum, Partes etiam prohibitam velut æque Executionem impediendam sibi præscidisse censentur. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Tametsi regulariter cumulatae Actiones non admittantur, stat tamen Actio talis, quæ principaliter ex jure, vel etiam ad dandam Contradictionis rationem, accessorialiter vero ad removenda quævis obstacula dirigitur, quia casu in præmissis non assumuntur pro principali objecto duo distincti Tituli, sed unus principaliter, alter vero solum accessorialiter, & alioquin præattactæ materiæ non sunt ad invicem incompatibiles, quin imo una alteri subservit, adeoque nihil obstat quominus pro acceleranda quo-

quoque iustitia, & compendiandis Litibus in unam Actionem deduci possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si Compromissum ita stilifetur, ut Partes decisione Judicis illius, in quem compromiserunt, perpetuo contentæ esse debeant, tunc Parti succumbenti nec Novum Judicium conceditur; quia præmissa clausula omnia Juridica Remedia excludit, ubi autem Partes in Compromisso sibi universa Juridica Remedia præscindunt, ibi sensu Articuli 31. 1662. neque Novum suffragatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Quando Partes in aliquem Judicem taliter compromittunt, ut Pars Judicio illius non contenta, Causam per solitos appellationum gradus ad Curiam Regiam deducere possit, ita tamen, ut quidquid ibi decisum fuerit, statim absque ullo impedimento executioni mancipetur, salvo dumtaxat Parti succumbenti extra Dominium Novo, subsequenter vero occasione tentatæ executionis succumbens se opponat, tunc Causa Oppositionalis coram Tabula Regia suscitari debet, cum enim Compromissum principaliter illud pro objecto habeat, ne executio Sententiæ Curialis quoquo pacto impediri possit, hinc oppositio eatenus interposita directe in contemptum auctoritatis Curiae Regiæ vergit, per consequens coram illa vindicari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Actor triumphans in Causa tali, quam supponit esse brevis Litis, Incattum repellentem ad dandam Oppositionis rationem citet, deinde vero Incattus in Processu evincat, quod Causa illa omnino sit longæ Litis, per consequens Repulsionem recipiat, rationeque ex prævia Actionem tamquam ad reddendam oppositionis rationem institutam condescendi petat, tunc non solet condescensio Actionis pronunciari, verum Incattus eodem processu ad dandam Repulsionis rationem inviatur, cum enim planum non fuerit utrum factum turbatæ Executionis in forma Oppositionis, vel Repulsionis considerari debeat, & quæstio hæc primo per Judicium decidi debuerit, idcirco eadem semel decisa supervacaneum foret Actorem cum dispendio temporis, & expensarum ad distinctum Institutum relegare, taliterque Processus multiplicare. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Actio, quæ coram Inclyta Tabula Regia ad liquidationem Summæ Bonis investitæ, & una non solum ad conditionum, sed & perennalium super iisdem Bonis celebratarum Fassionum invalidationem, competentiumque Portionum excisionem, & sequestrationem contra eundem Incattum, & respectu ejusdem Boni instituitur, condescendere solet, quia confusas, & diversas species involvit, & ita plures principales species Actionis natura sua diversas pro objecto habet, quæ confundi nequeunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si tamen eadem Actione respectu plurium Possessionum, vel Prædiorum contra diversos Incattos partim ad invalidationem Fassionum, partim vero ad reuisionem Pignorum, & una si Pignoratitiis Portionibus perennales nefors Fassiones superinductæ essent, ad earum invalidationem agatur, Actioque talis allegative contra quemlibet Incattum in specifi-

fico ad Pignoratitiam, vel Invalidatoriam reducatur, tunc Actio condescensio obnoxia non est, eo ipso enim quod pro ratione distinctorum Possessorum diversa jura representantium Actio præerecta est, jam amplius respectu unius, ejusdemque Incatti diversa species assumpta esse dici nequit. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Si in Actione specificè assumatur Fasio exempli gratia Pauli pro invalidatione, & in contrarium Incattus remonstret, quod portionem in Bonis iisdem non penes Fasionem Pauli, sed Joannis, esto ex eadem Familia descendens, in se translata habeat, Actor vero probare in specifico nequeat Fasionem per Paulum Incatto celebratam fuisse, tunc Actio illa velut Fasioni difformis condescendere solet, nec Actionem salvat, quod Joannes Fasionem Incatto celebrans, juris communionem cum Paulo habuerit, quodve Fasio Joannis Portionem in Possessione illa, quæ in Actione specificatur, pro objecto habeat, quia Actio ad Portionem, & Fasionem Pauli restricta extendi nequit ad Portiones, & Faciones aliorum Actioni haud inclusas. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Si quis in Actione Genealogiam suam deducat, ac subsequè sub Processus decursu in uno, alterove gradu distincti nominis Antenatos substituere, & ita acquisitionem ab iisdem promanantem sibi applicare vellet, tunc Actio ejus condescendit, cum ex difformitate inter Actionem, & producta, quibus prætensionem suam legitimare intendit, error substantialis eveniat. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Si Dominus Terrestris ratione damnorum, vel injuriarum alteri illatarum, ita in Jus vocetur, ut etiam jurisdictionatos ex commissione sua actui implicitos, Juri statuatur, tunc Domino Terrestris absoluto, ipso facto cessat Actio etiam contra Juristatuendos, quia illi dumtaxat accessorialiter Processum ingrediuntur, accessorium vero sequitur suum principale. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Si Magistratus in Causa Civili procedens, causantem ideo, quod Sententiæ parere nolit, ad Arrestum ponat, vel vero Vice Comes penes Mandatum Regium, & exmissionem Comitatus quempiam incarcerari curet, & propterea contra illos Actio ad Actum Majoris-potentiae erigatur, similis Actio non subsistit, quia prior actus procescit ex facto Judiciario, posterior vero ex incumbencia Officii publici, tales autem non cadunt sub dispositionem Legum de pœna Majoris-potentiae sancitarum. *Tabula Regia.*

(Dec. 15.) Actio contra Fiscalem Procuratorem ex Officiolatu ad Actum Majoris-potentiae erecta condescendere solet, tum quod Legibus de Actibus Majoris-potentiae conditis, non sit applicabilis, tum vero quod executio deberet fieri ex Bonis Domini, hoc autem quoad pœnam Actus Majoris-potentiae esset inapplicabile. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) Actio pure Personalis Actore ante contestatam Litem obeunte, evanescit, talis enim Actio personæ Actoris ita adhæret, ut una cum illa extinguatur. *Tabula Regia.*

(V.)

De Extraferialitate.

(Dec. 1.) Quamvis Leges ad probandam paupertatem in specie Comitatus Testimoniales requirerent, tamen, & Civici Magistratus, Districtus item Jazigum, & Cumanorum si Actor in gremio illorum resideat, nullasque facultates extra Territorium habeat, validæ sunt, quia nullinde certius, quam ab iis in quorum medio degit, de egeno Statu habere potest testimonium. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Testimonium paupertatis per Comitatum, in quo Actor non residet, non est sufficiens ad obtinendam Extraferialitatem, illi enim in quorum gremio non residet, debitum de statu ejus testimonium perhibere neutiquam possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Etiam si Actor paupertatem suam doceat, si nihilominus alios Co-actores tales habeat, de quorum paupertate non constat, Actori beneficium extraferialitatis non conceditur, quia beneficium extraferialitatis, quod ex Lege solis pauperibus competit, non potest communicari cum illis, qui mediis provisum sunt, neque obstat, quod pauper propter Co-actores juribus suis tantisper frustrari debeat, quia culpa illius accidit, quod Coactores mediis provisos, in societatem adsciverit. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Licet utraque Pars in extraferialem Causæ cursum consentiat, si tamen natura serialis sit, ad ordinariam seriem reponi debet, quod enim beneficium Processui ex Lege, vel Praxi non competit, illud Partes facto proprio cum remora, & præjudicio aliorum Causantium sibi apropiare nequeunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Esto Causæ ad invalidationem conditionum Contractualium suscitatae, extraferialitatis beneficio non gaudeant, si tamen ad invalidationem conditionis certum Annorum Numerum continentis, Actio erecta sit, & restantes Anni prius evolverentur, quam Causa ordinariam seriem attingeret, ex hoc incidenti extraferialitas admittitur; secus enim in hac circumstantia Actio sponte evanesceret, adeoque Pars A. nullum ex Lege ad invalidationem conditionum Actionem tribuente, beneficium capere posset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Liti ad Actum Majoris potentiae ex verberatione, vel læsione institutæ extraferialis decursus admittitur, injuriam namque personalem pro objecto habet, jam vero Actiones Personales cum morte expirant, neque in Successores transeunt, igitur ne forte per mortem alterutrius Partis tam gravem Nobilitaris prærogativæ læsionem Jure vindicandi potestas elabatur, ejusmodi casus sub sensum Articuli 43. 1729. qui extraferialitatem ex graviore incidenti admittit, merito referri potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Testimoniales Comitatus de paupertate in publica notitia fundatæ, prouti etiam cum hac declaratione expeditæ: testamur eum vere pauperem, & ad prosecutionem Causarum suarum insufficientem esse: non solent acceptari, quia cum præmissa generalitate extradatæ Testimoniales non præbent sufficientem statum Actoris cognoscendi campum, igitur merito rejiciuntur. *Tabula Regia.*

C

(Dec. 8.)

(Dec. 8.) Quamvis Causæ ad Transumptionem Litterarum motæ brevis Litis sint, nisi tamen probet Actor instantaneam Litterarum ad deffensionem jurium suorum sub Lite existentium, necessitatem, ad ordinariam seriem reponi solent; beneficium enim extraferialitatis illis, quibus de jure suo constat, atque in legali juri suorum deffensione constituuntur, non vero iis, qui ipsimet in dubio sunt, num aliqua jura habeant, illaque primum experiri, & investigare, adeoque ex Lite, Litem meditantur, competere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Unde nec illi, qui necessitatem Litterarum ad Causas active per se promotas præterdit, cursus Causæ ad Transumpta suscitatae, extraferialis conceditur. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si Testimoniales super paupertate elargitæ ita stultifentur, quod Instans ob egenum statum suum prosequendis sumptuosus Litibus omnino impar fit, tunc Actori extraferialitas non conceditur, quia beneficium hoc ex Lege solum illis competit, qui adeo pauperes sunt, ut etiam vitæ mediis destituantur, per consequens, si quis mediis vitæ provivus fit, ast sumptus Litis non habeat, extraferialitatem quidem sibi vindicare non potest, nihilominus expeditiones eidem gratis extradari solent. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Si sub pallio paupertatis tacitus Actor latere deprehendatur, Causa ad Seriem rejicitur, quia beneficio extraferialitatis, quod præcise in favorem pauperum per Legem ordinatum est, abuti non convenit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Donatarius ad acquisitionem Bonorum per se imperatorum, contra Contradictores procedens, quamvis Testimonialibus Comitatus egenum suum statum probet, extraferialem nihilominus Causæ suæ cursum non obtinet, quia beneficium hoc ad sublevandam de Bonis Avitis exulantium Sortem concessum est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Quamvis Donatarius contra Contradictores procedens extraferialitatis beneficium præterdat, ideo, quod nonnulli ex Contradictoribus Ignobiles, adeoque possidendorum Jurium Nobilitarium incapaces sint, tamen si reliqui, qui videlicet respectu eorundem Bonorum contradixerunt Nobilitari prærogativa gaudent, Actori extraferialis Causæ prosecutio concedi non solet, quia non tantum contra Ignobiles, sed omnes Contradictores erecta est, adeoque unius, aut alterius Ignobilitas hic considerari non potest, cum contingere facile etiam queat, ut dum Contradictores Nobilitari prærogativa gaudentes, ad dandam contradictionis rationem condescendunt, reliqui Jura sua Materno jure tenta, cum juribus eorundem connectere valeant, cujusmodi connexio unitam alioquin defensam exigit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Licet Causa, quæ ad revulsionem Bonorum, ac medio tempore Bonis in iisdem procuratarum involutionum invalidationem fundamento Titt. 60. & 61. 1^{mæ} mota est, per Sententiam ad ordinariam Seriem relegatur ideo, quod Causæ ad invalidationem directæ feriales sint, si tamen Actor beneficio Prohibitæ effectum Sententiæ sistat, & una paragraphum Actionis ad invalidationem directum, remanente integro Actionis sensu, deponat, tunc extraferialis profe-

prosecutio admittitur, quia jam tunc Actio pure ad Pignoratitiam reducitur, Causis vero Pignoratitiis extraserialis cursus competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Quamvis Causa natura sua extraserialis fit, si tamen Incatti ad extraserialiter agendum non citentur, tunc continuatio Causæ ad proxime venturum Judiciorum Terminum prorogari solet, quia his in circumstantiis eo ipso quod Actor ad extraserialiter agendum citare Incattos neglexerit, jam respirium quatenus de defensionæ mediis prospicere possint, concedi debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) Si Nobilis contra Ignobilem, aut alias ex Lege tenendorum Bonorum incapacem, vel Dominus Terrestris contra Subditum suum Causam Tabularem suscitet, tunc Incattus etiam si alias Causa illa ex natura sua serialis esset, non potest ad seriem reservare, sed tenetur statim extraserialiter agere, quia Ignobilibus tamquam possidendorum Bonorum Nobilitarium ex Legis dispositione incapacibus, non competit beneficium seriei. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Causis illis, quæ juxta conditam eatenus Legem per Articulares Commissarios revideri debuissent, sed deinde per Articulum 26. 1723. ad Tabulam Regiam translatae sunt, beneficium extraserialis revisionis competit, etiam si alias de natura sua seriales essent, cum enim jam per publicam Legem summaria, & celerior illarum revisio ordinata fit, hinc utique beneficio hoc privari non possunt, nam similes Causæ cadunt sub intellectum Articuli 43. 1729. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Beneficium extraserialitatis etiam Ignobilibus suffragatur, quia Legis beneficium hoc positive in favorem Pauperum præscindendo ab eo, utrum Nobiles, vel Ignobiles sint, ordinarunt, & nihil aliud requirunt, quam ut Actor paupertatem suam, & incapacem ad prosequendas Lites Statum sufficienter comprobet. *Tabula Regia.*

(Dec. 19.) Etiam si Actor sub titulo paupertatis procedens, aliquem authentice expeditum Processum, qui ante aliquot Annos nomine suo sub titulo paupertatis decurrebat, vel vero Testimoniales super paupertate ante plures Annos emanatas, producat, per hoc tamen beneficium extraserialitatis non adipiscitur, nisi super egeno, & Lites prosequendi incapace statu suo recentius Testimonium exhibeat, quia talis præfensus pauper poterat intra aliquot annos sortem suam meliorare, & ad talem statum eluctari, ut amplius in sensu Legis pro paupere censeri non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Tametsi Actor super paupertate Testimoniales illius Comitatus producat, in quo residet, si attamen Incattus in contrarium doceat, eundem in alio quopiam Comitatu tantum possessorium habere, ut in sensu Legis pro paupere reputari non possit, tunc non admittitur illi extraserialitas, quia in tali casu hoc supponi debet, quod Comitatus præmissas Testimoniales extradans adæquatam Status Actoris cognitionem non habuerit. *Tabula Regia.*

(Dec. 21.) Admittitur extraserialis Causæ promotio etiam personæ Ecclesiasticæ, si fidedignis Testimonialibus Vicarii Generalis,

Diæcesis ejusdem, in qua degit, probet, beneficium quod possidet, adeo exigui proventus esse, ut nec quidem pro debitis vitæ mediis sufficiat, ac insuper doceat Testimonialibus Comitatus illius, in quo Parens ejus usque obitum degebat, illum quoque in egeno Statu fuisse, nullamque substantiam, vel plane exiguam in Successores transmississe, quia his adminiculis paupertas, quam Lex pro obtinenda extraserialitate prærequirit, sufficienter constare Judicio potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 22.) Præterea admittitur extraserialis cursus in Causis respectu talium Bonorum motis, quorum intuitu jam inter Actorem, & Incattos præcesserant Lites, quæ five ob incompetentiam Judicatus, five vitium Actionis, five alio incidenti operose promoveri non poterant, quia motiva hæc constituunt incidens in Articulo 43. 1729. attactum, quo extraserialis Causæ cursus conceditur. *Utraque Tabula.*

(VI.)

De Judicatus Quæstione.

(Dec. 1.) Cum judicandi provincia pro natura Causarum constitutis eatenus per Leges Judicibus delata sit, nec in carentia competentis Judicis, si natura Causarum, & Legum eatenus sancitarum, spectetur dispositio, ullum Incatti adesse possit præsidium, ideo illa dumtaxat in Procesibus Causarum inter Partes circa assumptum Judicatum agitari solet quæstio, num pro natura præassumptæ Causæ, subversantiumque in ea quæstionum Judici illi, quem Actor assummit, judicandi provincia competat, & extendi possit ad substratum Actionis, ipsamque Incatti personam. Unde

(Dec. 2.) Nobilis, vel Civis se in persona injuriatum, vel læsum prætendens, si contra Nobilem coram Civico Magistratu respectu personalis ejusmodi injuriæ Litem suscitet, quamvis is, qui injuriam personæ ejus intulit, non solum concivilitatem assumpserit, sed nec extra gremium Civitatis possessorium habeat, tamen si Judicatum Civici Magistratus difficultet, condescendere debet, quia prout in personam Nobilis Civicus Magistratus jurisdictionem nullam exercere, ita nec de actu ejusmodi Nobilis personali judicium ferre, illumque oneri, five pœnæ subjicere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Plenipotentarius Nobilis licet se in perceptionem etiam, & erogationem proventuum Plenipotentiantis immiserit, vel secus etiam ex damnosa subalternis Officialibus data commissione damnum intulerit, tamen ad Sedem Dominalem citari eatenus nequit, qui si citatus Judicatum difficultet, præassumptus Sedis Dominialis Judicatus, velut incompetens, condescendit, quia Plenipotentarius, Plenipotentiantis personam repræsentat, & ut talis judicio Sedis Dominialis subesse non potest, ubi tamen coram competenti foro conventus fuerit, non solum de perceptis, & erogatis respondere, sed & si damnum quodpiam culposo facto suo Dominio intulit, satisfactionem præstare debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si Vineæ per personam Ignobilem, sub onere præstandi juris Montani possessa, sub possessorium personæ Nobilis deveniat, & ista uno alterove Anno ab eadem Vineæ jus Montanum non præstet,

stet, atque ideo ad Sedem Dominalem citetur, Judicatus condescendit, præterquam enim quod Judicatus Sedium Dominalium contra Nobiles Articulis 2. 1638. & 22. 1647. limitatus sit, acquisitio insuper Actoris tendit his in circumstantiis ad redintegrationem amissi usus, quam coram legali Judice prosequi debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Non solum ad restitutionem Litterarum, Litteraliumque Instrumentorum, sed una etiam ad desumptionem pœnæ 500. florenorum ob denegatam restitutionem coram Judice Nobilium procedi potest, nec ideo Judicatus ejus condescensionem obnoxiiatur, quod pœna 500. florenorum Birsagium sapiat, quodve in Causis Violentialibus cum desummenda pœna Vice-Comes pro Judice per Articulum 35. 1729. constitutus sit, & in hac, prout altera Summa pro pœnalitate solvi solitæ partem Judex obtinere soleat, quia eo ipso quod præcitatus Articulus in Causis ob denegatam Litterarum resignationem motis, restrictive Vice Comitem pro Judice non denominet, extensa esse censetur Legis dispositio etiam ad Judices Nobilium. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Utut Sedes Judiciaria primæ Instantiæ Judicis Sententiam alteraverit, & executio per Incatti Oppositionem impedita, penes Sententiam Sedis Judiciariæ tentata fuerit, eadem nihilominus primæ Instantiæ Judex Causæ Oppositionalis esse non potest & si Judicatum assummat in foro Appellationis condescendit, Oppositionalis enim Processus primæ Instantiæ legalis Judex alter esse non potest, quam qui ex Legis dispositione fundamentalis erat, & bono Ordini repugnat, ut dum Partes in legali, & ordinaria Juris via constituuntur, Appellationis Judex primæ Instantiæ Judicem agat. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Tametsi Causarum ad ineundam Divisionem suscitatarum, si Bona uni, eidemque Comitatu subsint, competens Judex Vice-Comes, & respective Judicium sit, si tamen Bona ejusmodi per sexum fæmineum dividi petantur, quorum possessorium ex solo jure pecuniario, allaturali Materno in parte sexus fæmineus obtinuit, illudque tractu temporis alteratum, & juri sexus Masculini reapplicatum existit, & idem sexus Masculinus ultra privatum suum possessorium jus etiam sexum dumtaxat Masculinum private concernens, per sexum fæmineum recognitum fuisse opponat, tunc Judicatus pedanei Judicis cessat, & sexus fæmineus foro Tabulari prætensionem suam prosequi debet; Non enim docet simultaneum jure Paternæ Successionis adeptum possessorium, jus præterea privatum Masculorum recognoscens, semet ad petitorium facto etiam proprio collocavit, & ideo cum quæstio æqualitatis, vel inæqualitatis a radice juris assummi, & discuti debeat, discussio vero illa activitatem fori pedanei excedat, sexus fæmineus forum competens sequi debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Quamvis proprietarius juxta Titulum 82. 1mæ via Pignoris, si Bona uni Comitatu subsint, contra Pignoratitium possessorem Donationem pignoratitio Bono superinducentem, in Comitatu procedere possit, si tamen Pignoratitius ille possessor Bona illa in alterum transferat, & is, in quem translata sunt, Donationem superinducat, contradicentemque Proprietarium ad dandam

contradictionis rationem evocet, illumque in Contumacia convinci, Restauttionemque peragi curet, tunc si Impignorans via simplicis Pignoris Litem suscitatur, Judicatus Comitatus condiscendit, ex contumacia enim convictus, juri Donatarii locum fecisse censetur, & ideo ad amovendum ejus obstaculum Litem illam ad dandam contradictionis rationem contra se motam, & terminatam via Novi resuscitare, rationemque contradictionis reproductione Pignoratitiarum & proba devolutionis pignoris assignare debet, obtinetque Lite eadem etiam Pignoris readjudicationem. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si Actio principaliter dirigatur ad exclusionem sexus fæminei, accessorialiter vero contra illos, qui partem Bonorum Actionalium uni dumtaxat Comitatu ingremiatorum, titulo pignoris possident, tunc relate ad Hypothecarios Judicatus condiscendere solet; cum enim Causæ Pignorum in uno Comitatu existentium, ad forum Comitatus pertineant, & distinctam Causæ speciem constituent; idcirco cum Processu ad exclusionem sexus fæminei promotum, velut itidem separatam Causæ speciem constituyente, in unam Actionem convolvi, & sub hoc prætextu a foro sibi per Legem peculiariter ordinato, abstrahi non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Religiosus Ordo ad reobtentionem dumtaxat rudum antiquæ Ecclesiæ, vel Monasterii Processum ex jure moveat, eatenus ad suam competentiam utpote forum Ecclesiasticum relegari solet, quia præmissa tamquam Deo dicata & Cultui Divino consecrata, adeoque extra commercium posita, ad forum Seculare non pertinent. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Si talis, qui extra Regnum residet, & in Hungaria nullum actuale possessorium habet, actum Majoris potentie committat, proptereaque evocetur, non obstante eo, quod Parens illius in Hungaria possessionatus sit, adeoque filio in similibus Bonis virtualis successio competat, Judicatus contra illum subsistere non potest, quia ad hoc, ut quis ratione Bonorum forum nanciscatur, requiritur, ut sub jurisdictione Judicis, in cujus præsentiam citatus est, actuale, & absolutum possessorium habeat, filius autem cum Patre indivisus, vivente illo tale possessorium non habet, quia viventis nulla est successio. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Si in Causa contra Civem, vel alium Liberæ, Regiæque Civitatis Inhabitorem Nobilitari prærogativa non gaudentem, & extra mœnia Civitatis nulla Bona possidentem, Actor ex binaria Oppositione coram Tabula Regia Processum ad actum Majoris potentie moveat, tunc Judicatus condiscendere solet, quia juxta Titt. 10. & 19. 3^{tiæ} universæ similibus personarum Causæ coram Magistratu Civico promoveri debent, per consequens Leges, quæ Causas ex binaria Oppositione ad actum Majoris potentie suscitatas, Tabulæ Regiæ dijudicandas deferunt, ad Causas Civium extendi non possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Si Arendator Ignobilis actum Majoris potentie incurrat, tunc coram Tabula Regia debet conveniri, & Actor ad forum Impensionale relegari nequit, quia Arendatores in personalibus non subsunt jurisdictioni Locatoris, sed neque ad classem Servorum, atque

que Jobbasyonum, de quibus Domini impensionem facere tenentur, pertinent. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Licet Judex non possit suplere defectum Partium in quæstione facti, potest tamen illum suplere in quæstionibus juris, ita quidem, ut etiam si Partes in quæstione juris aliquid negligant, tamen Judex in legalibus, & ad naturam Causæ pertinentibus rationibus Sententiam fundare valeat; quia Partes alioquin in conformitate Legum petunt sibi justitiam administrari, Judex autem præsumitur scire Legem, adeoque in quæstione Juris non eget capacitatione Partium, e contra in quæstionibus facti non secus, quam ex allegatis, & probis per Partes abutrinque Processui annexis, capacitari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si in Causa ad implementum Testamenti promota, Incattus antè Testamentum obvertat, & ex collisione duorum Testamentorum Judicatus condescensionem petat, exceptio hæc rejicitur, & Judicatus stabilitur, quia Testamentum Antèius tollitur per posterius, adeoque illud velut non ens, cujus nullæ sunt qualitates, legalem exceptionem fundare non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) Quando de uno eodemque Bono duabus distinctis Personis tempore diverso duo distincti Contractus celebrantur, nihilominus prior in effectum non deducitur, posterior vero per effectivam Boni Contractualis traditionem, & resignationem usu roboratur, & Actor coram Tabula Districtuali ad implementum primi Contractus contra actuale Possessorem procedit; tunc Judicatus condescendere solet, quia in similibus circumstantiis procedens Tabula deberet de eo judicare, quisnam ex præallegatis duobus Contractibus alteri præponderet, juxta Art. vero 28. 1715. & 31. 1723. Judicia Subalterna non de Contractibus, sed juxta Contractus judicandi Activitatem habent. *Tabula Regia.*

(Dec. 17.) Si Dominus Terrestris quampiam Communitatem sub jurisdictione sua existentem, coram sua Dominali Sede regulare velit, illa vero super certis exemptionibus, & immunitatibus Privilegia producat, & Dominus Terrestris illa impugnet, in tali casu Judicatus condescendere solet, quia subvertatur discussio Privilegiorum, quæ ad Forum Sedis Dominalis non pertinet. *Tabula Regia.*

(VII.)

De Instituto.

(Dec. 1.) Quoniam Instituti qualitas ex ipsa Actionis expositione cognosci debeat, ideo exceptiones etiam Instituto opponi solitæ ex præerectæ Actionis qualitate dirimi debent, quare in casibus illis, ubi frater natu Major, vel alter Congenerationalis, quæ etiam reliquorum Congenerationalium suorum jura sustentans, respectu Bonorum in statu indiviso abalienatorum, ad invalidationem Fassionis ex præjudicio, vel neglecta præmonitione jam egit, reliquis Actoris Condivisionalibus, & ad eadem Bona commune jus foventibus amplius Actio non competit, & ideo ejusmodi indebite arreptum Institutum per Sententiam Judicis condescensionem subijcitur; egit enim jam Frater natu Major, & Congenerationalis, quæ etiam reliquorum Congenerationalium suorum jura sustentans pro

omnibus, adeoque pro eo quoque, qui simplici Instituto denuo agere tentat, & si is, qui prius egit, triumphare potuisset, acquisitio ejus cessisset in omnium Congenerationalium emolumentum. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si porro per Fratrem natu Majorem, qua Congenerationalium suorum jura sustentantem ad invalidationem Fassionis de Juribus communibus, & indivisis celebratæ, tam via simplicis Instituti, quam & beneficio Novi promota, & ex causis rationabilibus cum stabilimento Fassionis, absolutioneque Incatti terminata, Congenerationalis Actoris Litem ex Jure contra Fassionarium præhabiti Juris Actorei agnoscit, illoque per Fassionem in se translato Boni possessorium tenet, contra illum Instituto ex Jure præassumpto locus esse non potest, Juris enim Processus contra illos, qui non Actoris, sed distincto jure se tuentur, dirigi solet, & alioquin Institutum ejusmodi stabilita jam iteratis Sententiis Fassione, & pro irretractabili declarata, otiosum etiam esset, quid enim bonitas præhabiti Juris pro Actore valet, si ejus usum obstante stabilita per Sententiam Fassione, consequi nequit. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Quamvis per Sexum Masculinum ad Executionis correctionem procedentem, probetur, quod Exequens Bona etiam ejusmodi, quæ per Sententiam Judicariam pro sexu Masculino privative relicta sunt, inter utrumque Sexum æqualiter dividerit, si tamen in obversum sexus fæmineus remonstrat, quod Masculi ejusmodi Executioni non tantum non reclamaverint, sed subsequente in iisdem Bonis portionem unius deficientis Masculi communi inter utrumque sexum Divisioni sponte submiserint, Institutum ad correctionem Executionis præassumptum condescendere debet; quia factum Exequentis per subsequam sponte initam æqualem divisionem jam alteratum est, & status prætenforum Bonorum non amplius in lata Judicis Sententia, sed in facto Masculorum ultro æqualem sexui fæmineo successionem defferentium, subsistit, & ideo si Masculus inæqualitatem Juris prætendit, Foro Tabulari ad exclusionem procedere debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si quis sub titulo proportionalis Instituti contra Possessionis alicujus Compossessores præter introducendam in communibus beneficiis justam proportionem, etiam ad divisionem intravillanarum Sessionum agat, imo Actionem in Legibus de Divisione sonantibus modo prævio erectam fundet, ac proportionem secundum quotalitatem, & qualitatem juris sui eruendam, desideret, Institutum condescendit; Leges enim diversam ad ineundam Divisionem, diversam item ad inducendam justam proportionem viam præscribunt, & illa restricta est ad Sangvine junctos; & commune jus, mutuamque successionem foventes; proportionalis vero extenta quidem etiam ad extraneos est, sed dumtaxat respectu communium beneficiorum, extravillanarumque appertinentiarum, a proportione actualis intravillani Partium possessorii assummi debet, discussio vero qualitatis juris alioquin Comitatenfis Judicis activitatem excedit, hinc Institutum ejusmodi cumulatam, & diversam Actionum speciem involvens, merito condescensionem subijcitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.)

(Dec. 5.) Si Actor sexus fæminei descendens sit, & contra Incattum ex eodem sexu fæmineo descendentem, respectu Literarum, Literaliumque Instrumentorum coram Tabula Regia Judicaria agat, Actionemque suam directe in Articulo 43. 1659. fundet, ac una Transumpta illarum ex Titt. 42. 1^{mæ} petat, Institutum condescendit; quia duo sibi opposita uno, eodemque Instituto respectu earundem Litterarum præten dit, utpote ex citato Articulo restitutionem, qua privative se concernentium, ex Titulo vero 42. 1^{mæ} tamquam communium Transumpta, quæ velut Judicatu distincto subjecta, uno, eodemque Instituto aquiri non possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Si quispiam Processum ex prælatione debiti contra Con-creditores instituat, antequam principalem Debitorem plene excutiat, Institutum condescendit; quia obligatio principalis Debitoris eo usque non cessat, donec vel obulum pro contentando Creditore suo conferre potest, per consequens Actio ex prælatione debiti contra Creditores primo eotum affurgit, quando principalis Debitor nullum amplius fundum habet, qui prætensionem Creditorum substerni valeret. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Dum quispiam ex jure procedit, si Incattus jus Actoris recognoscat, & declaret, se Bona Actionalia titulo dumtaxat Pignoris possidere, ipso facto Institutum cessat, & Actor relegatur ad Processum Pignoris, quia Actio regulat Partes & Judices; cum ergo illa ex jure instituta sit, Incattus vero jus, juri opponere nolit, verum præcise pignori inhæreat, hinc utique eatenus respondere non tenetur, donec via sua conveniatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Tametsi Processus repositorii ordinarie ad Judicatum Comitatum pertineant, si attamen vetus, & antiquum Incatti possessorium Privilegiis vestitum, & Bona actionalia talibus difficultatibus intricata sint, quæ ex indole sua foro Tabulari discutendæ competunt; tunc repositio coram Tabula Regia peti debet, ubi remotis obstaculis, repositionem impredientibus, eodem ipso Processu statim etiam repositio decernitur; quia casu in præmissis primum, & ante omnia obstacula repositionem impedia removeri debent, istud vero activitatem Judicis pedanei excedit. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si Processus Fundamentalis coram Protho-Notario defluxit, & terminatus fuit, subsequenter vero ad instantiam Succumbentis per Legem publicam ordinatum existit, ut Causa illa per Articulares specialiter denominatos Judices revideatur, hæc attamen revisio quacunque tandem ex ratione intermissa sit, proinde is, qui coram Prothonotario succubuit, ex motivo illo, quod per Art. 26. 1723. omnes Articulares Causæ in Tabulam Regiam translatae sint; Processum illum Prothonotarialem coram eadem Tabula Regia novilet, tunc Institutum condescendit, quia Novum coram illo Judice promoveri debet, qui in Fundamentali Causa proces sit, jam vero Causæ Protho-Notariales Tabularis Districtualibus per Legem delatae sunt, adeoque Novum coram hoc foro, quod Protho-Notariali successit, suscitari debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si in Processu Fundamentali Incattus Evictores suos evocet, & illi ex quocunque tandem incidenti ab onere evictionis absolvantur, postea vero Incattus semet Marte proprio defendens convincatur, interim antequam executionem subeat contra Evictores suos noviset, in similibus circumstantiis Institutum condescendere solet, quia novum non nisi extra Dominium competit, antequam proinde Actor triumphans Executionem peragi curet, Incattus, nec contra Evictores Novo Judicio uti potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Fatentis successore cum potioribus, & principalioribus Fassionarii Successoribus Bona Fassioni involuta in statu communi, & indiviso possidentibus, respectu dirimendarum quaestionum, quæ circa ipsam fassionem, ejusque rationabilitatem, vel irrationabilitatem ab utrinque adduci possent, ac ex eis ferendum circa stabilimentum, aut cassationem Fassionis ejusdem Judicium in Arbitros compromittente, si is invalidatoriam Litem in foro Tabulari tam contra modo prævio compromittentes, quam & reliquos, qui ad Compromissum in specie haud influxissent suscitet, vel illam continuet, ac non solum illi, qui ad Compromissum influxerunt, sed & reliqui eorum cointeressati propter initum Compromissum Institutum difficultent, tunc illud coram foro Tabulari arreptum non tantum ex parte eorum, qui Compromissum iniverant, sed & qui cum iis commune, & indivisum jus fovent, condescendit, quia Actor facto suo ab ordinaria Juris via recedendo, Judicem sibi delegit, cujus judicio stare etiam respectu reliquorum unum, idemque indivisum jus foventium debet, nam eo ipso, quod residui quoque Compromissum ineuntium cointeressati contra Institutum Actoris Compromisso se tueantur, consensum etiam in factum Cointeressatorum manifestant. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Si nomine Pupillorum jam perfectam ætatem attingentium, Fiscus Magistratualis contra Tutores ad exigendas rationes Tutelares iisdemque convictis, & semet iterato opponentibus, subseque ad actum Majoris potentiae Processum suscitet, tale Institutum condescendit, quia ductu Articuli 68. 1715. si Pupilli ad perfectam ætatem pervenientes rationes quaspiam a Tutoribus suis exigendas habent, easdem nomine proprio exigere tenentur, sensu vero Titt. 124. 3^{tie}. Pupillis postquam semel perfectam ætatem attingunt, invitis, nec Curator obtrudi, eo minus nomine illorum Actio moveri potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Contra illum, qui in Processu primitivo nec per se, nec per alium cujus jura repræsentat, egit, Institutum Novi Judicii non subsistit, quia Novum est continuatio Processus fundamentalis, repugnat vero ut contra illum continuatio instituat, qui ad continuatum non influxit. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Si quispiam ex fundamento illo, quod Fassionem in imperfecta ætate celebraverit, eandemque ante perfectam ætatem revocaverit, ad invalidationem illius procedat, verum sub Lite moriatur, filius autem ejusdem Actionem continuatoriam in præjudicio fundet, tale Institutum condescendere solet, quia Actio continuatoria debet esse conformis cum fundamentali, adeoque in illa distinctus acquisitionis titulus assummi non potest. *Tabula Regia.*

(VIII.)

De Actoratu Reali.

(Dec. 1.) Qui Bona sua alteri cum clausula: nullum Jus, nullamve Juris proprietatem reservando, fatetur, quamvis per Fautentem, Litis prosecutio reservetur, & pro conditione ponatur; Actoratus ei non admittitur, verum Falsionarius suo nomine procedere debet, qui enim nullum jus sibi reservavit, sed omne in alium transtulit, utique de re amplius ad se non pertinente alteri Lite molestus esse nequit, ideo per Contractum, aut Falsionem agendi reservata facultas tamquam priori clausulæ, qua omni juri renunciavit, e diametro opposita, pro non adjecta censei debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Communitas Oppidana possidendorum Bonorum incapax, Actoratum Partis A. verbi gratia: ad invalidationem Falsionis procedentis, disputare non potest; Nobili enim ex generali Legis dispositione contra eos, qui possessionis incapaces sunt, Actio tribuitur, nec obstat, quod non illum Actionis titulum assumpserit, Lex enim, quæ incapaces possidendi jure privat, Actoratum disputandi facultate eos privare censeiur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Non admittitur eousque Actoratus nomine Coloni, aut alterius jurisdictioni fugitivi, vel migrantis Domino ad quem se recepit, donec fugitivus de censu, aut aliis justis, & legalibus præstationibus priori Domino non satisfecerit, eousque enim jus illius Dominale in salvo manet, si autem novo Domino Actoratus admitteretur potestas Dominica prioris Domini pro sublata censei deberei. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Qui Actoratu proprio egit in Processu simplici, & triumphavit, si contra illum Succumbens noviset ad Evictorem suum provocare nequit, Actori enim Evictio non competit, jam vero Pars I. in novo reipsa pro Actore reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Actoratus in Novi Judicii Processu neque Ignobili in primitivo processu succumbenti controverti potest, nam juxta naturam, & indolem Processus Novi Pars Novifans pro Incatta potius, quam Actrice censei debet, Incatto autem, qui alioquin erga citationem Actoris, adeoque invitus Litem ingreditur, litigandi activitatem contravertere est contra naturam, & bonum ordinem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si Incattus in Processu meritorie agat, & eatenus definitivam Sententiam recipiat, tametsi eandem prohibeat, nisi atamen penes prohibitam etiam Revocationem adhibeat, amplius Actoratum in quæstionem vocare, vel aliam id genus exceptionem interponere non potest, quia licet talis prohibita effectum Sententiæ impediât, nihilominus naturam illius non immutat, adeoque Sententia illa etiam post Prohibitam manet meritoria, a meritoriis autem non datur regressus ad exceptiva. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si quispiam ad revindicationem Bonorum suorum Aviticorum Processum suscitet, verum ex eo, quod talismodi acquisitionem suam jam alteri falsus sit, ab Actoratu amoveatur, subsequen-

sequenter vero Fassionarius a tali fassione recedat, fassumque sibi jus in loco authentico Fatenti refateatur, tum ejusmodi Actor Litem per se erectam continuare potest, quia ita obstaculum quod Actoratum sistit, debita forma suffertur, reviviscitque jus, & præsentio Fatentis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Fassio respectu talium Bonorum ex præjudicio invalidari petatur, quam altera ejusdem Fatentis, vel Antenatorum ejus fassio respectu eorundem Bonorum pro aliis a posteriori Fassionario distinctis, facta præcessit, & hæc ætate prior cum clausula: Nullum Jus, celebrata habeatur, tunc nisi Actor doceat a prima illa fassione facto Fatentis, & Fassionarii recessum, vel se-cus eandem debita forma annihilatam fuisse probet Actoratus ei denegarur; quia obstaculo est prima Fassio, qua Actoris Antenati se omni jure exuerunt, ac donec illud removeatur, ac ita Actoratus contra factum subsequum reparatur, otiosa esset alioquin Actio cum obstet factum prius, quo omne jus in alium translatum habetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Illi, qui Bona, & Jura sua præmanibus alienis existentia perennali Fassione mediante in tertium ita transfert, ut rata quidem eorundem Bonorum medietas titulo fidelium Servitorum in exquisitionem, & revindicationem ejusmodi Bonorum impendendorum, altera vero in quantum eandem expensæ in Litem ac exquisitionem erogandæ non absorberent pro Summis a valore Bonorum æstimatione mediante eruendis, perque Fassionarium ipsi deponendis perpetuo maneat, quamvis conditio illa annexa sit, ut Fassionarius penes Plenipotentiam nomine Fatentis Litem promovere valeat, Actoratus contra actuales eorundem Bonorum possessores ad reaquisitionem ejusmodi Bonorum non competit, quia omne jus proprietatis ad alium transferendo, se Actoratu proprio facto privavit, conditio etiam illa, ut nomine ejus Lis per Fassionarium promoveri possit dispositioni Titt. 77. 1^{mæ} contraria, tertio obesse nequit. *Tabula Regia.*

(IX.)

De Actoratu Personali seu Activitate.

(Dec. 1.) Esto Titulus 31. Partis 1^{mæ} Ignobili activitatem litigandi cum Persona Nobilitari prærogativa gaudente, non concedat, non admittitur, ut Nobilitas Actoris explorando in quæstionem summatur exempli causa: ut Actor Incattum de Nobilitate sua, & litigandi activitate capacitet, verum Incattus illam aperte negare debet, quo ita in proba deficiens, in pœna Tituli 36. 2^{dæ} puniri possit, cum enim de Nobilitate Actoris capacitari petit, probandi onus contra sensum Legis in alterum detorquere, hacque ratione Legis pœnam evitare studet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si tamen Processus ad actum Majoris potentiae ob injuriam personalem institutus est, tunc Incattus petere potest plenam Nobilitatis probam, hujus enim Processus Indoles, & natura læsionem Nobilitaris prærogativæ continet, igitur ut Actor illam vindicare possit Nobilitatem, in qua assumptus Actionis titulus radicator probare debet, præsertim cum Actori de jure incumbat proba. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.)

(Dec. 3.) Testimoniales Comitatus cum tali expositione, quod Armales Literæ, Avi, aut Proavi Comitatus exhibitæ fuerint, quodve Actor suum cum illo nexum, & descendendam comprobaverit, sufficientem Nobilitatis probam præstant, neque requiritur, ut Armales in Processu reproducantur, & descendencia in Judicio probetur, fidedignitas enim Comitatus, quo alioquin investigatio Nobilitatis pertinet, nulli dubio locum relinquit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet Partes jam in merito Causæ versentur, si tamen Pars I. Nobilitatem Actoris neget, iste tenetur illam probare, neque illum a proba relevat, quod in primordio activitas litigandi in controversiam sumpta non fuerit; hæc enim contra activitatem litigandi facta exceptio videtur meritoria esse, ne Ignobilibus prærogativa Nobilitatis quoquo facto contra claras Legum constitutiones admittatur, & alioquin Nobilitatem negans id suo periculo facit, si enim illa comprobata fuerit juxta Titulum 36. 2^{dæ} in homagio convincitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Ad probandam Nobilitatem non sufficiunt Testimoniales per Notarium Comitatus, Judicum, item & duos Jurassores subscriptæ, & extra Congregationem sub privatis Sigillis extractæ, quia præterquam quod juxta Titulum 13. 2^{dæ} privata Sigilla publica fidedignitate non polleant, sæpe contingit, ut tales Nobilitatem prætendentes jurisdictionati sint, interest proinde, ut Testimoniales sub authentico Comitatus Sigillo expediantur, & in Congregatione publicentur, quatenus ille, qui erga personam ejusmodi prætensi Nobilis sibi jurisdictionem vendicat, jus suum sustentare possit. *Tabula Regia.*

(X.)

De Genealogia.

(Dec. 1.) Primus gradus in Genealogia probari non debet, ille enim ad notitiam publicam esse censetur, verum Parti illam contravertenti incumbit contrarium demonstrare. *Praxis.*

(Dec. 2.) Nec tamen sufficit Genealogiam solo nomine nectere, verum quis? cujus filius, aut filia sit, clare probari debet, sæpe enim ejusmodi nominis plures in Familia reperiuntur, adeoque semper adhuc de prætensa descendencia aliquod superesse potest dubium. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si aliquis ex Capitulo, vel alio idgenus fidedigno loco quamquam expeditionem excipiat, & in illa per propriam expositionem Genealogiam suam ad quartum, vel quintum generationis gradum deducat, talis deductio non subsistit, quia ejusmodi propria, adeoque interessata expositio, præsertim si ultra memoriam humanam extendatur, probam non præstat, sed requirit. *Tabula Regia.*

(XI.)

De Plenipotenariio, & Fratrem natu Majore.

(Dec. 1.) Tametsi juxta Titulum 42. 1^{mæ} Fratri natu Majori, qua Literarum conservatori incumbat Jura communia, & indivisa tueri, & vindicare, nec tamen hæc illi per Legem delata provin-

cia ita intelligenda est, ut alter de Familia licet natu minor, & conservator Literarum non sit, quoad Jus commune nomine suo Litem movere, eamque prosequi non possit; hæc enim communis juris sustentatio, & tuitio conservatori Literarum propter facilitatem, commodioremque Causæ, quæ Instrumentorum præsidio fieri solet, promotionem per citatum Titulum delata est, idque in beneficium reliquorum fratrum, si igitur aliquis illorum huic favori facto proprio nempe nomine suo Litem inchoando, rennnciet, atque onus promovendæ Causæ ipse ferre velit, id ei negari nequit.

Utraque Tabula.

(Dec. 2.) Quantumvis juxta Titulum 42. 1^{mæ} Fratri natu Majori incumbat supportatio Litium, contra reliquos Congenerationales intra Divisionis tempus motarum, nec tamen Frater natu Major stringi potest ad sustinendam Litem contra Sorores suas jam emancipatas suscitatas, quemadmodum enim sensu Tituli 56. 1^{mæ} filii per divisionem, ita tales Sorores per Matrimonium emancipantur, & a potestate Fratris natu Majoris emigrant, atque sui juris efficiuntur, per consequens propria in persona citari, & pro se respondere tenentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Frater natu major in Processu respectu Bonorum communium moto, stet, & reliquorum fratrum suorum sub Tutela aliena existentium, coram Jure deffensionem in se suscipiat, licet etiam Tutor illorum ad talismodi Causam citetur, & non comparens ex Contumacia vincatur, ex hac attamen convictione nullum onus in Tutelatos redundare potest, Fratris enim natu majoris, cui ex Lege deffensio communium Familiæ Jurium incumbit, comparitio, & ad ejusmodi Tutelatos extensa deffensa supplet Tutoris neglectam comparitionem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si Plenipotentarius semet in perceptionem, & erogationem proventuum Dominalium immittat, aut culposo facto suo quodpiam damnum Principali suo inferat, ab onere præstandæ congruæ satisfactionis non immunitatur quidem, nihilominus coram Sede Dominali eatenus conveniri non potest, quia Plenipotentarius repræsentat personam Plenipotentiantis, adeoque bono ordini repugnat, ut coram illo Judice, cujus personam repræsentat, Jure conveniatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si Vidua quæpiam, qua Tutrix, & Curatrix prolium suarum ad talem Causam evocetur, in qua necessitas deponendi Juramenti, & Literarum revelationis subversatur, eademque sub decursu Processus remonstret, quod filius suus natu major jam perfectam ætatem attigerit, & Literas Familiæ ad se receperit, etiam si talis Vidua cum prolibus suis adhuc indivisa sit, tamen Actori imponitur, ut prælibatum ejusdem filium evocet, cui deinde incumbit Juramenti depositio, atque Literarum revelatio, & productio, per consequens Vidua Mater ab onere hoc sublevatur, tum quod juxta Titulum 42. 1^{mæ} Fratri natu majori competat Literarum conservatio, & communium Familiæ jurium directio, atque deffensio, tum vero quod ille majorem Literarum notitiam habere supponatur quam Mater, concomitanter etiam revelationem exactius facere possit. *Tabula Regia.*

(XII.)

De Ingesfione, & Ingerente.

(Dec. 1.) Si in Cauſa quapiam plures ſint Incatti, & Actio ad revindicationem Jurium communium erecta habeatur, illis, qui ſe cum Actore conjungere, atque communionem juris comprobare poſſunt, Ingeſſio admittitur; quid enim opus eſt multiplicare Lites? ſi Proceſſualis ordo per ejuſmodi factum non lædatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Evictor in Litem non citatus, qua talis ſe in Cauſam ingerere non poteſt, Evictio enim tunc ſolum locum obtinet, cum Evincendus ad illam provocat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Cum Tit. 31. 1^{mæ} ſi Partes litigantes abutrinque in proba juris deſſiciant, Juri Regio locum faciat, hinc in Cauſis etiam per Donatarium penes novam Donationem contra Contradictiones motis, ſi Donatarius nec ſuum, nec prædeceſſorum ſuorum in impetratis Bonis poſſeſſorium docere poteſt, Contradictor vero poſſidendorum jurium Nobilitarium incapax eſt, tunc Fiſco Regio non tantum Ingeſſio admittitur, ſed & Bona eadem Fiſco Regio adjudicantur, nec officit, quod Jus Regium Donatario collatum ſit; quia illud ſub titulo præhabiti poſſeſſorii collatum erat, jam vero illo reſpectu Bonorum in quorum poſſeſſorio nunquam erat, a collato Jure Regio cadente, novifantibus vero incapacibus præcitato Titulo 31. 1^{mæ} attactum Jus Regium enaſcitur, cujus acquiſitio Fiſco Regio competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si tamen Fiſcus Regius poſt definitam Sententiam, qua Actoris impetratio ad per ſe poſſeſſa reſtringitur, ſe ingerat, eſto Jus latens Regium reflexe ad poſſeſſorium Incattorum ex incapacitate adjudicari petat, cum tamen utraque Pars in poſſeſſorio ſuo per Sententiam relicta, adeoque abjudicatio nulla facta ſit, per conſequens neutra Partium in jure deſſecerit, tum igitur ideo, tum vero quod Ingeſſio juxta Titulum 84. 2^{dæ} alioquin poſt definitivam Sententiam nec competat, admitti non ſolet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Licet aliquis ſe ad Cauſam per Donatarium ad dandam Contradictionis rationem motam, eo ſub titulo ingerere, & immittere tentet, quod nexum, & communionem juris cum Incatto foveat, ſi tamen Incattus non illo, quo prætenſus Ingerens prætenſit jure, ſed ſive temporanea alterius Familiæ translatione, ſive ex repræſentatione illius, quod Donatario collatum eſt, impetratorum Bonorum poſſeſſorium teneat, tunc Ingeſſio, & immiſſio utut Incattus eandem non difficultet, quin imo ultro acceptet, rejici tamen conſuevit, quia prætenſa ejuſmodi immiſſio nec ad Evictionis, neque alium titulum legitimum referri poteſt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) In Cauſis Actore Fiſco Regio ex Deſſectu, vel Nota cujuſpiam promotis, non admittitur Ingeſſio illis, qui ad Bona deſicientis, vel Notorii ſemet jus habere prætenſunt, quia ordinarie Ingerens debet jus unitum fovere, & ſe connectere cum Actore, hoc autem caſu in præmiſſo Ingerentes præſtare non poſſunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Ingressio post definitivam Sententiam, esto beneficio Prohibitæ sustentatam, non admittitur, quia tametsi Prohibita fistat effectum Sententiæ, nihilominus Sententia illa etiam post Prohibitam manet definitiva, juxta Titulum vero 84. 2^{dæ} Ingressio ante Sententiam definitivam fieri debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Contra Actorem ex Jure, vel alio titulo procedentem, non admittitur Ingressio tali, qui ad Bona Actionalia firmiter jus præterdit, eademque sibi ex integro vindicat, quia Ingerens tantum accessorie Litem ingreditur, & debet Actoratum suum mutare ab Actore, casu autem in præmissis Ingerens efficeret se principalem Actorem. *Utraque Tabula*

(Dec. 9.) Si in Familia aliqua Masculi cum Fæminis talem Contractum ineant, quod Avita Familiæ Bona unitis viribus, & communibus expensis ab extraneis revindicare, ac ita demum a proportionem condescendentiam inter se dividere velint, subsequenter vero Masculi nomine dumtaxat suo ad requisitionem talismodi Bonorum contra actuales Possessores Processum ex Jure instituant, & in illo ex Literalibus abutrinque preductis eveniat, quod præscripta Bona ex radice acquisitionis sexum Masculinum private concernant, tunc sexui fæmineo ad Processum illum Ingressio non admittitur, quia ad stabiliendam Ingressionem requiritur connexio juris, & sanguinis Ingerentis cum Actore, casu vero in præmissis nulla connexio, quin potius inæqualitas juris evenit, quæ difficultas non tollitur per præmentionatum Contractum, tum quod ille ex parte sexus Masculini absolutam privati juris renunciationem non importet, sed tantum obligationem communicandi cum fæminis possessorii inducat, tum vero quod implementum ejusdem Contractus ad distinctum forum, & Institutum pertineat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Licet in fassionis expositione per Fatentem declaratur, Bona eadem per Avum, vel Abavum suum fuisse impignorata, per se vero a Pignoratio possessore revindicata, si tamen directus successor Fatentis agat ad invalidationem fassionis ex præjudicio, tunc Congenerationali ejus ab Avo videlicet, & Abavo illo impignorante æque descendenti ad eandem Litem Ingressio admitti non solet, quia agitur ad invalidationem facti Patris Actoris privati, & non communis ex præjudicio, cujusmodi Actio prout juxta Titulum 84. 2^{dæ} Ingerenti Successore Fatentis superstite non competit, ita nec Ingressio. *Utraque Tabula.*

(XIII.)

De Evictione, & Evictione.

(Dec. 1.) Respectu Bonorum, quæ ex Divisione inter Congenerationales inita promanant, si etiam Evictio per expressum in divisionali Instrumento pactata non sit, Condivisionales tamen ad Litem illam, qua alter respectu ratæ ex Divisione adeptæ, impeditur, sine præstandæ Evictionis evocati, oneri evictionis obnoxii sunt, & pro casu amittendæ in toto, vel in parte portionis, observata proportione, tam prævio modo amissi, quam & per reliquos Condividentes ex Divisione adepti possessorii, ita ut etiam ipse Evincendus proportionatum, reflexe ad competentiam suam onus ferat, Lite eadem compensare debent, nec ad Rectificatorium Processum

cessum relegari solent, nam & strictus sanguinis nexus, & juris communio exigit, ut Lites sine necessitate non multiplicentur, & alioquin inter Condivisionales in Bonis divisis ex natura successionis Evictio inest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quamvis is, qui alterius Coincatti Evictor est, ad eandem Litem jam pro parte Actoris citatus sit, nisi tamen sponte se ad evictionem Evincendi sui immittat, cogi ad deffensam sine præmissa sine eo per illum, qui evictionem præten dit, forma legali citatione non potest, citatus enim per Actorem, dumtaxat respectu privati possessorii, non vero ejus, qui evictionem præten dit, habetur, nemo autem nisi debito juris ordine, & dumtaxat in quantum citatus est, agere, & respondere obligatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si is, qui per Donationem Regiam Bona aliqua titulo Notæ collata habet, agat ad dandam Contradictionis rationem contra illum, qui Bona eadem prius a Palatino titulo ejusdem Notæ impetravit, & præten si Notarii successor per Incattum ad Litem sub titulo Evictoris citatus sponte evictionem assummat, licet Actor hanc difficultet ideno, quod Incattus cum Evictore, nec jus condivisionalitatis foveat, nec evictionem obligatam habeat, & neque respectu portionum per Evictorem possessarum Lis erecta sit, tamen si evictionem sponte assumens, probet, inter se, & Incattum respectu eorundem Bonorum Conventionem initam esse, ac virtute ejus partem Bonorum sub Incatti, residuam vero sub suo possessorio esse, adeoque quod amissio inactionati substrati amissionem portionum per se possessarum post se trahat, remonstret, tunc casu in illo a sponte assumpta evictione removeri non potest; quia nexus, & colligatio possessorii jus unitis viribus instituendæ defensæ tribuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Bonis executis naturaliter inest Evictio, etiam si non assumatur, quia ipsa bona fides, & auctoritas Judiciaria hoc exigit, ut triumphans in fundis aucthore Judice obtentis securifetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) In Cambiis Evictio locum habet, etiam si in Literis per expressum non assumatur, nam Evictio ut ex Titulo 74. Imæ erui potest, Literis Cambialibus plerumque non ideo inferi solet, quasi vero absque expressa insertione penitus locum non haberet, sed præcipue ideo, ut si eadem sub certis conditionibus assumpta est, Partes semet ejusmodi conditionibus accomodare teneantur, & alioquin ipsa bona fides, & natura Cambii exigit, ut Cambiantes semet mutuo evincant. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 6.) Si Evictores evictionem præstare non possint, convinctur etiam in expensis Litis, etiam si eatenus expressa in Evictionalibus cautela posita non fuerit; quia præterquam quod Evictio & natura sua hoc importet, etiam ipsa naturalis æquitas exigit, ut Evictor Evincendum per omnia indemnem conservare teneatur, non conservaretur autem indemnus Evincendus, si Litem respectu Bonorum evictioni obnoxiorum, suscitatum propriis expensis sustinere deberet, & eatenus ab Evictore nullam compensationem obtineret. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si quispiam Bona aliqua exempli causa in Mille florenis comparet, subsequenter vero hæc ipsa Bona pro florenis quingentis alteri fateatur, ita tamen, ut prout eadem ipsemet in florenis mille possedit, ita etiam Fassionarius in pari Summa possidere valeat, ac insuper evictionem super eo assummat, quod Fassionarium in pacifico Boni possessorio manutenere velit, tum in casu illo, quo idem Fassionarius per tertium quempiam impetitus, ex possessorio Boni illius excutitur, Evictor non tenetur Evincendo suo plus, quam quingentos florenos compensare, quia Evictio tam ex indole sua, quam vero ex naturali æquitate nihil aliud importat, quam ut Evincendus, quoad illa, quæ Evictori realiter præstitit, indemnis servetur: quoad talia etenim, quæ sive relaxantur, sive donantur regulariter Evictio locum non habet, cum nemo liberalitatis suæ pœnam sentire debeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Incattus in Processu fundamentali ad Evictores provocet, illi autem ab onere evictionis releventur, postea vero Incattus semet proprio Marte defendens ab impetitione Actoris absolvatur, subsequenter porro Actor noviset, Incattus non potest in fundamentalis Processu jam absolutos, provocare, quia Processum non ille, sed Actor noviset, per consequens Instituto hoc tantum Sententiæ Actori, non vero Incatto onerosæ possunt in melius reformari. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Incattus ad Evictorem provocans, ad hoc, ut provocando illo Terminum obtineat, evictionem legitimare tenetur, tamen si enim regulariter quæstio præstandæ evictionis Evictori, & Evincendo pertractanda incumbat, interest tamen etiam Actoris præcavere, ne Incatti absque ullo fundamento ad Evictores provocando, sub prætextu evocationis illorum, Causam protrahant, & acquisitionem Actoream remorentur. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Successor onus Evictionis per prædecessorem suum assumptæ, ultra vires successione post eundem adeptæ, sufferre non tenetur, quemadmodum enim res, & successio cum onere vadit, ita e converso eatenus, quatenus fundus successionalis deficit, etiam obligatio portandi oneris cessat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Quando Incattus ad Evictorem provocat, & sine hoc Evictionales producit, tenetur sibi illas applicare; neque enim admitti potest, ut prætextu similibus Evictionalium, quas sibi applicare nequit, acquisitioni Actoreæ moram injiciat, & accelerationem justitiæ impediat. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) In actibus personalibus non currit Evictio, quia de ejusmodi actibus nemo alter, quam ipsi Patratores respondere tenentur. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Quando Evincendus Evictorem evocat, quamvis ille evictionem sponte assummat, si attamen Actor eandem controvertat, & obligatio ejus nec ex Lege, nec ex Contractu evinci possit, per Judicium rejici consuevit, quia bonus ordo, & ratio accelerandæ justitiæ exigit, ne cuivis obvio absque prævia legitimatione accessus ad Litem pateat, ac præterea Actoris quoque scire interest, cum quonam ad agendum habeat. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.)

(Dec. 14.) Si Regia Majestas Bona quæpiam non tantum Donatario, sed & Legatariis, ac Cessionariis ejusdem conferat, & Evictionem quoque in Fiscum Regium assummat, licet in paragrafo illo, ubi evictio assummitur, nulla Legatariorum, & Cessionariorum, sed tantum Donatarii fiat mentio, tamen Fiscus Regius etiam Cessionariis evictionem præstare obligatur, quia evictio tamquam onus reale nisi expressis verbis tantum ad certam personam restringatur, inhæret Bonis, eademque concomitatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 15.) Sanguis contra Sanguinem in Bonis Aviticis extraneo possessori solum quoad summam evictionem præstare tenetur, quia talis prætenfus Evictor alioquin jam præjudicavit Sanguini, & prævaricatus est Legi, dum Bonum Aviticum a Familia abalienavit, & in extraneum transtulit, non potest itaque admitti, ut Evincendum suum in Bonis manutenendo, ejusmodi illegalitatem ulterius continuet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Incattus in fundamentali Processu ex jure moto, succumbens, si respectu Summarum, quas Evictoribus suis numeravit, contra eosdem, quos in fundamentali Processu in onere evictionis convinci curare neglexit, via Novi agat, tunc ad hanc Litem non solum Evictores, sed & Litis fundamentalis Actorem evocare debet, qui licet cum de evictionis solum onere agatur, nihil ad opponendum Novisanti habeat, stare tamen Lite in eadem eousque debet, donec evictionis quæstio inter Evincendum, & Evictorem superata fuerit, Novum enim est continuatio prioris Processus, adeoque integritas Causæ exigit, ut omnes, qui fundamentalem Causam ingressi sunt, etiam in Novo simul constituentur. *Tabula Regia.*

(XIV.)

De Depositione.

(Dec. 1.) Depositio statim in limine Processus per Actorem cum tali declaratione, quod omnia acta, & facta acquisitioni suæ quæ ratione obicem ponentia, cum solito onere deponat, interposita admittitur, tum quod eatenus nulla Lex in contrarium obstat, tum vero, quod ejusmodi depositio in bona fide, quæ omnes humanas actiones commendat, radicetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si in casu illo, quo Actor generaliter acta, & facta acquisitioni suæ obstantia, modo provisorio deponit, Incattus expensas petat, tenetur Actor depositionem suam ad specificum reducere, quia Artic. 40. 1729. talismodi expensarum limitationem procedenti Judicio defert, Judicium vero proportionatam limitationem facere non potest, nisi objectum depositionis eidem in specifico constet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Incatti contra Actorem depositione utentem, expensas petant, tenentur illas liquidare, & legitimare, nisi forte Processus, qui depositi fuerunt, nimis antiqui essent, tunc etenim modus legitimandi non suppetit, atque adeo limitatio pro ratione, & circumstantia illorum temporum prudenti Judicis arbitrio fieri debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Depositio in una eademque Causa etiam pluries fieri potest, ubi enim Lex ejusmodi Juridica remedia ad certum numerum restringere voluit, id clare expresit, quod cum circa depositionem factum non sit, idcirco ejus reiterationem Leges admittere voluisse censentur. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Admittitur quidem aliquot vocabulorum, remanente integro Actionis sensu, depositio, si tamen aliquis in Actione Genealogiam suam deducat, & aliquem gradum se erronee designasse animadvertat, ejusmodi erroneum paragraphum deponere, & in locum illius alium substituere non potest, immutatur enim substantia Actionis, cui prætenso Actoris inhæret, adeoque in hoc casu vel tota Actio deponenda, vel Lis penes ipsam prosequenda est. *Tabula Regia.*

(XV.)

De Revocatione Procuratoris.

(Dec. 1.) Si Incattus in Processu fundamentalis succumbat, deinde Repulsione utatur, & ibi rursus per totam Curiam Regiam convictus Executionem subeat, ac demum beneficium Novi cum Gratia arripiat, & in illo etiam Revocationem adhibeat, tunc Revocatio eidem non secus, quam cum majore onere videlicet 50. Marcis admittitur, quia Causa per adhibitam Repulsionem jam ultimum Juris Terminum pertransivit, & per Executionem terminata, adeoque nullo Juris remedio intra Dominium sustentata existit. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) In Processu Novi Judicii Incattus Allegata fundamentalis Processus revocare non potest, tametsi enim indultu Titt. 77. 2^{dæ} remedium Revocationis cum Novo Judicio conjungi, taliterque errores, & defectus in fundamentalis Processu commisi emendari possint, nihilominus præmissa omnia tantum Actori, qui Novo Judicio utitur, competunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Licet Revocatio Procuratoris post finalem Sententiam locum non habeat, si tamen Prohibita interponatur, admittitur, Prohibita enim sistit effectum Sententiæ, adeoque quæ ad alterandam illam remedia suppetunt illa Partibus integra esse debent. *Utraque Tabula.*

(XVI.)

De Litispendingia.

Litispendingia ab evocatione, & citatione computatur, tunc enim Pars I. quoad actionale substratum Liti, & Judiciariæ potestati obnoxiiatur, igitur licet Libellus Actionalis jam Judici exhibitus, imo Evocatoriæ, vel Citatoriæ expeditæ sint, nec tamen Lis pendere dicitur, donec legali via ei, cujus interest, exhibeantur. *Utraque Tabula.*

(XVII.)

De Prohibitâ.

(Dec. 1.) Articulus 38. 1729. respectu totius Causæ decursus tantum duas Prohibitâs admittens, ita debet intelligi, quod in Fundamentalis Repulsionali, & Novi Judicii Processibus simul sumptis, non-

nonnisi duæ Prohibitæ adhiberi possint, quia Repulsionalis, & Novi Judicii Processus sunt tantum continuatio Causæ fundamentalis, per consequens tamquam ad eundem finem tendentes, distinctim considerari non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si Actor Sententiam Incatti absolutoriam prohibeat, nullaque Prohibitæ ratione assignata, Processum per plures Judiciorum Terminos, imo Annos non reassumat, subsequenter vero post effluxum plurium Annorum Causam reassumendo beneficio præattactæ Prohibitæ Sententiam in disfavorem sui latam, evertere velit, tali in casu nulla Prohibitæ reflexione habita, ad viam Novi relegari solet, quia Prohibitæ ratio in continenti reddi debet, & Juridicis remediis in favorem Causantium per Leges introductis, non convenit ad protrahendas Causas, & remoram Justitiæ abuti. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Licet Articulus 38. 1729. Prohibitam ultimis sex Judiciorum diebus non admittendam statuatur, cum tamen dispositio illa eotum adhuc facta sit, dum exiguus in Curia Regia motarum Causarum erat numerus, in pœnamque eorum, qui studiose Causam usque finem Terminis celebrationis Judiciorum protrahere ideotentabant, ut ita acquisitionem alterius retardare, Causamque in alium terminum prorogare possint, jam vero multum adaucto Causarum numero, siquidem Judices ob multitudinem submissarum Causarum nonnullas ex iis serius, imo ipsis ultimis sex Judiciorum diebus revideant, atque adeo Prohibitæ non facto Partium, verum facto Judicum eotum interponi debeant, idcirco jam nunc ex praxi Curiali invaluit, ut Causantes etiam ultimis sex diebus beneficio Prohibitæ uti possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si ob neglectam ex parte Actoris per plures Terminos Causæ prosecutionem Incattus absolvatur, tunc quamvis Actor Sententiam eandem prohibeat, ac penes ejusmodi Prohibitam agere, Causamque prosequi velit, non tamen admittitur eidem ad agendum accessus, quia sententia propter culpofum Actoris in prosecutione Causa per plures Terminos neglectum lata est; per id vero, quod post Prohibitam Causam continuare velit, ejusmodi culpam suam non expiat, si enim ejusmodi Sententiæ Prohibita infringi possent, nulla culpam Actoris maneret pœna, & ideo ut pœnam sentiat, penes distinctam Incatti citationem acquisitionem suam prosequi debet. *Tabula Regia.*

(XVIII)

De Fide Instrumentorum.

(Dec. 1.) Si Actor simplicia paria Literarum Pignoratitiarum producat, ac præterea unum juratum Testem statuatur, qui genuina originalia se vidisse, pariaque iisdem conformia fuisse referat, Incattus vero hanc probam non elidat, talismodi paria ad probandum pignus sufficient, quia juxta Titulum 20. 2^{dæ} in præallegatis circumstantiis possessor jam ita gravatur, ut contrarium possessorii titulum docere teneatur, hoc proinde non edocto, fiat præsumptio de jure, quod Bona actionalia omnino titulo pignoris possideat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet Transumptum Transumpti Donationis, vel alterius Privilegii pro illo, qui in petitorio constituitur, & ad acquisitionem Bonorum ex Jure agit, Lege requisitam juris probam non constituat, possessori attamen ad retinendum possessorium suffragatur, quia Actor in petitorio constitutus, debet adæquatam probam præstare, e converso pro possessore stat præsumptio, quod Bona sua penes talismodi Transumptum Privilegium possideat, nisi contrarium doceatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Esto in antiquo Visitationis Ecclesiasticæ Prothocollo exponatur, quod specificè designata aliqua Sessio ad Parochiam olim pertinuerit, quodve præhabitus in ea Parochorum usus ex falsionibus Testium evenerit, tamen Prothocollum ejusmodi se solo ad probandum præhabitum usum, per consequens ad acquisitionem, nisi simul falsiones etiam Testium authenticatorum in jure producantur, ac præhabitum usus debite doceatur, non sufficit; quia Visitator non poterit haberi pro legitimo Judice ejusmodi præfensionum ad forum Seculare pertinentium, per consequens facta illius in Prothocollo expositio, vel decisio legalem probam non constituit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet juxta Titulum 15. 2^{dæ} & Articulum 42. 1723. simplicia paria legalem in Jure probam non præstent, si nihilominus doceri possit, quod occasione Divisionis inter Masculos, & Fæminas celebratæ, sexui fæmineo par ejusmodi Divisionis extradatum sit, quodve eadem fæminæ penes, & juxta talem divisionem portionem sibi excisam gubernaverint, tunc similia paria inter Convidentes plenam probam præstant, cum enim ex Lege Masculi sint conservatores Literarum Familiæ, idcirco si contra talia paria quampiam difficultatem habent, illi tenentur originalia producere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Tametsi ordinariæ falsiones Testium contra fidem Instrumentorum directæ in Jure attendi non possint, cum utpote Literalia Instrumenta eminentiorem probam præstent, quam Testes, admittitur tamen proba ex falsionibus Testium etiam contra Literas in casu illo, ubi falsionem non per eum, quem jura respiciebant, sed per alium, qui personam illius simulabat, celebratam fuisse doceri potest, ita enim non directe contra fidem Instrumenti agitur, sed error dumtaxat remonstratur. *Utraque Tabula.*

(XIX.)

De Juramentis, & Testibus.

(Dec. 1.) Dum cuiquam Causanti in Processu per Tabulam Regiam Juramentum imponitur, & ille extra Regnum commoratur, vel in aliquo officio publico constitutus, pro depositione talismodi Juramenti ad locum Judicii comparare non possit, tunc pro excipiendo ab eodem Juramento unus ex Prothonotariis solet exmitti, quia justum est, ut in præmissis circumstantiis Causantibus subveniatur, & alioquin Prothonotarius penes exmissionem repræsentat ipsam Tabulam Regiam. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si Testes Contractum coramifantes, puncta ejusdem contra evidentem Contractus, & conditionum tenorem interpre-

ten.

tentur, tunc falsiones eorum in Judiciis attendi non possunt, adeoque tales ab authenticatione removentur, quia in illis dumtaxat casibus, si verba Contractus ambigua, & obscura sunt, falsio Testium ad eruendam claritatem admitti solet, quæ vero se ipso satis clara, & perspicua sunt, illa interpretatione non egent. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Si in *Causa Liquidi Debiti Incattus* probet, quod super exolutione quarumpiam positionum Quietantiæ præexisterint, verum eædem produci non possint, casu in tali Juramentum suppletorium per Incattum super exolutione talismodi positionum oblatum adjudicari solet, quia præexistentia Quietantiarum facit ad minus semiplenam probam, hac itaque non elisa sensu etiam *Articuli 27. 1729.* Juramentum Suppletorium locum habet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 4.) Si *Judex Comitatus* ad executionem, vel alium idgenus actum pro testimonio convocatus, super rebus ibidem gestis sub fidedignitate officii sui Testimoniales extradet, illæ pro actu Judiciario reputari, per consequens legalem probam præstare non possunt, quia talis *Judex* non qua persona Publica, verum dumtaxat in qualitate privati testimonii præmissio actui interfuit, adeoque authenticum de eo testimonium perhibere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Quando *Pars una* in *Processu* Juramentum offert, altera vero illud non acceptat, eo tamen non obstante *Judex* illud *Parti offerenti* adjudicat, parte altera ante, & citra depositionem ejusdem appellante, si ante revisionem *Causæ* pars Juramentum offerens, moriatur, & fora *Revisoria* Juramentum competenter adjudicatum esse decernant, illud pro deposito habetur, adeoque præfensiones, quarum intuitu Juramentum oblatum fuit, liquidæ evadunt, quia facto *Partis* acceptare nolentis accidit, quod illud realiter deponi non potuerit. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 6.) Testibus nonnullis ante authenticationem demortuis, si reliqui adhuc superstites in *Judicio* authenticentur, tunc quamvis *Pars altera* demortuorum pro se reexaminatorum *Collaterales*, & revocatas exhibeat falsiones, illæ tamen simpliciter seponi, & demortuorum conjunctim cum *Testium* authenticatione ultro priores falsiones suas confirmantium, falsionibus assummi solent, stat enim pro his præsumptio, quod priores falsiones, si supervixissent prout alii *Contestes* authenticati, ultro corroborassent, vitiumque quod in contra *Inquisitione* cum prætextuosa revocatione irrepfit, non *Testibus*, sed potius *Inquirenti* attribui debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Testimonium assumptorum *Juri statui* petitorum pro *actus violenti* comprobatione non acceptatur; hi enim consortes *Litis* sunt, igitur eorum falsio merito suspecta esse censetur. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(XX.)

De Præscriptione.

(Dec. 1.) In *Bonis* penes falsionem sub privato *Sigillo* licet iure perennali, & cum clausula: *Nullum Jus &c.* celebratam posses-

sis non præscribitur, quia talis Fassio sapit Pignus, pignus autem non recipit Præscriptionem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quando Actor ad acquisitionem Bonorum ex jure procedens, in probam juris antiquum Privilegium producit, si pars adversa ad elidendam Actionem Præscriptionem taliter alleget, quod Actor intra tempus Lege definitum Privilegio illo usus non sit, per consequens effectum ejusdem non procuraverit, talis Præscriptio non admittitur, quia Actioni, seu potius Liti nunquam præscribitur, nisi in casu illo, quo aliquis Litem suscitatur, & illam intra terminos Lege præscriptos non promoveat, adeoque extra præmissum casum, præscriptio non contra Actionem, seu Litem, verum fundamento possessorii per tempus Lege præscriptum pacifice continuati contra jus prætendentis obverti debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si in Processu ex Jure promotus Incattus præscriptionem alleget, Actor vero Pignus Antenatorum suorum super Bono actionali cuiusdam tertio celebratum opponat, per hocque Præscriptionem elidere velit, tunc tenetur docere, quod idem Bonum titulo obversi pignoris ad manus Incatti devolutum sit, secus enim ille pro Pignoratitio possessore reputari nequit, per consequens allegata per eundem Præscriptio locum habebit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Etiam si in contradictione Fassionibus per Antenatos, aut Condivisionales contradicentis, celebratis, specificè Datum, vel tempus emanationis Fassionum, aut Bona non recenseantur, dummodo tamen Fatentis illius, cujus Fassio invalidari petitur, Nomen exprimat, & contradictio ad cunctas Fassiones & Contractus per eundem Fatentem de Bonis Avitis initos, extensa sit, Præscriptionem sistit, quia generalis illa clausula extensa est ad cunctas species, & omnes actus Fatentis Successoribus præjudiciosos. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si tamen contradictio talis restricta sit ad certas abalienantes Personas, exempli causa: Paulum, & Joannem, eorumque Fassiones, & Actor ad invalidationem Fassionis per Petrum, & Jacobum fratres attacti Pauli, & Joannis celebratæ agat, ut recte de nonnullis portionibus in eadem Possessione, quæ in illa contradictione memoratur, facta sit, præscriptionem tamen non impedit, quia contradictio ad certas personas restricta, ultra mentem, & intentionem contradicentis operari nequit, & ideo nec fassioni per alios factæ, neque portioni, quæ fassione tali translata est, applicari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) In Causis ad invalidationem Fassionum motis, licet Incattus ante meritoriam de validitate Fassionis ferendam Sententiam, adeoque antequam de validitate actum fuerit, præscriptionem obvertat, si tamen ob non edoctam præscriptionem Fassio invalidatur, esto Incattus post ejusmodi Sententiam Prohibita utatur, jam amplius de validitate Fassionis, quod videlicet illa ex necessaria, vel rationabili causa celebrata fuerit, agere nequit, Prohibita enim, quamvis tale beneficium sit, quod vim Sententiæ quadamtenus sistit, cum nihilominus Sententia ejusmodi ex non edocta Præscriptione lata sit, beneficium non tribuit, ut deffectus, & errores in defensa neglecti beneficio Prohibitæ corrigantur,

tur, & ideo si gradualis deffensa neglecta est, ut Incattus eo regredi possit, Revocationis beneficium conjungere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Cambio inter Condivisionales de Bonis talibus, quæ inter ipsos, & Antenatos eorum divisa, quæve pignori locata erant, cum attributa Bona eadem redimendi facultate inito, si Portio unius in Cambium accepta authore Judice amittatur, licet is, a quo Bona in Cambium data adjudicata erant, evolutis jam Annis ad Præscriptionem necessariis ad Boni in Cambium dati reaquisitionem agat, tamen Cambium recipiens, Successorque ejus Præscriptione se tueri nequit, Cambium enim eo ipso, quod inter Sanguinem de Bonis talibus, quæ in ipsos ex communi successione devoluta erant, initum fuerit, jam mutuam Evictionem, sive proportionatam in casu alterutrius damnificationis compensationem exigit, & eo ipso, quod portio cambiata authore Judice Lite tali ad quam & Pars altera cambians citata fuit, amissa sit, jam Cambium pro evanescente reputatur, reciduntque Bona eadem ad Statum Pignoris, in quo occasione initi Cambii erant, & ideo nec tunc etiam si adjudicatio cambiati Boni tempus Præscriptionis transcendat, Præscriptioni locus esse potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si quispiam penes Sententiales Curia Regiæ semet Restatui curare velit, & Possessor Boni Oppositione, vel Repulsionem utatur, Actor vero eundem intra 32. Annos Præscriptionis capaces ad dandam Oppositionis, vel Repulsionis rationem evocare negligat, & demum post completos præscriptionis Annos eatenus Actionem suscitet, tale Institutum non subsistit; cum enim Actor factum Oppositionis, vel Repulsionis intra tempus Lege definitum vindicare intermiserit, jam Liti eatenus suscitandæ præscriptum est. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si Donatarius Contradictores ad dandam contradictionis rationem intra tempus ad Præscriptionem de Lege requisitum, non evocet, amplius Litem ad dandam contradictionis rationem contra illos prosequi non potest, quia quam primum Contradictor occasione Statutionis contradicit, & Capitularis, vel Conventualis illum eatenus in Curiam Regiam evocat, jam Bona collata sub Lite esse censentur, sensu autem Tituli 79. 1^{mæ} Liti si intra Annos Præscriptionis non continetur, præscribitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Quamvis possessorium Bonorum penes Falsionem sub privatis Sigillis obtinens, Falsioni tali Consensum Regium superinductum, & pura Statutione firmatum habeat, tamen fundamento superinductæ puræ Statutionis contra Successorem Falsionem sub privatis Sigillis celebrantis, Præscriptione semet tueri opere nequit, nam eo ipso, quod Titt. 13. 2^{dæ} tales Falsiones nihil perpetuitatis in se continere positive statuatur, & reflexe ad dispositionem hujus Tituli per posteriorem Legem Articulum quippe 47. 1723. Falsiones ejusmodi ad Pignus reductæ sint, in Pignoribus porro Præscriptionem non esse admittendam Titt. 32. 1^{mæ} disponat, jam præscriptioni locus esse non potest. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 11.) Amicæ requisitiones, vel repetitiones, excepto casu Articuli 37. 1729. Præscriptionem non impediunt, quia Lex de for-

ma requirit, ut ad elidendam præscriptionem Inhibitiones, Protectiones, vel Admonitiones coram Locis authenticis fiant, aut medio fidedignarum Personarum peragantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Licet unus Incattorum commune tamen jus foventium in Contumacia convictus sit, Sententiæ tamen ejusmodi ab Executione pendenti præscribi non potest, si quoad reliquos Coincattos Lis terminata nondum est, deffensa enim reliquorum idem jus foventium Litem pendere facit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Præscriptionem allegans quid, quantum, & a quo tempore possideat, in specifico docere, & documenta pro evincenda Præscriptione exhibita possessorio suo in individuo applicare tenetur, nec titulo illo, quod partem Boni inactionati jam olim possederit, residuum subsequente intra tempus Præscriptionis adeptum possessorium præscriptione defendere potest, nisi probaverit partem illam sub pignore suo, vel Antenatorum suorum hæsisse, possessorium enim Pignoratitii possessoris pro possessorio hereditarii reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si quis ex præscripto actuale Incatti possessorium præcedente utu procedat, Actio ei negari solet, Præscriptio enim est Juris beneficium in favorem actualis possessoris contra Actores ad retinenda possessa per Leges constitutum, & dumtaxat pro Possessore, non vero Actore extra possessorium existente, jus constituit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Fiscus Regius ad sublationem Regalium beneficiorum Educilli, & Macelli in Dominiis ad Sacram Regni Coronam devolutis, per Regnicolas in iisdem Bonis Curias, & Domos Nobilitares possidentes, exercitorum procedat, & hi præscriptum possessorium obvertant, non sufficit probare 32. Annorum pacificum usum, cum beneficia ejusmodi Regalia Educilli, & Macelli in respectu corporei Boni pro accessorio, sive fructu, & proventu Boni reputentur, accessoria vero sequi debeant naturam sui principalis, & ideo in ejusmodi Causis Præscriptio per Incattos contra jus Fisci Regii obversa Centum Annorum pacifico possessorio doceri debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Licet respectu Jurium Regalium Educilli, & Macelli Actualis Curia, vel Domus Nobilitaris in corpore Domini ad Fiscum Regium devoluti possessor durante possessorio Notorii Boni ejusdem olim hæreditarii sine contradictione præhabitu, & 32. Annorum spatio continuatum usum probet, non sufficit tamen ad sufferendum jus Regium, & sistendam Actionem Fisci, jam in possessorio Bonorum Notorii existentis, illud 32. Annorum possessorium, & in hoc fundatam Præscriptionem obvertere, quia jam non contra privatum, sed Fiscum velut Bonorum possessorem Præscriptio obvertitur, & ideo præscriptionem contra Jura Fisci requisitam, id est Centum Annorum probare debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Tametsi Titulus 46. & 78. Imæ inter Fratres Præscriptionem non admittant, nihilominus si unus frater post Divisionem alteri fratri portionem suam perennaliter fateatur, & Falsionarius ille talismodi portionem 32. Annis pacifice possideat, relate ad

ad usum præscribit, ita videlicet, ut superstite Fatentis Linea ex possessorio Boni illius excuti non possit, nam præcitatæ Leges præcise quoad hæreditatem, & proprietatem Juris, non vero etiam quoad usum Præscriptionem inter fratres rejiciunt. *Utraque Tabula.*

(XXI.)

De Pænis, quæ sub defluo Processu dictari solent, ut sunt:

Calumnia, Violatio Sedriæ, Infamia, Emenda Linguae, Silentium, pœna temere Litigantium.

(A.) De Calumnia.

(Dec. 1.) Ille qui Causam jam via Novi cum gratia terminatam denuo resuscitat, ipso facto Calumniam incurrit, si enim juxta Titulum 70. 2^{dæ} talis, qui Causam Judicialiter sopitam absque Novo Judicio resuscitat, pœnæ Calumniæ obnoxiat, quanto magis obnoxiat ille, qui acquisitionem Novo cum gratia adeoque jam etiam ultimo remedio sopitam denuo prosequitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet Calumnia perpetuam Causæ amissionem post se trahat, nihilominus convicto Appellata suffragatur, quia interest, ut tam onerosa convictio etiam Revisoria fora transeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Calumniam allegans, & non probans, in pœna talionis convinci non solet, quia eatenus nulla positiva Lex existat, pœnalia autem sine expressa Lege extendi non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Quamvis juxta Titulum 70. 2^{dæ}, qui Causam jam per ultimum etiam Forum revisam, adeoque terminatam absque gratia Principis sine videlicet beneficio Novi cum gratia resuscitant, non tantum in perpetua substrati Causæ amissione, sed insuper in florenis 200. auri convincendi veniant, ille tamen cui factum Advocati erroneum ante petitam per Incattum præcitati Tituli pœnam non constitit, & super ignorantia facti Procuratoris sui circa videlicet qualitatem conceptæ, & præsentatæ Actionis, quam ejusdem suppositæ dexteritati concredit, Juramentum offert, ac in bonæ fidei uberius argumentum Causam cum solito onere deponit, nisi Incattus Actorem ad ejusmodi Actionis concinnationem facto suo concurrisse probet, absolvi solet, quia citatus Titulus illos gravi adeo pœnæ subjiendos præscribit, qui scienter & malitiose Causas plene terminatas sine gratia Principis, sive absque ultimo Novi cum gratia remedio resuscitare præsumunt, jam vero is, qui facto suo ad concinnationem ejusmodi Actionis non concurrat, adeoque qualitatis conceptæ, & præsentatæ per Advocatum Actionis ignarus est, pro malitiose, & scienter Litem suscitante reputari non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Quamvis pœna Calumniæ potissimum ex eo, quod perpetuam Causæ amissionem post se trahat, sit nimium gravis, adeoque dictatio illius ad altiora Fora pertinere videatur, nihilominus eandem non per modum Emendæ Linguae, sed cum illis attributis, & in illa qualitate prout per Legem statuitur etiam Judex pedaneus adjudicare, & in executionem summere potest, quia Titt.

70. 2^{dæ} eatenus generaliter disponit, & activitatem Judiciorum hoc in passu non classificat. *Utraque Tabula.*

(B.) *De violatione Sedis Judiciariæ.*

Si quis in Judicio Sententias Judiciarias vellicet, easdemque pro falsis, & infundatis declaret, talis convincitur in violatione Sedis Judiciariæ, id est 25. Marcis gravis ponderis, in duabus Judici, in tertia autem partibus adversario cedentibus, & appellata admittitur extra Dominium, si nihilominus convictus stante Sede onus deponere velit, tunc convictionem cum minori onere, id est 25. Marcis levis ponderis compensare potest, cum enim Sedes Judiciariæ pro Sacris, & religiosis habeantur, idcirco tales, qui similia Loca inconvenientibus dictis profanant, merito puniuntur. *Utraque Tabula.*

(C.) *De Infamia.*

(Dec. 1.) Si quispiam in Processu falsis Literis utatur, & Pars altera tam contra illum, qui iisdem scienter utitur, quam & Advocatum ejus pœnam Infamiæ petat, tunc non solum Pars iis utens, sed & Advocatus convincitur, qui enim operam ad utendum evidenter falsis Literis alteri scienter locat, pœna contra utentes statuta dignus est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Pœna Infamiæ tali Advocato irrogari non solet, qui vitium Sigilli, vel Scripturæ se non observasse, vel qui se Literis solum eatenus quatenus illas valere Judicium agnoverit, uti velle declarat, ac post admonitionem Partis adversæ, & agnitum defectum ab iis recedit, talis enim pro scienter, & temere utente reputari haud potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Immunes præterea sunt a pœna Infamiæ illi, qui in Processu non tam Advocati, quam nominis tantum latores esse comperti fuerint, præcipue si probetur, quod ipse Principalis Causam in eadem egerit, Advocatus vero occasione illa, qua per Principalem falsa ejusmodi Instrumenta producta sunt, absens fuerit, nec subsequente post objectam falsitatem Literas ejusmodi defendent, ac pro realibus propugnaverit, quia contra hos, nec dolus sufficienter, tantominus temerarius usus probari potest, ob nudam vero comparitionem gravis adeo pœna irrogari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si aliquis propterea quod falsis Literis scienter in Judicio usus sit, in pœna Infamiæ convincatur, postea vero ejusmodi Sententiam prohibeat, & beneficio Prohibitæ Juramentum purgatorium super eo offerat, quod sibi earundem Literarum falsitas non constiterit, quin imo, quod tales Literæ ab Antenatis suis in illa forma sicut in Processu productæ fuerunt in se devolutæ, adeoque bona fide exhibitæ sint, & altera Parte non difficultante, talismodi Juramentum deponat, tunc convictus a pœna Infamiæ absolvitur, quia juramenti purgatorii tamquam Litis decisorii ea est indoles, ut illud deponens ipso facto absolvi debeat. *Utraque Tabula.*

(D.) *De*

(D.) De Emenda Linguæ.

(Dec. 1.) Si in **Causa** reali Incattus Actoris Nobilitatem, & litigandi capacitatem doceri petat, propterea in emenda linguæ convinci non potest, quia circa Nobilitatem capacitari petendo, eandem directe non negat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quamvis Advocatus Causam in Partibus promotam, etiam absque nova Procuratoria constitutione in Foris Revisoriis cum annutu Principalis sui continuative promovere possit, si nihilominus Causam talem, quæ jam per Transactionem in Partibus sopita est, absque scitu Principalis sui, adeoque sine ullo mandataria fine revisionis in Levatam deducat, in emenda linguæ convinci solet, quia taliter directe contra mentem, & intensionem Principalis sui in manifestam Partis alterius vexam agit. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Quamvis juxta Articulos 34. 1574. ac 35. & 36. 1723. Procuratoriæ Literæ generaliter emanatæ, post Anni unius effluxum a die emanationis earum computandum, vim amittant, per consequens illi, qui penes ejusmodi jam viribus destitutas Procuratorias Literas pro Principalibus suis in Judiciariis Processibus comparent, velut sufficienti Mandataria destituti, in pœna emendæ linguæ convinci soleant, si tamen Fiscalis Procurator penes ejusmodi Procuratorias Literas, quibus ipsum Principalis coram Loco authentico certi Dominii sui Procuratorem Fiscalem constituit, in Lite tali, quæ recte idem Dominium tangit, compareat, esto constitutio illa jam terminum præcitorum Articulorum transcendat, pœnæ Emendæ subjici non potest; quia prout tunc si Procuratoriæ ad exitum certæ Causæ extensæ sint, constitutio juxta Articulum 36. 1723. non per Annum, sed eousque, donec Causa talis plene terminata fuerit, vim retinere soleat, ita illæ, quæ Procuratori Fiscali qua tali pro Causis, & negotiis Principalis sui Bona ejus tangentibus concessa sunt paritate præcitati Articuli eousque, donec munus tale gesserint, vim retinere debent, per consequens extraordinaria ejusmodi Procuratoria constitutio sub sententiam Legum de ordinariis constitutionibus sancitarum, cadere non potest. *Tabula Regia.*

(E.) De Pœna Silentii.

Advocatus Pauperum Salario provifus, si cum Principalibus suis, quorum Causas ex debito officii promovere obstrictus est, de quotta Litis conveniat, vel cum Parte altera colludat, pœna perpetui Silentii punitur, egit enim contra obligationem, ad quam se juramento obstrinxit, & ideo jure merito ab agendo in perpetuum removetur. *Utraque Tabula in hac quæstione Juris.*

(F.) De Pœna temere Appellantis.

(Dec. 1.) Is, qui coram primæ Instantiæ Judice in merito Causæ, & ejus accessoriis succubuit, esto subsequente etiam in foris Superrevisoriis in merito succumbat, si tamen vel unius intermedii Fori Sententia a fructibus, expensis, aut aliis idgenus in quibus jam convictus erat, sublevetur, amplius pœna Articuli 32. 1729. per Supremi Fori Sententiam gravari non solet, cum enim in via Appellationis faventem in parte receperit Sententiam, pro Appellatam

temere prosequente (quos præcitatus Articulus in expensarum refusione convincendos statuit) reputari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) E converso: si quispiam æqualiter, & simpliciter in omnibus Foris succumbat, eo tamen non obstante Appellatam temere prosequatur, & per omnia Fora deducat, tunc licet *Causa* alias ex indole sua refusionem expensarum non recipiat, licet item *Pars triumphans* expensas non petat, tamen *Succumbens* in illis vincitur, merito enim ad expensas condemnatur talis, qui infundatam *Litem* per omnia Fora traduxit, & tot *Judicia* cum remora aliarum *Causarum* fatigavit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quispiam coram *Vice-Comite*, vel *Judium Comitatus* in merito triumphet, in *Sedria* vero *Sententia* inviatoria feratur, & *Processus* pro continuatione ad primæ *Instantiæ* *Judicem* remittatur, licet postea idem triumphans, tam coram primo illo *Judice*, quam vero in omnibus subsequis *Foris* succumbat, tamen per *Tabulam Septem-Viralem* ab expensis temere *Appellantis* relevatur, cum enim primus *Judex* in merito *Causæ* duas discrepantes *Sententias* tulerit, atque adeo *Appellans* merito dubitare poterit, quænam ex illis majori fundamento nitatur, & in foris *Revisoriiis* approbanda sit, idcirco pro temere *Appellante* quos *Articulus 32. 1729.* in expensis convincendos præcipit, reputari non potest. *Utraque Tabula.*

(XXII.)

De Expensis Litis.

(Dec. 1.) *Expensæ Executionales* non solent in *Processu* limitari, verum relegantur ad actum executionis, & ibi debent per prætendentem liquidari, & legitimari, ac ita demum per *Exequentem* limitantur, quia *Judicium* non potest in antecessum scire qualesnam expensas sit habiturus *Triumphans* occasione executionis, per consequens accuratam eatenus limitationem facere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet in *Causis* ad pœnam *Violentiæ* suscitatis, *Incattus succumbens* in expensis etiam *Litis* juxta *Titulum 67. 2dæ* *Articulum* item *55. 1492.* convinci debeat, si tamen *Actor* coram primæ *Instantiæ* *Judice*, sive respectu qualitatis sui usus, sive prætensi actus actionalis probas suas ad requisitam claritatem non deducat, adeoque *Forum Superrevisorium* sine eo, ut probæ *Actoris* ad debitam claritatem deducantur, *Causam* ad primæ *Instantiæ* *Judicem* remittat, esto demum in *Continuatorio Processu* *Actor* defectum suppleat, ac ita contra *Incattum* convictiva feratur *Sententia*, nihilominus ab ejusmodi expensarum usque remissionem *Causæ* erogatarum, refusione simpliciter absolvitur, quia eo ipso, quod *Actor* adæquatam, & circumstantialem probam, quam vi *Actoris* muneris præstare debet, intermittat, vel debite adhibere negligat, acquisitionis suæ probam præstare debet, jam expensas culpa sua accumulatas tolerare, & sufferre debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si *Actor* incompetentem *Judicem* eligat, propterea que *Judicatus* condescensionem experiatur, postea vero coram competentem *Judice* *Processum* instituat, & triumphet, expensæ in *Processum*

cessum coram incompetente Judice promotum, erogatæ, etiam si alias natura Causæ illarum refusionem exigeret, eidem adjudicari non solent, quia culpa illius accidit, quod incompetentem Judicem eligendo inanes expensas profuderit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet juxta Articulum 40. 1729. Actor, qui Depositione utitur, expensas Litis Parti adversæ refundere teneatur, si tamen Actioni suæ simpliciter cedat, Incatto expensæ Litis adjudicari non solent; quia Incattus alioquin sufficienter beneficiatur per id, quod facto Actoris absolvatur, & ab ulteriori impetitione conquiescat, sed & alias de expensis per indebite Litigantes refundendis, adhuc nulla per Leges provisio facta est. *Utraque Tabula.*

(XXIII.)

De Appellata.

(Dec. 1.) Si una Partium litigantium a Sedria ad Tabulam Regiam appellare negligat, licet occasione revisionis pro parte Appellante factæ eveniat, quod Pars illa appellare negligens, adhuc favorabiliorem Sententiam consequi deberet, nihilominus in Tabula Regia nullus amplius favor eidem adjici potest, negligendo enim Appellatam in Sedria, in Sententiam illam consensit, adeoque facto suo amplius refragari nequit. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Licet Ignobilis persona cum Nobili proprio Actoratu litigare de Lege non possit, in Causis tamen ex incapacitate motis, succumbenti Appellata negari non potest, si enim in primo Foro egit, non obstante conditione Ignobili, non videtur cur in Super-revisorio jus suum via Appellationis prosequi non posset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) In Causis ad obtinendam successionem motis, si agatur respectu rerum mobilium 12000 florenorum excedentium, & illæ per deficientem extraneo legatæ sint, Appellata Incatto succumbenti intra Dominium competit, quia aquisitione ejusmodi mobilium, vel summarum, velut jam præ manibus extraneis hærentium, ad Causas ordinariæ successionis reduci nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Cum ab exceptivis, & Interlocutoriis Sententiis Appellata de Lege non competat, hinc etiam si Judex in Partibus procedens ab ejusmodi Sententiis Appellatam admittat, nisi attamen succumbens Mandatum Transmissionale impetret, Tabula Regia Processum pro irrevivibili declarare solet, cum indignum videatur, ut Judex subalternus Judici superiori necessitatem imponat Sententiam talem revidendi, quæ alias ex Lege Appellatam non recipit. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si Causam talem, quæ de Lege ultra Sedriam appellari non potest, Sedria ad Tabulam Regiam transmittat, Tabula Regia illam revidere non solet, ratio est, quia Judex cum Lege dispensare non potest, & alioquin talis Sententia vi cujus ejusmodi Appellata illegaliter admissa est, pariter revisioni Tabulæ Regiæ subjacet, si itaque illa Appellatam contra Legem admissam esse comperit, merito illam rejicere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Si Actor ab Actione deliberative amoveatur, suffragatur ei Appellata, quia Actio complectitur totum Causæ meritum, proinde Actor ab illa amotus, a prætensione sua simpliciter cadit, hoc vero idem importat ac si Incattus simpliciter absolveretur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Causa contra plures Incattos, & respectu diversorum Bonorum decurrat, licet quoad aliquos Incattos per finalem Sententiam terminetur, & illi Appellatam interponant, Processus attamen quoad illos pro revisione eorumque non transmittitur, donec etiam quoad reliquos Incattos terminetur; quia dum Actio plura membra continet, etiam si unum, vel duo decidantur, adhuc tamen Processus pendere censetur. Processu autem pendente, Appellata admitti nequit, sed & alias Fora Revisoria duplici labore gravarentur, si talismodi Causam respectu cujusvis Incatti singillative, & quidem distinctis temporibus assumere, & revidere deberent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si quispiam ex non deffendit convincatur, Appellata illi non suffragatur, talis enim convictio fertur contra Incattos in pœnam morositatis, non cederet autem illis in pœnam, si non obstante præmissa convictione sub prætextu Appellatæ ultro quoque possessorio Bonorum immanere possent, & alioquin in casu convictionis ex non deffendit latæ, non subversatur meritum revisionis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si aliquis in Causa Tabulari in utraque Regia videlicet, & Septem Virali Tabulis succumbat, & deinde cum gratia Noviset, rursusque in Tabula Regia succumbat, tunc amplius eidem ad Septemviratum Appellata non suffragatur, licet enim Titulus 6. 3^{tiæ} eatenus solum de Foris pedaneis disponat, nihilominus praxis Judiciaria ex identitate rationis, & sine diminuendarum Litem concurrente etiam Articulo 30. 1729. præmissam Legis dispositionem jam etiam ad Causas Tabulares extendit. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Actori Causam Tabularem prosequenti, & in Processu Fundamentali in utraque Tabula succumbenti, deinde Novum cum gratia impetranti, & hoc Instituto in utraque Tabula triumphanti, si subsequenter in Processu Novi cum gratia per succumbentem promotum coram Tabula Regia tamquam Foro primæ Instantiæ succumbat, amplius Appellata ad Tabulam Septem Viralem non admittitur, quia ad instantiam illius jam Causa fundamentalis Curiam Regiam pertransivit, per consequens sensu Tituli 6. 3^{tiæ}, & Articuli 30. 1729. denuo eorsum provocare non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Quamvis Actor pro comprobanda acquisitione sua Literas meritum Causæ tangentes, producat, si tamen per Sententiam Judicis ad distincta, & competenti via prosequendam acquisitionem relegatur, utut pro motivo concedendæ Appellatæ jam per exhibitionem Instrumentorum meritorie actum fuisse adducat, beneficium nihilominus Appellatæ ei concedi non solet, quia eo ipso quod ad distinctam Litem relegatus sit, jam ei penes Actionem præerectam Actoratus contra Incattum denegatus esse censetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.)

(Dec. 10.) Si Incattus post pronunciatam Fori Revisorii Sententiam, Appellatam interponere negligat, esto a primæ Instantiæ Judicis Sententia appellaverit, illa tamen eidem post latam Revisorii Fori finalem Sententiam ultro non suffragatur, quia eo ipso, quod per distincti Fori Judices Sententia feratur, jam Appellatæ beneficium iterare debet, illa vero neglecta, in latam Fori ejusdem Sententiam consensisse reputatur, & ideo Causæ tales tantum parte in ea in quantum altera Pars Appellatam prosequitur, revideri, nec ulla in favorem Appellatam interponere negligentis, Sententia ferri potest, cum Judex illi, qui beneficio Legis uti non vult, favorem præstare nequeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si Incattus in Causis disputationem Actoratus Personalis recipientibus Nobilitatem Actoris impugnet, & tam Actor pro edoctioe Nobilitatis suæ, quam Incattus in obversum probas adducant, ac ita Actoratus ejus ob sufficienter non edoctam Nobilitatem, ex probis per Incattum adductis, coram primæ Instantiæ Judice condescendat, esto is Appellatam eidem admittat, Sedes vero Judiciaria Nobilitatem Actoris ex Processualibus actis pro indubia declaret, ac Incattum in pcena Tituli 36. 2^{dæ} convincat, tamen si Tabula Regia fundamento non edoctæ Nobilitatis Sententiam Vice Comitum approbet, Appellata non admittitur, nec obstat, quod de majori damno agatur, quam si Bonum aliquod abjudicatum esset, quia Sententia Vice-Comitum per Tabulam Regiam approbata subsistit in Actoratus condescensione, ab ejusmodi vero Sententiis Appellata non conceditur. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Appellata illa die debet interponi, qua die Sententia finalis lata est, secus enim Succumbens in illam consensisse censetur, per consequens Sententia transit in rem adjudicatam. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Tametsi ut præmissum est, Appellata illa die interponi debeat, qua finalis Sententia lata est, si nihilominus post ejusmodi Sententiam Prohibita interponatur, licet beneficio illius prorsus nihil actum sit, tamen potest etiam post plures dies prohibita cedi, & tunc primo Appellata substitui, quia remedio Prohibitæ præmissa Sententia suspenditur, & primo tunc finalis evadit, quando a Prohibita depuratur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) In casu tali, quando in Processu quopiam Maritus ex Contumacia vincitur, verum ante peractam executionem moritur, & Vidua ad subeundam executionem citata hoc allegat, quod Marito in nihilo successerit, per consequens onus ex convictione ejusdem emergens, sufferre non teneatur, eo tamen non obstante vincitur, Appellata eidem denegari, & revisibilitas Causæ coram Foris Revisoriis in quæstionem summi non potest, licet enim contra Contumaces omnia Jura clament, cum nihilominus casu in præmissis Vidua se jure proprio defenderit, idcirco eidem legalis defensa & gradualis Appellata præcludi non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Actor triumphet, Succumbens vero executionem Sententiæ oppositione impediat, Triumphans porro ommissa oppositionis vindicatione, Succumbentem ad revisionem Processus fundamentalis evocet, talis Causa pro irrevisibili declarari solet, cum

enim Oppositio in casibus Lege definitis in favorem Succumbentium introducta fit, idcirco beneficio hoc privari non possunt, verum eatenus audiri debent, & alioquin ejusmodi revisio relate ad Triumphantem nullum effectum producere posset, quia etiamsi Sententia Judicis primæ Instantiæ approbaretur, tamen Executioni semper obstaret Oppositio, donec sua via removeatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) Si quispiam intra Dominium appellans, Appellatam per 32. Annos præscriptionis capaces non prosequatur, Causa talis pro irrevivibili declaratur, quia quemadmodum juxta Titulum 79. 1^{mæ} intra 32. Annos Litis motioni, ita etiam Appellatæ præscribitur. *Tabula Regia.*

(Dec. 17.) Si quispiam Appellatæ in Processu fundamentalis interpositæ cedat, deinde vero Noviset, ac demum Processum Novi deponat, taliterque Causam fundamentalem revideri curare velit, in tali casu Processus ille pro irrevivibili declaratur, quia per depositionem Novi præattacta cessio non tollitur, adeoque Appellata non reviviscit. *Tabula Regia.*

(Dec. 18.) Si Sedria Processum Oppositionalem absque Fundamentalibus, qui pariter appellatus fuit, revideat, tunc Oppositionalis illucque in Tabula Regia pro irrevivibili declaratur, donec fundamentalis in Sedria revideatur, & via Appellatæ ad Tabulam Regiam transmittatur, quia rationes Oppositionis solent depromi ex Processu fundamentalis, per consequens propter connexionem quoque substrati iste sine illo revideri & decidi non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Si Actor in Processu fundamentalis succumbens, eundem via Novi resuscitet, verum occasione Terminis Causam non levat, taliterque in Judicio Regali convincatur, Incattus vero absolvatur, subsequenter porro Novifans Causam fundamentalem in altioribus Foris revideri curare velit, talis Causa pro irrevivibili declarari solet, cum enim nemo duobus Juridicis remediis sibi invicem non subordinatis, ad semel uti possit, idcirco quamprimum Actor Novo usus est, statim Appellata in Processu fundamentalis cessavit. *Tabula Regia.*

(Dec. 20.) Si Judex Comitatus Causam finaliter decidat, occasione autem revisionis Sedrialis Judicatus condescendat, nihilominus Causa ex interventu benigni Mandati Regii pro revisione ad Curiam Regiam deducatur, licet ibidem in Tabula Regia, vel Septem Virali præsumptus Judicatus pro competente adinveniatur, tamen ea, quæ ultra quæstionem Judicatus in Processu acta sunt, in revisionem non assumuntur, verum stabilito Judicatu Processus prævia pro ratione circumstantiarum reexequendorum reexecutione, pro continuanda revisione, & ferendo quoad reliqua iudicio ad Sedriam remittitur, quia Curia Regia ea revidere non potest, quæ in Foro intermedio adhuc revisionem non subiverunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si in Causa Transmissionali alterutri Partium primo in Tabula Regia Juramentum Litis decisivum imponatur, tunc illi, qui se Juramento gravatum esse reputat, Appellata ad Tabulam Septem-

Septem-Viralem admittitur, quia Articulus 30. 1729. Parti Juramento gravatæ, ante, & citra depositionem illius provocationem ad altius Forum admittendam statuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Si Judex Subalternus Causam evidenter extra Dominium transmissibilem, intra Dominium Partis succumbentis ad Fora Superrevisoria transmittat, & Triumphans occasione Levatæ in Tabula Regia factæ revisibilitatem ex præmisso incidenti contravertat, tunc ibi Causa usque peragendam Executionem pro irrevisibili declaratur, & pro executione ad Partes remittitur; quia non convenit ut Pars Triumphans facto Judicis beneficio sibi ex Lege competente, vel ad modicum tempus frustretur. *Tabula Regia.*

(Dec. 23.) Si in expeditione Processus revidendi aliquod documentum exmissum sit, proptereaue Tabula Regia sine eo, ut illud adjiciatur, & Processus integre expediatur, eundem ad Partes remittat, interim præattactum documentum præsto sit, adeoque adeo defectus ille statim suppleri possit, tunc Tabula Regia non obstante remissoria Sententia, Processum in revisionem assumere solet, quia obstaculo revisionis taliter jam sublato, causa remissionis cessat. *Tabula Regia.*

(Dec. 24.) Si quispiam Appellatam in Foris Subalternis intra Dominium admissam, per tres Menses non prosequatur, amittit beneficium Appellatæ intra Dominium prosequendæ, adeoque Causa pro peragenda Executione ad Partes remitti solet, nam paritate Tituli 35. 3^{tiæ} & eatenus Anno 1725. emanati benigni Mandati Regii explanatorii, post lapsum trium Mensium excepto tamen tempore Juristitiali, Sententia in rem adjudicatam transit, & nonnisi extra Dominium revisibilis evadit, hocque ideo, quia nisi aliquis Terminus prosequendæ Appellatæ statueretur, tunc illi, quibus Appellata intra Dominium admittitur, prosecutionem illius in infinitum differrent, tantum ut eo diutius in possessorio Bonorum permanere possent. *Tabula Regia.*

(Dec. 25.) Si Pars in Processu fundamentalis succumbens cedat Appellatæ, & Novo simplici utatur, ibidemque rursus succumbens appellet, beneficio talismodi Appellatæ Processus fundamentalis in revisionem assummi non potest, sed tantum Processus Novi Judicii revidetur, Processus autem fundamentalis dumtaxat per modum Producti assummitur, tametsi enim Novum censeatur esse continuatio Processus primitivi, nec tamen propterea beneficio illius Appellata, cui semel cessum est, reviviscit, secus enim sequeretur, quod etiam in tali casu ubi Succumbens in Processu Fundamentalis plane non appellat, eundem beneficio Novi Judicii revideri curare posset, cum perinde sit, seu quis simpliciter non appellet, seu vero interpositæ Appellatæ cedat, quemadmodum itaque in casu priori revisio Causæ Fundamentalis penes Novum non obstante eo, quod censeatur esse continuatio illius, obtineri nequit, ita nec in posteriori casu hoc beneficium suffragatur. *Utraque Tabula.*

(XXIV.)

De Executione et Re-executione.

(Dec. 1.) Si occasione Executionis Succumbens fundum denominet, eo tamen non obstante Triumphans cum Exequirente Judice sine sufficienti Vicinorum, & Commetaneorum testimonio Domum succumbentis contra iteratas ejusdem protestationes sine peragenda Executionis ingredi tentet, tali in casu licet Succumbens adhibita etiam vi, Actorem impediret, propterea tamen nulli pœnæ subjici potest, quia similis defensa fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ etiam cum incommodo Aggressoris impune exercetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) In casibus illis ubi correctio defectuosæ Executionis ex insufficientia executi fundi penes Mandata desideratur, legitima etiam citatio ad Executionem cum præfixione competentis Terminum adeo necessaria est, ut si illa negligatur, Incattus Executionem iteratis etiam vicibus impedire possit, nec eatenus pœnæ binariæ turbationis obnoxius erit, consummata enim semel Executione, Causa jam plene terminata est, nec illa quocumque sub prætextu parte in aliqua sine nova, & competenti Citatione resuscitari potest, & cum agatur ex insufficientia executi fundi ad correctionem, audiri etiam debite, & legali forma debet Pars interessata, quo legis beneficio alias si sine nova, & debita citatione Executio tentari posset, privaretur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quispiam penes Mandatum Re-executorium ad re-executionem Boni pro possessore illegitime executi procedat, & talis Re-executio decernatur, tunc possessor non tantum in restitutione Boni, cum fructibus medio tempore perceptis convincitur, sed etiam deteriorationes medio possessorii sui tempore in Bonis Actionalibus evenientes, refarcire tenetur, quia in præmissis casu priori Executione evanescente, damnificatus in illum statum reponi debet, in quo ante Executionem fuit. *Utraque Tabula.*

(XXV.)

De Æstimatione.

(Dec. 1.) Dum Actor ex jure triumphat, tenetur Succumbenti expensas Metales in Bona Actionalia medio possessorii tempore erogatas, præterea sumptus pro redemptione Juris Armorum, & in Processus Neo-aquisticos impensos, ac demum pretium ædificiorum, & Meliorationum in fundos, intra, & extra villanos seu in parato ære, seu vero in æquivalenti impensum, & per Exequentem condigna æstimatione mediante eruendum adjustare, quia hæc omnia Actori cedunt in emolumentum, & lucrum hæreditatis suæ. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Æstimationes ædificiorum regularium debent fieri per Opifices Artis peritos, & prævie per Exequentem Juramento super eo adstringendos, quod talismodi ædificia, & structuras seposito omni excogitabili humano respectu, secundum regulas Artis suæ juste, & conscientiose æstimare velint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.)

(Dec. 3.) Æstimatio autem talium ædificiorum, quæ per Moli-
tores, vel Rusticos constructa sunt, consuevit fieri itidem per Mo-
litores, aut Rusticos ejusmodi structurarum peritos, & pariter ut su-
pra per Exequentem prævie adjurandos. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Ædificiorum reparationes medio possessorii tempore
factæ, distinctim æstimari, & compensari non solent, quia tales pos-
sessoribus incumbunt, & alioquin ædificia occasione Executionis in
illo, quo reperiuntur statu, æstimari consueverunt, adeoque ejus-
modi sub possessorio factarum reparationum valor summæ æstima-
tionis executionaliter peractæ jam inest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si proventus Bonorum absque sumptibus possessoris
accrescant, talis Melioratio sub æstimationem, & compensationem
non cadit, quia præcise casui, aut felicitati temporum adscriben-
da est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Impopulationes per Hypothecarium possessorem sum-
ptibus procuratæ, æstimari, & beneficiari solent, quia Proprieta-
rio cedunt in lucrum hæreditatis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Ædificia, & structuræ Deo, & Religioni sacratæ æsti-
mari, & bonificari non debent, quia cadunt extra commercium hu-
manum. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Admissa Pignoratitiis, & Arendatitiis Literis ædifican-
di in Bonis facultate, si Pignoratitius possessor Hortum plantari cu-
ret, æstimatio pretii ab utilitate solum ex plantatis arboribus,
aliisque fructiferis arbutis proveniente cum supputatione necessa-
riarum in illius conservationem impensarum erui debet, Pignorati-
tius enim possessor non nisi in quantum ædificia, & plantationes uti-
les posuit, sumptuum recompensam prætere potest, nam si quævis
ædificia, & plantationes non spectata earum utilitate compensari
per Proprietarium deberent, daretur campus Pignoratitiis possesso-
ribus ita Proprietariorum Bona gravandi, ut hi ob excessiva, quæ
Pignoratitius superinduceret onera, vix hæreditates suas adire pos-
sent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si vero per Pignoratitium possessorem Vineæ planta-
tæ fuerint, illarum æstimatio, habita ratione qualitatis terræ, &
situs juxta consuetudinem vicinorum locorum, secundum Fossorum
numerum peragi debet, prout enim merces operariorum pro ratio-
ne qualitatis terrarum, situs item, & consuetudinis diversa est, ita
præter hanc securior alia sine præjudicio Partium idæa æstimatio-
nis statui nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Donatarius obtenta Statutionis puritate a Posses-
sore, qui penes simplicem Cameralem Contractum Actionalia Bo-
na possedit, deteriorationis sub ipsius possessorio factæ bonifica-
tionem præterdat, non adjudicantur omnes in genere deteriora-
tiones, verum tantum illæ, quæ a tempore Statutionis interve-
nerunt, cum prius nec ad Bona, igitur nec ad reparationem damno-
rum præensionem formare possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Pignoratitio etiam possessori sumptus in Metales Pro-
cessus, vel alios, in defensionem quippe Jurium impensi per Pro-
prie-

prietarium refundi debent, quia in utilitatem Proprietarii, & stabilitum Jurium ejusdem erogati sunt, adeoque in beneficium proprietarii cedunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Pretium lignorum, & aliorum Materialium in Bonis pignoratitiis reperibilium occasione æstimationis ædificiorum per Pignoratitios positorum a Summa æstimationis subtrahi debent, quia proprietarius ad illorum dumtaxat refusionem obstrictus est, quæ per pignoratitium possessorem sumptibus procurata sunt, cum Pignoratitius possessor usum fructum dumtaxat, & non proprietatem in se translata habeat, adeoque proprietas respectu ejusmodi Materialium ad hæreditarium pertinet. *Utraque Tabula.*

(XXVI.)

De Oppositione.

(Dec. 1.) Licet plurium nomine Oppositio interponatur, si tamen respectu ejusdem communis juris, aut substrati Executio intentata est, tunc non singillative, verum omnes simul sumpti in una Oppositionis pœna convincuntur; unum enim jus foventes, pro una Persona reputantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet Pars opponens in Processu fundamentalis, favorem in Foro superrevisorio obtineat Sententiam, si tamen oppositionem ex admissis quatuor causis legitimare non possit, in pœna Oppositionis convincitur; illius enim legalis ratio ad casus Articulo 33. 1729. specificatos, & ad manifestam Judicis incompetentiam ex praxi Curiali ita restricta est, ut ex aliis fontibus petita, locum non habeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quispiam ex actuali possessorio semet Executioni opponat, & subsequenter eatenus in Jus vocatus, hanc Oppositionis rationem assignet, quod ad Processum fundamentalem citatus, & in eodem convictus non fuerit, nemo autem nisi legitime citatus, & Juris ordine convictus in Persona, vel rebus suis damnificari possit, hæc ratio non acceptatur, nisi Opponens docere queat, se jam occasione Fundamentalis Litis in reali Boni Actionalis possessorio præfuisse, atque adeo ad illam citari debuisse, si etenim hoc probare non possit, legitime concluditur eundem primo post convictivam Sententiam adeoque in elusionem illius possessorium cepisse, quod tamen Triumphanti præjudicare nequit, cum ille per Sententiam pro favore suo latam, in Bono Actionali jus quæsitum obtinuerit, quo absque remedio Juris amplius privari non poterat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si in Causa Oppositionali Pars I. Processum Fundamentalem sine eo produci petat, ut exinde rationes oppositionis depromere possit, productio illius Actori imponi non solet, isti enim nihil aliud incumbit, quam ut factum Oppositionis doceat, & alioquin nemo contra se ipsum Arma suppeditare tenetur, per consequens si Incattus rationes Oppositionis ex Processu primitivo desumere vult, tunc eundem ipsemet expediri curare, & producere obligatur. *Tabula Regia.* E converso:

(Dec. 5.)

(Dec. 5.) Si in Oppositionali, vel Repulſionali Cauſa tam Actor, quam Incattus ad proceſſum Fundamentalem provocent, & uterque deſſenſam ſuam exinde depromat, tunc productio illius Actori imponi conſuevit, quia Actori incumbit proba, & in pari cauſa favorabilior eſt conditio poſſeſſoris, quam in petitorio conſtituti. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si in Proceſſu Fundamentali Actori quæpiam Sefſio adjudicetur, & illam Incattus executioni ſubſternat, interim Exequens etiam aliquem alium fundum ſub prætextu illo, quod ſit appertinentia adjudicatæ Sefſionis in executionem ſummere tentet, & ea in parte Succumbens Oppositione utatur, talis Oppofitio ſubſiſtit, nam quæſtionem illam utrum ſimilis fundus ſit appertinentia Sefſionis adjudicatæ, nec ne? decidere Exequenti non competit, per conſequens dum eatenus ſe imittit, contingere poſſet, ut executionem ad Bonum Proceſſui, & Sententiæ non incluſum extenderet, caſu vero in tali Oppofitio per Legem admittitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Actor in Proceſſu Fundamentali ad invalidationem duarum Falfionum ſuper diſtinctis portionibus celebratarum, partim ex præjudicio, partim vero ex neglecta præmonitione procedat, & Falfiones illæ ex præmiſſis titulis invalidentur, poſtea vero Succumbens Executionem turbet, tunc eatenus citatus uno, eodemque Inſtituto tenetur Oppositionis, & ſimul Repulſionis rationem reddere, quia Cauſa illa in quantum ex præjudicio mota fuit, eſt longæ Litis, adeoque recipit beneficium Repulſionis, in quantum vero ex neglecta præmonitione ſuſcitata exiſtit, eſt brevis Litis, per conſequens factum turbatæ Executionis eatenus ad Oppositionem recidit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si in Cauſa ad obtinendam ſucceſſionem fundamento obſcuro, & momentofis difficultatibus obnoxii Teſtamenti promota, Judex procedens poſt definitivam Sententiam Appellatam intra Dominium Incatto deneget, & pro ratione Oppositionis denegatam intra Dominium Appellatam aſignet, tunc a pœnis abſolvitur, quia eo ipſo, quod acquiſitio ex obſcuro regulatione Teſtamentaria profluens, ad planam, & ſimplicem ſucceſſionem reduci nequeat, jam Cauſa intra Dominium juxta Articulum 28. 1729. appellabilis erat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Eſto Filius ad reviſionem Cauſæ contra Genitorem ſuum promotæ, in qua finalis Sententia illo jam decedente lata, & per Advocatum ejus Appellata interpoſita eſt, Triumphantem illa cum expoſitione, quod Genitor ejus oneroſam Sententiam receperit, proſecutioque Cauſæ ejusdem in ipſum condeſcenderit, citari, illamque ſucceſſive in Appellationis Foro revideri curet, tamen poſt reviſionem Cauſæ, & ſubſecutam Sententiæ procedentis Judicis approbationem, ſi ſe Executioni opponat, & remonſtret, quod finalis Sententia, utut triduo tantum poſt obitum Patris ſui, qui in diſſito a loco celebrationis Judici, ubi Sententia lata eſt, reſidebat, interceſſerit, ac ideo nec Judici, nec Advocato Incatti mors ejus conſtare, taliterque declaratio eatenus in Proceſſu fieri potuerit, tamen ſufficientem impeditæ Executionis rationem reddit; prout enim juxta Titulum 23. 2^{dæ} mortuorum evocatio, ita paritate ejusdem Tituli Sententia etiam contra mortuos ferenda inter-

dicta est, per consequens Sententia talis nulla, & irrita evadit, adeoque ex nullitate Sententiæ se opponere potest, nec obstat, quod Appellatam per Advocatum interpositam prosecutus, Partem Triumphantem citari, Processumque revideri petierit, adeoque quasi facto proprio in revisionem consenserit, cum enim Sententia illa contra mortuum lata, non modo inefficax, sed ipso jure nulla fuerit, utique nec consentiente Parte gravata, legalem validitatem obtinere potuit. Et licet in Actione revisionem attactæ Sententiæ petierit, nec tamen ideo beneficio se legitime opponendi renunciasse præsummi poterit, igitur pro casu gravatoriæ Sententiæ beneficio illo licite uti potuit. Unde viam revisionis tantum ideo secutam fuisse præsummi debet, quo acceptum vulnus breviori modo resanare, neque ad oppositionem prorumpere cogatur, qui actus in his Causæ circumstantiis utique pœnalis non est. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 10.) Si Pater aquirer Testamento mediante cuius Prolium suam ratam deputet, & proles ejusmodi ratam apprehendendo, dispositionem Paternam ratificent, subsequenter porro una alterave ex illis, non obstantibus præmissis ad simplicem Divisionem procedat, & procedens Judex eandem decernat, in tali casu Succumbens licite semet opponere potest, quia Proles per apprehensionem ratæ sibi modo prævio deputatæ, jam divisionem inivisse censetur, per consequens Judex pedaneus ejusmodi usu roboratum Partium factum simpliciter seponere, & rursus simplicem Divisionem decernere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si convictus occasione Executionis fundum incertum, & instabilem, aut prætensiones difficulter exigibiles assignet, Triumphans vero præmissa non acceptando solus fundum denominet, proptereaque Succumbens appositione utatur, talis oppositio non subsistit, per consequens idem Succumbens in pœna oppositionis convinci, Triumphans autem ad Executionem ex fundo per se denominato peragendam, dirigi solet, quia sensu Articuli 31. 1659. pro fundo Executionis debent assignari fundi fructuosi, & facile in pecuniam convertibiles, Succumbente autem: talismodi fundum denominare nolente, beneficium denominationis stat penes Triumphantem. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 12.) Si Maritus, & Uxor simul Debitum quodpiam contrahant, & obligatio per utrumque subscripta, ita stilifetur, ut in casu intermittendæ persolutionis Creditor Bona Uxoris in Comitatu A. sita, & in obligatione specificè denominata, seu propria auctoritate, seu vero medio Judicium illius Comitatus non obstante Juristitio apprehendere valeat, subsequenter porro Uxore co-obligata sine prolibus decedente Bona præmissa conditione affecta Condivisionales ejusdem occupent, demum vero Creditor a solo superstite Marito totale debitum repetat, eundemque per Judicium Comitatus B. ubi proprio dumtaxat jure Bona præmissæ obligationi haud inserta possidet, in Juristitio convinci faciat, ille vero semet Executioni in dictis Bonis suis attentatæ opponat, talis Oppositio subsistit, tum quod facultas sine formalitate Juris sibi satisfactionem procurandi præcise Bonis, & Judici contractualiter designatis aligata sit, per consequens ad distincta Bona, & Judicem tra-

duci

duci non potuerit, tunc vero quod solus Maritus præattactum totale onus ferre non teneatur, adeoque etiam illi, qui Bona Uxorea in Contractu pro expunctione debiti destinata apprehenderunt, citari debuissent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Exequens beneficium denominationis fundi, alias de Lege Parti I. competens, eidem non deferat, quin imo citra ejusmodi delationem, & ullam Meliorationem ipsi adjudicatarum reflexionem, Executionem attentet, Succumbens se libere opponere potest, quia in præmissis casu Judex Executionem ultra ea, quæ Processui, & Sententiæ substrata sunt, extendere voluisse censetur, hoc autem legalem Oppositionis rationem constituit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si Judex in Partibus procedens, absque delatione Causæ ex loco Judicii discedat, & aliquot diebus emanat, deinde vero redux absque ulla erga Partes facta insinuatione, in Processu Sententiam ferat, in tali casu Pars succumbens semet licite opponere potest, cum enim Causa Judice desituta, cursum habere non possit, idcirco Judex ex loco Judicii discedendo, & pluribus diebus emanando, Terminum interrupisse censetur, per consequens absque eo, quin Partes de non citaverit, & sufficienter audiverit, Sententiam ferre non potuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Judex in Causa Fundamentali procedens, Portiones quaspiam in confuso adjudicet, & illas ad specificum non reducat, Incattus se impune opponere potest, cum enim Articulus 33. 1729. inter reliquas Oppositionis rationes etiam illam canoniset, si Executio ad Bona Processui, & Sententiæ haud inclusa extendatur, idcirco, ut id ipsum erui possit, Sententia Judicis debet clare, & specificè exprimere quidnam adjudicetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Quamvis Causæ Pignorum sint extra Dominium appellabiles, si nihilominus Actor Pignus non probet, & Processus Fundamentalis quæstiones antiquæ, & obscuræ successionalis involvat, Appellatam intra Dominium Partis succumbentis admitti, secus eadem semet impune opponere potest, quia casu in præmissis non edocto pignore, Causa in speciem antiquæ Successionalis degenerat, in hac vero juxta Articulum 28. 1729. Appellata inter Dominium suffragatur. *Utraque Tabula.*

(XXVII.)

De Repulsione.

(Dec. 1.) Repulsio respectu ejusdem Causæ, & substrati non nisi semel admittitur, & ideo occasione secundariæ turbationis Executionis in Causa longæ Litis, quamvis Incattus se Repulsione uti declaret, factum tamen ejusmodi in Judicio ad actum oppositionis reducitur; Repulsio enim sapit Novum intra Dominium, quod non nisi semel competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Nisi Causa ex natura sua Repulsionalis remedium recipiat, licet Judicis Executionem tentantis Testimoniales Partem Succumbentem Repulsione usam fuisse innuant, attamen illa locum non non obtinet, sed oppositionis rationem reddere tenetur, Judex

N

enim

enim Exequens tantum de re gesta ut evenit, testimonium perhibet: cæterum Judici procedenti incumbit facta ad Legem, & Processualem ordinem reducere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) In Causis Repulsionalibus expensæ non solent adjudicari, quia expensarum refusio cedit Causantibus in pœnam, pœnalia autem sine expressa Legis dispositione ampliari non debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Quando in Causa Repulsionali Incattus ex rationibus de Lege etiam ad legitimandam oppositionem deservientibus sufficientem Repulsionis rationem assignat, nihilominus fundamenta Sententiarum in Processu primitivo latorum non evertit, tunc absolvitur quidem a pœna Repulsionis, Sententiæ attamen Causæ Fundamentalis in suo esse relinquuntur; quia Sententia semel lata eousque subsistit, donec contrariis fundamentis elidatur. *Utraque Tabula in hac quæstione Juris.*

(Dec. 5.) Dum Incattus tam efficaces impeditæ Executionis rationes assignat, ut ipsos Judices suspensos reddat, in quamnam partem inclinare debeant, interim tamen post multas disceptationes Judicium in eo conquiescat, quod Sententiæ in Fundamentali Processu latæ, sufficienter non elidantur, in tali casu Incattus a pœna legali sublevatur quidem, nihilominus reiteratio Executionis Sententiarum Processus primitivi decernitur; cum enim negotium adeo perplexum, & tam ambiguis circumstantiis involutum fuerit, ut ipsum Judicium suspenderint, eidemque difficultatem discernendi ingesserint, hinc utique Parti I. vitio verti non potest, quod semet quietare non potuerit, adeoque in vim naturalis defensionis ad turbationem Executionis prolapsa fit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si Repulsio nomine Communitatis fiat, & sub Lite Repulsionali aliquis ex illa Communitate moriatur, Successores ejusdem evocari non debent, quia communitas est unum Morale corpus, quod per mortem unius, vel alterius individui statum non mutat. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Si in Processu Fundamentali Bona erga refusionem Investiturarum eisdem legitime inhærentium, & occasione Executionis eruendarum Actori adjudicentur, Exequens vero citra ullam ejusmodi Investiturarum mentionem Bona adjudicata exequi velit, & Succumbens Repulsione utens, id ipsum pro ratione turbatæ Executionis assignat, tunc relevatur quidem a solito Repulsionis onere, nihilominus quoad Sententias primitivi Processus reiteratio Executionis decernitur, quia ad hoc, ut turbatio Executionis culpa, & pœnalis evadat, debet habere annexam aliquam fraudem, vel nocendi studium, quod tamen casu in præmissis non evenit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si in Processu Fundamentali agatur ad invalidationem Falsionis ex præjudicio simul, & neglecta præmonitione, nihilominus Falsio ex neglecta præmonitione invalidetur, præjudicium autem tantum accessorialiter assummat, tunc Causa illa repulsionem non recipit; licet enim Causæ invalidationis Falsionum ex præjudicio sint longæ Litis, cum tamen e converso Causæ ex neglecta præmonitione suscitatæ sint brevis Litis, & titulus iste

pro

pro principali invalidationis fundamento assumptus sit, idcirco casu in præmissis Succumbenti beneficium Repulsionis non suffragatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Tametsi Repulsio sapiat Novum simplex, in Causis vero per totam Curiam Regiam traductis, Novum simplex non admittatur, tamen Causis longæ Litis etiam si revisionem Curialem transeant, beneficium Repulsionis competit, quia Articulus 33. 1729. per expressum statuit, quod Repulsio etiam post Appellatam locum habeat. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si in aliqua Causa, quæ alias ex indole sua brevis Litis est, Actor motu proprio ad productionem, & disquisitionem Jurium condescendat, talis Causa Repulsionem recipit, quia facto Actoris evenit, quod Causa illa longæ Litis evaserit, adeoque impedire non potest, quominus illi omnia beneficia suffragentur, quæ similibus Causis ex Lege competunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) In Causis ad invalidationem illegalium Conditionum Literis Pignoratitiis insertarum motis, beneficium Repulsionis Incatto succumbenti non suffragatur, quia tales Causæ velut ex Pignore promanantes sunt brevis Litis, in similibus vero Repulsio ex Lege non admittitur. *Tabula Septem Viralis.*

(Dec. 12.) Causæ ex neglecta præmonitione suscitatae, beneficium Repulsionis non recipiunt, quia sunt brevis Litis, adeoque si Succumbens in tali Causa Executionem turbet, factum illud ad Oppositionem reducitur, & non reddita legali ratione pœna oppositionis dictari solet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Actor ad invalidationem Falsionis ex præjudicio Processum suscitet, triumphet, & Executionem peragi curet, postea vero Succumbens noviset, & triumphando, Reexecutionem intentet, occasioneque illa Succumbens Repulsione utatur, in tali casu a beneficio Repulsionis amoveri solet, quia similes Novi Judicii, & ad Re executionem tendentes Processus, etiam si ex Causa longæ Litis emergant, ex indole sua sunt brevis Litis, his vero Repulsio non suffragatur. *Utraque Tabula.*

(XXVIII.)

De Novo simplici, & cum Gratia.

(Dec. 1.) In Processu Novi Judicii tenetur Novisatus Fundamentalem Processum reproducere, a cujusmodi obligatione non immunitatur, etiam si declaret, quod absolutioni in Fundamentali Processu pro se latae non inhæreat, quia Novum est continuatio prioris Processus, & ideo instituitur, ut errores, & defectus in illo commisi emendari possint, hoc autem fieri nequit, nisi Fundamentalis Processus exhibeatur, sed & alias facto præmissis Incattus velut in possessorio Boni persistens, Novisantem ita eludere posset, ut ille propter defectum primitivi Processus Novum prosequi nequireret, vel vero Incattus onus expensarum in expeditionem primitivi Processus erogandarum, alias sibi incumbens, in Novisantem detorquere posset. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si aliquis in Processu Fundamentali succumbat, deinde vero Novum cum Gratia impetret, & sub prosecutione hujus Litis prætensionem suam Actionalem in tertium transferat, proptereaque Actoratus illius condescendat, hoc non obstante potest adhuc dictus Cessionarius prætensionem illam itidem via Novi cum gratia prosequi, quia licet remedium Novi cum gratia in una, eademque Causa tantum semel competat, cum attamen ex eo, quod Cedens propter Juris sui in tertium translationem ab Actoratu amotus fuerit, præmissum remedium exhaustum non sit, quin potius Actoratus in Cessionarium transvestitus exstiterit, idcirco nihil obstat, quominus iste eodem remedio uti, & beneficio illius Jus in se translatum exquirere possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Contradictor respectu cujuspiam Prædii contra Donatarium ad recipiendam contradictionis rationem procedat, dataque sufficienti contradictionis ratione, Donatio cassetur, & Actionale Prædium eidem Contradictori in abstracto adjudicetur, occasione autem Executionis Partes circa quantitatem, & extensionem adjudicati Prædii dissentiant, nihilominus certa plaga per ipsum succumbentem designata effective in Executionem summatur, quoad residuam vero plagam, ad quam Triumphans Executionem extendere voluit, Succumbens oppositione utatur, ac postea intuitu executæ plagæ noviset, hoc Juris beneficium sub prætextu illo, quod Novum non nisi extra Dominium Partis Succumbentis suffragetur, casu autem in præmisso Executio propter interpositam oppositionem plene consummata non sit, eidem præcludi nequit, cum enim adjudicatio mentionati Prædii solum in abstracto facta sit, exquisitio autem quantitatis ad distinctum Forum, & Institutum pertineat, idcirco Succumbens non tenebatur totum id Executioni substernere, quod Triumphans juxta suam designationem, & simplicem expositionem ad Prædium illud pertrahere nitebatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Quamvis Partes ita compromittant, quod quidquid Judex Arbitrarius deciderit, & pronunciaverit, id, tam ipsemet, quam vero Successores illorum observabunt, nisi attamen in Compromisso sibi omnia Juris remedia, vel in specie viam Novi præcludant, Parti succumbenti Novum denegari non potest, quia juxta Articulum 31. 1662. Novum in omnibus, etiam Articularibus Causis Succumbenti competit, nisi Partes Juridicis beneficiis per expressum renuncient. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Beneficium Novi Judicii etiam in tali casu suffragatur, quando in Processu Fundamentali Advocatus Actoris ob defectum Mandatariatus in Emenda Linguae, Actor vero in Judicio Regali convincitur, Incattus autem cum refusione expensarum absolvitur, tum quod juxta Articulum 31. 1662. Novum omnibus Causis competat, nisi Partes per speciale Compromissum, vel conventionem eidem per expressum renuncient, tum vero quod secus casu in præmisso Actor propter levem formalitatem a prætensione sua in perpetuum cadere deberet, nam Sententia quoad absolutionem Partis I. lata eousque stare debet, donec via Novi infringatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Quando aliquis ad desumptionem debiti procedit, & debitum illud adeo liquidum est, ut realitatem illius nec Debitor impu-

impugnet, nihilominus Creditor Causam per talem Advocatum, qui legali Mandatariatu destitutus est, levare curat, atque adeo in Judicio Regali convincitur, Incattus vero cum refusione expensarum absolvitur, verum præmissam convictionem in executionem deducere negligit, si Actor non expectata ejusmodi Executione Noviset, & in Processu Novi bona fide declaret, quod onus præattactæ convictionis ex debito suo deduci non difficultet, in his circumstantiis non obstante eo: quod Novum Judicium non nisi extra Dominium suffragari valeat, hocce juris beneficium Actori præcludi nequit, tum quod Executio culpa Incatti dilata sit, Actor vero propter culpam illius beneficio Novi in perpetuum privari non possit, tum vero quod Incattus debitor fundum præ manibus habeat, ex quo intuitu oneris convictionalis sibi juxta declarationem per Actorem bona fide factam satisfacere potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Si in Fundamentali Processu invalidata Falsione Bonum cum Literis occasione venditionis traditis, & tempore Executionis sub Juramento revelandis readjudicetur, quamvis Succumbens Bona adjudicata Literis, quarum intuitu occasione Executionis Juramentum præstitit, retentis executioni submittat, & ita extra Boni possessorium constitutus noviset, tamen eousque Processus via Novi suscitati promotio ei non conceditur, donec Literas tales in eodem Processu reproducat; quia licet beneficium Novi ex dispositione Legum Succumbentibus dumtaxat extra Dominium, seu plenum Sententiæ effectum competat, tantisper vero donec Literæ per Sententiam Triumphanti adjudicatæ reproducantur, Sententia pro plene effectuatâ reputari nequeat, cum tamen Succumbens jam respectu principalis substrati Sententiæ satisfecerit, imo ad exigentiam ejus Juramentum quoque Revelatorium præstitit, ex ratione etiam compendiandæ Litis, ac sumptuum, reproductio revelatarum occasione Executionis Literarum in Novi Processu concedi potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Quamvis juxta Articulum 31. 1662. beneficium Novi in omnibus Causis admissum sit, nisi per Compromissum inter Partes initum expresse præcludatur.

Non admittitur tamen post lapsum 32. Annorum, si videlicet Causa Fundamentalis ante 32. Annos terminata sit, etiam si medio tempore protestatio, vel cautela interposita fuerit, quia jam Litis motioni præscriptum est, ejusmodi vero sustentativa remedia tantum ad sustentandum jus, non vero suscitandam Litem deservire solent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Frater natu Major qua reliquorum Condivisionali-um Jura sustentans respectu communium Bonorum in statu indiviso abalienatorum, ad invalidationem Falsionis, vel secus etiam ad recaptationem communium Jurium simplici Processu jam egit, tunc Condivisionales ejus amplius simplici Processu eodem Actionis titulo contra Possessorem agere non possunt, sed si illi priori Actionis titulo procedere volunt, tunc Litem per Fratrem natu Majorem, qua etiam reliquorum Condivisionali-um Jura sustentantem promotam, via Novi simplicis, imo si Causa Fundamentalis penes appellatam ultimi Fori revisionem subiit, beneficio Novi cum gratia resuscitare debent, nec officit, quod reliqui privato Actoratu

nondum egerint, quia jam Frater natu Major qua reliquorum jura sustentans egit pro omnibus, aquisitioneque ejus si triumphasset, in emolumentum cessisset omnium jus idem fovendum, periculosa præterea esset consequentiæ, si cuilibet respectu communium ejusmodi Bonorum jus idem fovendi privata Actio, Actoratusque concederetur, ita enim præcipue si in Familia numerosiores, idem jus foventes existunt, iteratis etiam vicibus una eademque præsentio sub eodem Actionis titulo sine Juris remedio Judicium Supremi etiam Fori subire deberet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Quamvis Titulus 27. 2^{dæ} usum simplicis Novi semel tantum admittendum statuat, si tamen Actor Processum beneficio Novi simplicis per se institutum ob extrinsecum Instituti illius defectum deponat, vel condescensio Instituti ex Sententia Judicis sequatur; tunc respectu ejusdem substrati adhuc Novo simplici agere potest, quia eo ipso, quod ob extrinsecum tantum defectum depositio intercessit, vel condescendit, adeoque in merito beneficio tali Actor nondum usus sit, beneficio Novi simplicis in merito uti potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Actio Novi Judicii non potest extendi ultra ea, quæ in fundamentali Actione continentur, quia Novum idem objectum habet, quod Processus Fundamentalis, per consequens non potest magis latepatere quam Fundamentalis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) In Causis Novi Judicii, Nec Novisatus ullas novas præsentiones formare, nec Judicium illi quidquam adjudicare potest, quia beneficium hoc tantum illi suffragatur, qui Novo utitur, & alioquin reactio hic locum non habet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Causa, quæ per Curiam Regiam transivit, Novo simplici amplius resuscitari non potest, sed Novum cum Gratia impetrari debet, proinde in casu illo, quo talis Causa Novo simplici resuscitatur, si Incattus petat pœnam Calumniæ, illa adjudicatur, si vero tantum Institutum condescendi postulet, illud condescendit. *Utraque Tabula.*

(P A R S S E C U N D A .)

(S E C T I O P R I M A .)

(De Actionibus ad Tabulam Regiam pertinentibus.)

(I.)

De Actionibus Fisci Regii.

(Dec. 1.) **F**iscus Regius per Notam cujuspiam ex Familia Masculi Bona apprehendens, contra Sexum Fæmineum possessorio talismodi Bonorum, & usui Educilli prius simultaneæ cum Masculis exerciti immanentem ex Article 35. 1598. ad sublationem Educilli sibi Actionem vindicare non potest, quia simili Instituto Jura Sexus Fæminei præsertim diuturno possessorio constabilia, disquiri non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Fisco Regio ex defectu Statutionis Actio non competit, quia titulus iste Actionis ad ordinarios duos canales Notæ videlicet, vel Defectus, quibus Bona Regnicolarum ad Fiscum Regium devolvi solent, reduci non potest, & alioquin Statutio tantum ideo per Leges adinventata est, ut illi, qui ad Bona collata jus prætendunt, contradicere possint, quæ ratio respectu Principis non subversatur, nam supponi non potest, ut Princeps Donationi per semet ipsum factæ contradicat. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Fiscus Regius non obstante eo, quod Princeps Bona quæpiam jam alteri conferenda resolverit, talismodi Bona, si præmanibus aliorum constituentur, Actoratu proprio revindicandi facultatem habet; quia Rex antequam formalem Donationem elargiatur, se omni ad eadem Bona jure exuisse non censetur, per consequens nihil obstat, quominus Litem Actoratu proprio intentare, & prosequi possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Fisco Regio competit Actoratus ad restitutionem Bonorum per quempiam penes conventionem Cameralem etiam ratificatione Regia roboratam possessorum, quia Leges alium modum Bona jure perennali a Principe impetrandi non continent, quam per Donationes legitime emanatas, per consequens ejusmodi conventiones Camerales pignus dumtaxat sapiunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Fisco Regio contra Prælatos illos, qui pecunias Fundationales curæ, & directioni suæ concreditas talibus Creditoribus incaute elocant, a quibus propter defectum fundi rehaberi non possunt, competit Actio ad desumptionem ejusmodi Fundationalis Summæ, & Interusurii, quia Suæ Majestati qua Regi Apostolico, & Summo Ecclesiarum Patrono eminenter incumbit prospicere, ut Fundationes conserventur, & menti Fundatorum satisfiat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si Fiscus Regius Mobilia cujuspiam deficientis in Actionem deducat, apprehensores eorum tenentur eadem sub Juramen-

ramento revelare, quia non est alter modus quantitatem, & qualitatem Mobilium velut facile occultabilium ad claritatem deducendi, quam per Juramentum, & alioquin ejusmodi illegitimi rerum Mobilium occupatores, & detentores pro malæ fidei possessoribus reputantur, atque adeo per omnia opportuna media ad restitutionem compelli debent. *Utraque Tabula.* E converso.

(Dec. 7.) Si Fiscus Regius ex defectu alicujus Bona Immobilia acquirere intendat, & deficiens vita comite solum portiones in Bonis caducis possedit, tunc Fisco specificam talismodi portionum quantitatem docere incumbit; tum quod Actori incumbat proba, tum vero quod eatenus etiam sine adminiculo Juramenti probandi modus suppetat, tum denique quod Judex non sciat se determinare quantum adjudicet, nisi super quantitate competentia Actoreæ adæquate capacitetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Licet ex praxi Curiali clausula illa: Hæredibus, & Posteritatibus absque adjectione utriusque sexus Privilegiis inserta, sexum dumtaxat Masculinum denotet, si attamen Privilegium cum hac clausula: Hæredibus, Successoribus, Posteritatibus, Legatariis item, & Cessionariis expediatur, & subsequenter Donatarius in sexu Masculino deficiat, Fisco Regio ex talismodi defectu non nascitur Actio; eo ipso enim quod occasione prædeclaratæ collationis Princeps annuerit, ut Bonum collatum ad quosvis Legatarios, & Cessionarios Donatarii devolvi possit, multo magis annuisse videtur, ut devolvatur in filias ejusdem, & alioquin rationabiliter præsummi debet, Patrem cum exclusione filiarum immediate ex lumbis suis descendantium Bona sua tertio cuiquam cedere, aut legare noluisse. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Princeps cuiquam Bona aliqua ita conferat, ut descendentes ejusdem Masculi Bona illa jure perennali possideant, post defectum vero Masculorum sexus Fæmineus Investituras dumtaxat prætereundere possit, subsequenter porro Donatarium respectu talium Bonorum quisquam Lite impetat, & ille Juribus suis periculum imminere conspiciens, cum talismodi Impetitore ita transigat, ut aliquam partem Bonorum eidem cedat, residuum vero sibi, & utriusque sexus descendantibus reservet, licet Transactioni huic consensus Regius superinducatur, nisi attamen in Consensu illo Jus Regium expresse conferatur, & Transigens semet legitime Statui curet, primæva illa regulatio non immutatur, per consequens emergente Donatarii in Sexu Masculino defectu Fisco Regio successio nascitur, quia Consensus Regius Transactioni superinductus absque expressa Juris Regii collatione nihil plus operatur, quam ipsa Transactio, hæc vero ad alterandum Jus radicale non sufficit, atque adeo nec Successionem Fisci Regii perimere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Dum Fiscus Regius ex defectu sexus Masculini contra Fæminas procedit, & Fæminæ a perennalitate Bonorum Judicialiter amotæ, in Processu ad liquidationem condescendunt, non potest Fiscus Regius prætereundere, ut eadem universas deficientium Masculorum Literas producant, & sibi resignent, præsertim si id ipsum expresse in Actione petitum non existit, quia Incattus præcise eatenus Juri stare, & respondere tenetur, quatenus citatus fuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.)

(Dec. 11.) Si Princeps Bona quæpiam sexui Masculino perennialiter, Fæmineo vero in certa Summa conferat, tunc deficientebus Masculis tenetur Fiscus Regius Summam illam Fæminis deponere, nisi fors Masculi præattactis Bonis onera quæpiam superinduxissent, nam in casu illo talismodi onera ex Summa Fæminis deponenda subtrahi, & reduci, ac nonnisi quotta abinde resultans iisdem adjustari debet, licet eatenus in Donatione expressa cautela posita non sit, quia quemadmodum casu in præmisso mens conferentis Principis illa fuit, ut emergente Masculorum defectu Bona collata præcise erga depositionem Summæ Fæminis applacitatæ ad Fiscum redeant, ita prætendi non potest, ut idem Fiscus sexui Fæmineo integram Investituram deponat, ac insuper onera quoque per Masculos medio possessorii tempore Bonis superinducta supportet, secus enim duplici onere gravaretur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Quodsi vero Masculi medio possessorii sui tempore præallegatis Bonis tanta onera superinduxissent, ut eadem Summam occasione collationis sexui Fæmineo applacitatam superent, casu in illo superfluitas onerum ex aquisitis deficientis Masculi compensanda, illis vero non exstantibus per Fiscum Regium supportanda veniet; quia ea in parte Fiscus est successor Masculorum, res autem, & successio cum onere vadit, præterea idem Fiscus etiam Meliorationes, ac ædificia per Masculos constructa juxta condignam æstimationem sexui Fæmineo compensare tenetur, hæc enim velut sub regulationem Donationis haud cadentia, successioni sexus Fæminei deserviunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Fiscus Regius ex defectu sexus Masculini procedens, non potest prætere, ut Vidua, aut sexus Fæmineus Bonis immanens, Literas Bona caduca concernentes, & ad manus suas detentas producat, quia Articulus 25. 1715. Fisco Regio præscribit normam, quid in defectu seminis agendum habeat, proinde huic se accomodare, & probas sibi incumbentes Marte proprio præstare tenetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Fisco Regio competit Actio ad sublationem Navulorum per Regnicolas usurpatorum, & in tali casu tenetur possessor Jus, & possessorium suum legitimare, & Legibus applicare; id est respectu Nauli sui Privilegium usû roboratum producere; quia erectio Nauli pertinet ad classem Jurium Regalium, quæ sine expresso Principis indultu, ac Privilegio per neminem usurpari possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Fiscus Regius ex defectu sexus Masculini Familiæ cujuscumque Actionem moveat, & ultimus deficiens filiam Monialem post se relinquat, eademque Bona Genitoris sui utrumque sexum concernentia apprehendat, tunc Fiscus non potest prætere, ut talis Monialis respectu prædeclaratorum Bonorum eodem ipso Instituto Processuali ad portionem sibi ex Articulo 71. 1715. competentem, restringatur, quia Actio ponit normam, & regulam tam Judici, quam Partibus, cum itaque Fiscus Regius casu in præmisso præcise defectum seminis pro titulo Actionis assumpserit, hinc semet intra limites Actionis continere, & eodem Instituto ad distinctum acquisitionis titulum amplius digredi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Dum Fiscus Regius ex defectu antiquo, id est Annos Præscriptionis transcendente procedit, non tantum possessorium, sed etiam Jus deficientis in Bonis Actionalibus habitum docere tenetur, præterea si de portionibus agatur, debet Jus deficientis ad possessoria Incattorum applicare, si enim juxta Titulum 67. 1^{mæ} in antiquis defectibus etiam ipsi Fratres Condicionales ad probam juris obligantur, nec Fiscus Regius ab hac proba immunitari potest, applicatio autem ad possessoria Incattorum ideo necessaria est, quia actualem possessorem etiam nudum possessorium eousque tuetur, donec proba adversarii gravetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Si quispiam Bona Falsione mediante ad utrumque Sexum comparet, & subsequenter Falsioni illi Consensum Regium cum clausula: Hæredibus, & Posteritatibus superinducat, præterea si aliquis res Mobiles cum præattacta clausula Testamento leget, tunc per defectum sexus Masculini Fiscus Regius non habet Actionem ad consequendam in talismodi Bonis successionem; quia juxta Titulum 17. 1^{mæ} clausula: Hæredibus, & Posteritatibus interdum, præsertim tamen in casu illo, ubi Bona five ex radice adeptionis, seu vero ex indole sua utrumque sexum respiciunt, etiam Fæminas denotat, & alioquin ductu Tituli 21. 1^{mæ} norma successionis semper a radice adeptionis metienda venit. *Utraque Tabula. E converso:*

(Dec. 18.) In casu illo, quo Bona originaliter ad sexum dumtaxat Masculinum regulata sunt, & aquisitor five Donationem in vivis, seu vero Testamentum pro utroque sexu de illis condit, Fæminæ vero consensum Regium cum clausula: Hæredibus, & Posteritatibus desuper impetrent, præmissa clausula tantum sexum Masculinum denotat, per consequens deficientibus Masculis, statim Fisco Regio Actio assurgit; cum utpote Bona in radice adeptionis præcise ad Masculos regulata fuerint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Quando Fiscus Regius ex defectu sexus Masculini in Bonis quibuspiam sibi successionem vendicat, Vidua, vel Filia deficientis non possunt prætere tendere refusionem sumptuum, per deficientem Masculum in præcautiones quoad conservationem Bonorum caducorum occasione intestinorum motuum, vel Hostilis incursionis, aut tempore Pestis factas erogatorum, quia ejusmodi expensæ immediate possessoribus incumbunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Si Fiscus Regius per defectum talis Personæ, quæ in fundo rusticano degebat, & cujus Nobilitas dubia erat, ex Articulo 62. 1715. Processum moveat, tunc non secus, quam si deficientis Nobilitatem, aut a Jurisdictione Dominali immunitatem luculenter comprobet, Actionem sortitur, in dubiis enim Leges liberant potius, quam obligant, & ubi Actor plene non probat, standum est pro Possessore. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 21.) Licet Princeps per Notam, vel Defectum cujuspiam Donationem elargiens, non omnia deficientis Bona, sed tantum unum, alterumve in Donatione specificet, si tamen generalis illa clausula: & alia etiam quæcunque per Deficientem possessa Donationi inferatur: Fisco Regio ad aquirenda Bona Donationi specificè

cifice non inserta Actio non competit, nam in collationibus præcipue spectanda est mens, & intentio conferentis Principis, cum ergo ille casu in præmissis universa Bona per Deficientem possessa contulerit, idcirco sub hac generalitate jam alioquin omnes species exhaustit, per consequens quævis particularia possessoria specificè recensere amplius necesse non fuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Etiam si quispiam ex Familia Masculus cum Fisco Regio, vel ipso Principe ita transigat, ut Bona sua sexui dumtaxat Masculino deserviant, si attamen Bona illa in radice utrumque sexum concernebant, tunc emergente Masculorum defectu Fisco Regio quoad præallegata Bona Actio non assurgit. Si enim juxta Titulum 37. 1^{mæ} Nova Donatio ad exclusionem Sexus Fæminei non sufficit, quanto minus sufficiet, similis in præjudicium legitimi Sanguinis facta innovatio, & Juris radicalis alteratio. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Si ultimus deficiens sub Tutela constituatur, & Tutor Bona Pupilli, quæ alias in defectu ejusdem ad Sacram Regni Coronam devolvi deberet, inonerent, Fiscus Regius emergente Pupilli defectu, non potest se a similibus oneribus sub illo titulo enodare, quasi vero dispendiosæ Bonorum Pupillarum per Tutores factæ involutiones ipso jure nullæ, quin imo pœnales essent, quia hæc & similia dumtaxat Pupillis, aut vero propagativis Successoribus, qualis Fiscus non est, obvertere competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Fiscus Regius potest Bona illa, quæ per publicas Leges pro Coronabilibus statuuntur, non obstantibus quibusvis posterioribus involutionibus revindicare, & juri Sacræ Coronæ reapplicare, quia talia Bona, tamquam Sacræ Coronæ indissolubiliter annexa, & extra omne commercium posita vim fidei commissi imbuunt, atque adeo nec liberæ Principum collationi subsunt, nec privatorum acquisitioni obnoxiantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Si respectu talium Bonorum, quæ ante Annum 1715. per crimen Læsæ Majestatis, vel Notam infidelitatis confiscata fuerunt, contra Fiscum Regium, vel etiam privatos sub evictione illius stantes, procedatur, talem causam Tabula Regia ad viam Instantiæ relegare solet, quia in Articulis 11^{mo} 1681. 7. 1687. & 9. 1715. provisum est, quod eatenus ad Suam Majestatem recurrentibus, & prætensiones suas debite legitimantibus Justitia administrabitur. *Tabula Regia.*

(Dec. 26.) Fisco Regio non assurgit Actio per defectum seminis cujuspiam fundamento Donationis per deficientem itidem ex defectu alterius olim impetratæ, sed occasione Statutionis contradictæ, atque a contradictionibus non depuratæ, quia per talismodi contradictiones effectus Donationis impeditus fuit, & Donatarius impetrati Boni dominium adire non potuit, in talibus autem Bonis, quæ deficiens dominio suo realiter non applicuit, Fisco Regio successio non enascitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Fiscus Regius non habet Actionem, & Actoratum ad ea, quæ aliquis Prælatorum vita comite aliis donavit, tametsi enim libera Prælatorum testandi activitas per Leges circumscripta

fit, nulla tamen Lex, aut publica conventio vetat, quominus donationem in vivis facere possint. *Tabula Regia.*

(Dec. 28.) Si Fiscus Regius ex defectu feminis Actionem suscitet, & possessor respectu Bonorum Actionalium Donationem Regiam producat, tametsi illa Statutione firmata non sit, tamen Incattus ab impetitione Fisci absolvitur, quia Statutio tantum ad privatos, ut illi jura sua per contradictionem sustentare possint, non vero ad Principem, qui utpote alioquin semet per Donationem omni jure exiit, illudque in Donatarium transderivat, quive Donationi semel factæ juxta Titulum 12. 2^{dæ} amplius refragari nequit, pertinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.) Fiscus Regius potest Causas in Commissione Neo-aquistica pro se disfavorabiliter terminatas penes legalem Actionis titulum via Novi cum gratia resuscitare, & in ordinaria Juris via prosequi, quia conditio illius non potest esse deterior, quam Regnicolarum, quemadmodum proinde hi indultu Articuli 21. 1741. possunt causas in Commissione Neo-aquistica pro se minus favorabiliter decisas in ordinaria Juris via cum gratia novisare, & in melius reformare, ita etiam Fisco Regio beneficium hoc denegari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 30.) Fisco Regio ad defumptionem Liquidi Debiti fundamento talium Obligatoriarum, quæ jam 32. Annos præscriptionis capaces transcenderunt, præsertim si a tempore conditi Articuli 37. 1729. intra Decennium eatenus Processum non instituit, Actoratus non competit, etiamsi debitum illud ex pretio Bonorum per Fiscum Regium Debitori in pignus locatorum resultet, quamvis enim in pignoribus Præscriptio locum non habeat, cum attamen prætenso isthæc jam in formalem obligationem deducta sit, atque adeo naturam liquidi debiti induerit, idcirco sub Generalem præcitati Articuli 37. dispositionem cadit. *Tabula Regia.*

(Dec. 31.) Fisco Regio competit Actio ad sepositionem Donationis Palatinalis respectu talium Bonorum elargitæ, quæ ex Inscriptione Principis per quempiam possidentur, quia juxta Articulum 4. 1723. Palatinus non potest conferre Bona per Fiscum Regium possessa, casu autem in præmissis possessorium Inscriptionalistæ reputatur pro possessorio Fisci Regii. *Utraque Tabula.*

(Dec. 32.) Si Nobilis in fundo Rusticano degens, & Domino Terrestri obligatus, deficiat, in substantia ejusdem Mobili non Fisco Regio, sed Dominio Terrestri competit successio, quia Articulus 62. 1715. in Mobilibus personarum Nobilium, & liberarum fundos Rusticanos incolentium solum tunc defert successionem Fisco Regio, si illæ Dominis Terrestribus nullatenus obligatæ sint. *Tabula Septem-Viralis.*

(II.)

Processus ex Jure Radicali.

(Dec. 1.) Actor ex Jure Radicali procedens, tenetur docere jus, & possessorium in Bonis Actionalibus præhabitum, & si eatenus

nus Privilegia Antenatorum suorum producat, debet Genealogiam suam ad illos deducere; cæterum edocto etiam Jure, non sufficit antiquum possessorium aliquarum Personarum simile prout Actor Nomen gerentium comprobare, verum Actor cum priscis illis possessoribus se nectere, taliterque possessorium illorum sibi applicare tenetur; porro neque illud Actorem a præmissa obligatione sublevat, quod Literas, & Literalia Instrumenta talismodi antiquorum possessorum præ manibus habeat, nam quotidiana experientia constat, quod plures personæ idem nomen profiteantur, quin propterea ullum juris, & sanguinis nexum foveant, constat item quod vicissitudine temporum Literalia de manu ad manus deveniant, quodve nonnulli variis artibus antiquarum Familiarum Literas ad se pertraxerint, & ex similitudine nominis jura illorum sibi vendicent, ad præcavendas itaque Familiarum, & Jurium convolutiones indispensabiliter requiritur, ut Actor ex Jure, & possessorio antiquo procedens sibi utrumque circumstantialiter applicet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si duo Fratres indivisi Bona quæpiam titulo Pignoris aquirant, subsequenter vero unus illorum itidem in statu indiviso respectu eorundem Bonorum Fassionem perennem citra insertionem nominis alterius Fratris indivisi, ab Hæreditario exoperetur, huicque Fassioni etiam Consensum Regium superinducat, nihilominus postea in his ipsis Bonis cum altero fratre absque ulla reservata, vel Jurium clasificatione dividat, & iste, atque Successores ejus talismodi divisionaliter obtenta Bona per plures Annos pacifice possideant, tunc hi fundamento præmissæ Fassionis per alteram Lineam ex portione sua amplius excludi non possunt, quia tametsi Nomen alterius Fratris Fassioni insertum non sit, cum atamen subsequenter Fassionarius citra ullam privativæ acquisitionis mentionem, vel reservatam quæstionata Bona cum illo æqualiter dividerit, hinc supponi debet, quod ex fraterni nexus reflexione eundem acquisitionis suæ participem reddere voluerit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quispiam penes Donationem per Antenatos suos titulo illo, quod aliquis Joanni Regi adhæserit, impetratam, ad acquisitionem Bonorum procedat, etiamsi fundamento talismodi Donationis ante Annum 1552. etiam adjudicatoriæ Octavales intercesserint, tamen Actoratum non sortitur; cum enim omnes Donationes propter adhæSIONem quorumcunque Joanni Regi factam, juxta verba Legis elargitæ, per Articulum 20. 1552. cassatæ sint, idcirco Donatione tamquam fundamento ruente, etiam adjudicatoriæ eidem superædificatæ suapte concidunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si Actor ad acquisitionem Bonorum ex Jure procedat, & in probam Juris tale Instrumentum producat, ex quo elicitur, quod Prædecessores illius Bona Actionata penes Donationem, & Statutionem gubernaverint, taliterque ejusmodi Donationem, ac Statutionem præexistisse, verum acta illius temporis ex Capitulo, vel Conventu quocunque tandem fato periisse doceat, quin imo etiam subsequum Antenatorum suorum in Bono Actionali exercitum possessorium comprobet, tamen per præmissa omnia Jus sufficienter probasse non censetur, quia juxta Titulum 15. 2^{dæ} ad Juris probationem Originales Literæ requiruntur, sensu vero Articuli 42.

1723. per talia Transumpta, quorum Originalia præfuisse, verum deperdita exstitisse Capitula, vel Conventus recognoscunt, præexistentia quidem, & amissio illorum sufficienter probatur, Jus vero, & res in iisdem contenta non solidatur. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 5.) Si Princeps quampiam Arcem suam cum Bonis ad illam pertinentibus alicui conferat, ex his autem unam Possessionem tertius possideat, & ille occasione Statutionis eatenus ex possessorio contradicat, subsequenter porro Donatarius contra talismodi Contradictorem ad acquisitionem præscriptæ Possessionis sub prætextu illo ex Jure Processum moveat, quod eadem sit appertinentia Arcis sibi modo prævio collatæ, tunc Donatario ad hoc ut Actoratum fortiat, incumbit Jus, vel possessorium conferentis Principis in quaestionata Possessione præhabitu docere, quia nec ipse Princeps potuisset actualem possessorem excutere, nisi præhabito jure, aut possessorio edoctis, & alioquin possessor eousque Jura sua propalare, & titulum possessorii sui edere non tenetur, donec proba Adversarii gravetur, & Actor munus suum rite expleat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Tametsi Statutoria cum clausula: dicitur nobis emanatæ, quibus nempe Donatio per extensum non inseritur, in casu illo, quo de aquirendis Bonis agitur, ad probam Juris non sufficiant, sufficiunt tamen in casu illo, quo Incattus easdem pure ad retinendum possessorium producit, præsertim si una doceat, quod Bonum Actionale etiam Antenati sui semper possederint; quia in præmissis circumstantiis stat præsumptio pro Possessore, quod idem Bonum penes præattactam Donationem, & Statutionem, adeoque solido privilegiati jure gubernet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Statutio etiam si pura sit, ad probandum in Bonis impetratis possessorium non sufficit, quia potest fieri, ut possessor ex quocunque tandem incidenti contradicere negligat, & tamen deinde Donatarium ad possessorium non admittat, atque inde est, quod etiam Leges Patriæ ex puritate Statutionis peculiarem Processum ordinaverint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Dum Actor ex Jure procedit, etiam si in probam Juris tale Privilegium producat, quod insolitas, & antiquæ Regni consuetudini præjudicantes clausulas continet, si attamen Privilegium illud subsequenter possessorio usuroboratum fuisse doceat, censuræ Articuli 122. 1647. subjici, & pro invigorofo reputari non potest, cum enim usus sit anima Privilegiorum, hinc edocto semel eo, quod simile Privilegium non obstantibus illis insolitis clausulis in usum abiverit, clausulæ tales pro non adjectis censerentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Personæ Ignobiles, ex Ignobili Patre, sed Nobili Matre procedentes, sunt quidem capaces retinendi, & possidendi Bona Materna, nihilominus ad acquisitionem, vel reacquisitionem Jurium Maternorum iisdem Actio non competit, tum quod Titulo 31. 3^{tiæ} expresse cautum sit, ne Ignobilis contra Nobilem active Litem ingredi possit, tum vero quod capacitatem retinendi plures Leges, signanter Titulus 29. 1^{mæ} & Articuli 119. 1655. 70. 1659. & 18. 1687. secudent, e converso de activitate aquirendi, vel requirendi nulla positiva Lex existet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.)

(Dec. 10.) Dum Actor ex Jure procedit, etiamfi Privilegium quod in probam Juris producit, ante plura Sæcula emanaverit, dummodo attamen illud subsequenter usu roboratum fuisse doceri possit, non obstante eo, quod usus ille per impetitiones, involationes, vel etiam occupationes vicinorum subsequenter interruptus, aut turbatus fuerit, tale Privilegium pro Obsoleto censi non potest, quia per similes involationes, & de via facti interventas turbationes vigor, & efficacia Privilegii non exstinguitur. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 11.) Cum in Processibus ex Jure promotis Actor, Jus & possessorium docere debeat, hinc tametsi producat Donationem, & Statutionem puram, producat item subsequam confirmatoriam Donationem, in qua Princeps conferens recognoscit, quod occasione primæ collationis Bona Actionalia Donatario tradita, & assignata fuerint, producat insuper Metalem reambulationem privilegialiter expeditam, in qua Metæ eorundem Bonorum specificè designantur, producat denique Literas Judiciales iisdemque insertam adjudicationem Antenatis suis factam cum clausula: contradictione cujusvis non obstante emanatam, & penes illas rursus peractam Statutionem, hæc tamen omnia ad legitimandum usum, & possessorium non sufficiunt, quia juxta Titulum 24. 1^{mæ} possessio est quasi pedum positio in usum, & dominium rei illius, quam aliquis realiter tenet, & gubernat, proinde reale possessorium non secus quam per effectivam fructuum perceptionem, rei que possessæ usuationem doceri potest, sæpe autem fiunt puræ Statutiones, Metales reambulationes, & adjudicationes, quin per hoc prætendens reale dominium adipiscatur. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 12.) Si in Processu ex Jure Radicali promoti, Partes jus juri opponant, & una Partium quoad Bonum Actionale antiquum Jus, & possessorium doceat, tametsi Pars altera posterius Jus, & possessorium obvertat, taliterque primitivum illud jus, & possessorium interruptum esse comprobet, si attamen primitivus possessor postliminio rursus possessorium præattacti Boni adeptus est, per consequens possessorium intermedii illius possessoris interruptum esse doceat, tunc pro primo possessore judicandum erit; quia per ultimum hoc possessorium primitivum jus resuscitatum esse censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si quispiam Bona sua, vel prætensionem ad illa habitam penes Fassionem perennem cum clausula: Nullum Jus celebratam in alterum transferat, & subsequenter contra possessorem eorundem Bonorum nomine proprio ex Jure Processum moveat, ille porro eidem præmissam Fassionem objiciat, etiamfi Actor a præattacto Fassionario sub privato Sigillo talem declarationem exoperetur, quod ille a Fassionem sibi celebrata recedat, tamen Actoratum non obtinet, quia nihil naturalius est, quam unum quodque eo pacto dissolvi, quo colligatum est, cum itaque translatio Bonorum in authentico loco perennaliter facta sit, hinc utique non secus, quam simili pacto celebranda refassione dissolvi potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Si Fæmina in actuali Bonorum sexum dumtaxat Masculinum concernentium possessorio constituta, superexstantibus

Masculis eadem Bona penes Fassionem perennem in extraneum transferat, ille vero talismodi Fassioni Consensum Regium cum annexo Jure Regio superinducat, & occasione Statutionis Sexus Masculinus contradicat, subsequenter porro idem Sexus Masculinus deficiat, filiaque ultimi deficientis in Juribus Masculorum præficiatur, tunc talis Præfecta filia fundamento Præfectionalium non habet Actionem ad reaquisionem Bonorum per condivisionalem suam modo prævio abalienatorum, quia jam ante Præfectionem Jus Regium Fassionario eventualiter collatum fuit, atque adeo in subsequis præfectionalibus amplius conferri non potuit, neque obstat, quod occasione Statutionis Masculus contradixerit, nam contradictio hæc per defectum ejusdem evanuit, & præjudicium, quod superstite illo subversabatur, filia Præfectæ tamquam non propagativæ, verum legali dumtaxat hæredi vindicare non competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si quis ex Jure ad aquisionem Bonorum procedat, Incattus vero Fassionem perennem per Antenatos Actoris quoad Bona Actionalia celebratam, & subsequenter per Sententiam Curia Regiæ ex rationabilitate Legibus expressa stabilitam, ac insuper Consensu Regio, puraque Statutione firmatam, adeoque ad efficaciam solennis Privilegii elevatam opponat, tunc cessat Actio ex prioritate Juris radicalis promota, quia jus illud antè per posteriorem Fassionem perennem in Antenatos Partis I. transvestitum fuit, quæ Fassio tamquam curialiter stabilita absque beneficio Novi infringi non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) Dum Actor ex Jure procedens, prætendit totam Possessionem, subsequenter vero ex actis Processualibus evenit, quod eidem exempli causa: tantum decem Sessiones competant, tunc etiam reliqua beneficia Territorialia dumtaxat a proportione decem Sessionum eidem admetiri solent, quia beneficia Territorialia Intravillano cujusvis possessorio commensurari debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Si Dominus Terrestris fundamento juris Dominalis, & Terrestralis procedat, contra privilegiatam Communitatem ad sublationem libertatis, & immunitatis sibi per eandem vindicatæ, & abutrinque Jus Juri, & Privilegia Privilegiis opponantur, tunc illa debent attendi, quæ subsequo usu firmata sunt, quia anima Privilegiorum est usus, proinde illa, quæ nunquam in usum deducta sunt, pro obsoletis reputari solent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Dum Actor ad aquisionem Boni ex Jure procedit, & inter reliquos Incattos etiam Sexum Fæmineum impetit, atque in probam Juris Novam Donationem producit, tunc licet ejusmodi Nova Donatio edocto præhabito possessorio, relate ad extraneos perfectam Juris probam constituat, nihilominus relate ad Sexum Fæmineum in actuali Bonorum possessorio constitutum, pro proba Juris non sufficit; quia ad exclusionem Sexus Fæminei Jura radicalia, & primitivæ aquisionales produci debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Dum quispiam ad aquisionem Bonorum ex Jure procedit, pro comprobando possessorio sufficit etiam Misfilis, in qua Arendator recognoscit, se Bonum actionale ab Actore, vel Antenatis

natis illius titulo Arendæ possidere, dummodo nulla in illam suspicio, vel alia exceptio cadat, si enim ad comprobendam Pignoris realitatem Literæ sub privatis Sigillis confectæ sufficiunt, non videri, cur etiam ad legitimandum possessorium ejusmodi per actuales possessores scripta, & realem fructus perceptionem designans Litera, non sufficeret. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Actor ad acquisitionem vel reacquisitionem Bonorum ex Jure procedens, & pro radice Juris Fassionem perennem assumens, non sortitur Actoratum, nisi Jus, & possessorium Fatentis doceat, quia Fatens non poterat plus Juris transferre in Fassionarium, quam quod ipse habuit, nisi itaque ille ad Bona Actionalia solidum, & radicale jus habuerit, neque Fassionarius ex translatione ejusdem firmum jus consequi potuit. *Tabula Regia.*

(Dec. 21.) Donatio per eventualem cujuscumque defectum impetrata non tenet, per consequens nec ad probam Juris deservit, quia Fisco Regio non nascitur Successio in Bonis caducis, nisi per defectum realem, per consequens neque collatio Bonorum vita Possessoris comite anticipari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Quando duo Donatarii super uno eodemque Bono duas distinctas Donationes impetrant, & prior Donatarius non in facie loci, quin imo nec in eodem, verum diverso Comitatu se statui curat, neque ullum legale impedimentum adducere potest, propter quod Statutio in facie loci peragi nequivisset, e converso posterior Donatarius semet in facie loci legaliter statui facit, tunc posterior hæc Donatio prævalet priori, cum enim prior legali Statutione roborata non sit, idcirco pro invigorosa reputari debet, adeoque nullum in Jure effectum producere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Si aliquis penes talem Donationem ex Jure procedat, quam Antenati ejusdem a Sigismundo Rege ante Annum 1406. impetrarunt, adeoque juxta Titulum 14. 2^{dæ} intra Annum confirmari debebat, licet confirmationem factam fuisse doceat, si nihilominus eadem intra terminum per citatam Legem præfixum non intercessit, sed nec pro directis Actoris Antenatis, qui videlicet Donationem illam primitus impetrarunt, & ad quos se Actor deducit, verum pro aliis ex Familia Personis respectu Actoris in linea Collaterali stantibus restrictive facta est, talis confirmatio Actori suffragari nequit; cum enim prima impetratio ex ratione intermissæ intra tempus Lege definitum, confirmationis evanuerit, per consequens jublequa confirmatio quasi Novam collationem sapiat, hinc tum ideo, tum vero quod eadem ad certas Personas restricta sit, ultra illas extendi non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Masculus Novam Donationem pro solo sexu Masculino impetrans, si ex post ad exclusionem Sexus Fæminei procedat, quamvis Donationem solis Masculis deservientem, attamen Statutione destitutam in probam Juris producat, non sufficit ad exclusionem Fæminarum in possessorio constitutarum; nam Titulus 37. 1^{mæ} per expressum dicit, quod Novæ Donationes imo etiam Divisionales inter Fratres Masculini Sexus, ac Expeditorie super Quartaliti solutione insufficientes sint, sed originales Literæ quibus videli-

cet eadem Jura possessionaria, aut empta, vel aliter adepta fuerint, in Judicio producantur, unde recte concluditur, quod primævarum acquisitionum productionem Lex eo intellectu Masculis imposuerit, ut soliditas Juris ipsis deservientis in Judicio examinari, & discuti possit, secus sequeretur, quod Fæminæ, quæ nec per novam Donationem Statutione firmatam, nec per Divisionales, nec per Expeditorias excludi possunt, per Legem, quæ tamen uti totus contextus ejus indicat, ipsis providere voluit, in longe deteriorum statum positæ essent; cum per Donationem de jure juxta Titulum 32. 1^{mæ} inefficacem possessio privari possent, quod ex Titulo 90. 1^{mæ} adhuc clarius patet, ubi expresse statuitur, quod etiam si uni Filiarum quarta Puellaris exolvatur, tamen alia super proprietate, & hæreditate Jurium in Judicio contendere possit. Neque dici potest, quod Fæminis, cum Masculis æquale jus prætentibus non competat, acquisitionum Literarum validitatem controvertere, nam de manutenendo ejusmodi possessio, cui Lex eousque favet, donec privata Masculorum jura non remonstrantur, utique competente ipsis Legis beneficio uti, & soliditatem juris in dubium vocare possunt, tanto magis, quod juxta Titulum 60. 1^{mæ} Fæminæ respectu Bonorum per Masculos private prætentorum, pro extraneis reputentur, igitur in hoc casu Masculi Fæminas excludere volentes, eandem quam contra Extraneos quoad Jus probam præstare tenentur; jam vero hæreditas, & proprietas in Jure validis, & vigorosis Instrumentis probari debet, igitur cum facultas in Jure contendendi Fæminis admittitur, legales Instrumentorum defectus objicere possunt. Neque inde sequitur, quod everso Masculorum Jure etiam Fæminarum jus corruat, adeoque contra se agant, nam in libertate Masculorum erat ejusmodi Litis motio, cum ergo Fæminæ Litem ingredi, seque in possessio tueri debebant, si forte Ingressioni Fiscii Regii ex Titulo 34. 1^{mæ} locum facerent, Masculi ejusmodi eventum sibi imputare debent. *Utraque Tabula.*

(III.)

Ad dandam, & recipiendam Contradictionis Rationem.

(Dec. 1.) Donatarius extra possessio impetratorum Bonorum constitutus, titulum impetrationis docere debet, quia Contradictor tamdiu titulum possessio sui edere non tenetur, donec in contrarium probis Impetratoris gravetur, & ideo in petitorio constitutum Actorem proba prætentiois suæ manet. *Utraque Tabula. E converso.*

(Dec. 2.) Si, & in quantum Donatarius in possessio impetratorum Bonorum constituitur, titulum impetrationis docere non debet, quia agit dumtaxat ad depurationem juris, cujus intuitu Contradictor prætentioem contra ipsum suscepit, cum igitur Contradictor in petitorio sit, prætentioem interposita contradictione, eminens, & solidius jus, illud probare debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis juxta Articulum 45. 1563. Statutiones in facie Bonorum peragi debeant, & nonnisi in casu metus hostilis extra faciem Bonorum peractas a censura idem Articulus eximat, si tamen plura Bona, notanter vero Possessio quædam cum certis

Præ-

Prædiis Possessione adnexis una, eademque Donatione conferatur, vel Arx, aut certa Possessio pro capite Bonorum in Donatione constituatur, esto Statuentes in facie cujuslibet individui Prædii occasione Statutionis non fuerint, sufficit tamen, si in facie Possessionis illius, cui adnexa in Donatione Prædia recensentur, vel vero in capite Bonorum Statuentes, eandem peragant, ac coram iisdem Convocatis Statutionem etiam ad vicinum, & adnexum Prædium extensam declarent, quia taliter jam in facie collati Boni Statutio peragitur, quæ eo ipso, quod in capite Bonorum ad Prædia pro appertinentiis per Donationem declarata, extensa sit, pro tali in Jure ac si in facie cujuslibet individui Prædii Statuentes fuissent, reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet Contradictor Donationem Palatinalem pro se, vel Antenatis suis super illa recte Possessione, quæ Actori subseque collata est, elargitam, Statutionem præterea penes ejusmodi Donationem peractam pro danda contradictionis ratione adducat, & ita prioritatem Juris opponat, tamen si Actor in obversum remonstret, quod homo Palatinalis Statutionem peragens Comitatu in illo, cui Bona collata adjacent possessionario jure careat, tunc quoniam Statutio juxta Titulum 19. 2^{dæ} essentiali Lege præscripto requisito destituta, jus non constituat, taliterque Contradictor in danda contradictionis ratione deficiat, Statutio Actoris purifatur, Restatutioque decernitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Ultimus Familiæ alicujus Masculus, si Filiam suam in Bonis, & juribus Familiæ præfici curet, ac Præfecta, vel Successores ejus agant contra Contradictores Sexus Fæminei descendentes, ac in possessorio Bonorum constitutos, ad depurationem Statutionis penes Præfectionales peractæ, tunc Sexu Fæmineo revelationem Literarum Bona ejusmodi concernentium, adurgente, Præfecta, vel ejus Successores jurare, ac universa Bona eadem tangentes Literas revelare tenentur, quia Actio sub titulo reddendæ rationis contradictionis dirigitur ad exclusionem Fæminarum in possessorio ejusmodi Bonorum existentium, prout igitur Masculi ad exclusionem Sexus Fæminei hominum procedentes, universas Literas revelare obligantur, ita casu in hoc cum Præfecta ipsum Sexum Masculinum, quantum ad jura repræsentet, eandem obligationem explere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Quamvis aliqua Possessio per plures impetretur, & ex his unus dumtaxat contra Contradictores in actuali possessorio constitutos, ad Statutionis depurationem agat, utut nullum Sanguinis nexum cum reliquis Condonatoriis habeat, tamen si titulum impetrationis probet, respectu totius impetrati Boni rationem interpositæ contradictionis exigere potest, quia contradictio ad totum extensa ei necessitatem imponit, ut respectu totius impetrati Boni contradictionis rationem reddat, unus præterea in his circumstantiis, reliquorum etiam Condonatariorum jus sustentat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Donatarius Juri Regio inhærens, licet impetrationi suæ inclusum Terrenum corporeum olim fuisse, & Donationi Partis Incattæ insertum haud esse remonstret, adeoque titulo latentis

Juris Regii sibi adjudicari petat, nisi tamen illud ad duos legales impetrationis fontes Notæ, vel Defectus reducat, prædicto titulo nihil consequi potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Esto Titulus 25. 1^{mæ} contra Donatarios titulo Juris Regii Bona per alios possessa injuste impetrantes, pœnam convictionis in perennali æstimatione impetratorum ejusmodi Bonorum statuat, Impetrator vero Lite contra Contradictores suscitata, ex Jure Regio procedens, illud comprobare nequeat, tamen eousque in pœna injustæ impetrationis convinci non solet, donec is, cujus Bona impetravit, jura sua legitimet, illaque firma esse probet, quia præcitatus Titulus tunc convictionem contra Impetratorem ferendam disponit, quando Incattus justo titulo, & firmo jure Bona talia possidet, jam vero id per Judicium non ante cognosci potest, quam si Incattus Juris sui bonitatem sufficienter probet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Donatarius penes collationem ex Nota ad depurationem Statutionis procedens, dumtaxat illa Notorii jura consequi potest, quæ is occasione incurfus Notæ realiter possedit, quæ item ex Pignore sive ipsius Notorii, sive item Antenatorum ejus reflexe tamen ad ratam Notorii ex Divisione obtentam possidentur, cum enim Pignoratitius possessor in jure ipsum oppignorantem, vel jus oppignorantis fœventem repræsentet, ac ita possessorium Pignoratitii pro possessorio oppignorantis reputetur, Bona talia cadunt sub classem Bonorum per Notorium possessorum, reliqua vero, quæ a præensione pendebant, quoniam Notorius juris sui nondum effecerat, pro ejusdem propriis reputari non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si quis titulo illo, quod Antenati eorum in possessorio impetratorum Bonorum præfuerunt, ipseque actualiter existit, Novam Donationem cum adnexo Jure Regio impetret, successive vero conferens de sinistra Impetratoris expositione, quod videlicet nec Antenati eorum possessorium talium Bonorum, neque vero Impetrator habuerit, capacitatus, esto post Statutionem jam pro parte Impetratoris peractam modo prævio concessam Donationem revocet, Bonaque actualibus Possessoribus conferat, tunc quamvis prior ille Impetrator adversus Contradictores agens collato Juri Regio inhæreat, illudque probare tentet, tamen si Contradictores Donationem revocatam esse, & expositionem Impetratoris reflexe ad Bona per se possessa sinistram fuisse remonstrant, Actor ab acquisitione removetur, quia Conferenti ex causis rationabilibus revocatio juxta Titulum 12. 2^{dæ} competit, rationabilis vero causa est, quando sub prætextu præhabiti, & actualis possessorii ad conferenda ejusmodi Bona, quorum possessorium nunquam habebat, conferentem inducit, ac ita prætextu impetratæ Novæ Donationis ex latente Jure Regio juribus bonæ fidei possessorum inhiat, præcipue cum canales primitivæ impetrationis respectu talium Bonorum, in quorum possessorio Impetrator, Antenatique ejus nondum erant, ad duos dumtaxat fontes Notæ, vel Defectus per Leges restricti sint. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 11.) Quamvis Actor ad dandam Contradictionis rationem Statutioni penes consensum Falsionibus perennalibus superinductum, opposita agat, & Incattus pro contradictionis ratione si-

ve intermissam erga se, qua condivisionalem occasione ejusmodi venditionis præmonitionem, sive illatum præjudicium adducat, motivaque Falsionis evertere velit, non tamen admittitur Lite illa per Actorem ad dandam contradictionis rationem mota, accessus ad invalidationem Falsionum, cum ad specialem ab hac utpote natura sua distinctum Processum ejusmodi quæstiones pertineant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si Donatarius talia Bona per defectum certæ in specie Familiæ impetret, cujus Successores Masculi occasione ejusmodi impetrationis in vivis adhuc præexistunt, utut probetur eosdem in Religioso Statu esse, votoque se obstrinxisse, tamen penes illam Donationem ad reddendam contradictionis rationem agens consequi nihil potest, quia Titulus 10. 1^{mæ} pro fundamento collationis ex defectu realem, & naturalem defectum exigit, Religiosus vero utut mundo mortuus dicatur, pro deficiente tamen non reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Falsionarius extra possessorium Boni constitutus, consensum Falsioni superinducens, & ad depurationem Contradictionis agens, licet Judiciales Literas, seu Mandatum Præceptorio-Divisionale cum subsequuta reali divisione, ac penes has pro usu antiqui temporis erga Palatinale Mandatum peractam Statutionem, aliaque longiorem usum indicantia Instrumenta exhibeat, illa tamen ad remonstrandum Fatentis jus non sufficiunt, quia Statutio talis pro more antiqui temporis erat ipsa Sententiæ effectuatio, sive executio, quæ se solo jus non constituit, jam vero extra Dominium ad dandam contradictionis rationem agens, ultra possessorium jus etiam Fatentis, vel Antenatorum ejus docere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Quamvis Donatarius titulum impetrationis ex speciali alicujus Personæ Nota, vel defectu assumptum probare nequeat, si tamen Jus Regium adnexum habeat, potest titulo latentis Juris Regii agere, & Processum ultro continuare, quia licet a prima parte Donationis cadat ideo, quod illius cujus in specie Notam, vel Defectum pro titulo impetrationis assumpsit, docere nequeat, superest tamen eidem collatum Jus latens Regium, quod prosequi potest, ita tamen ut ad solitos duos fontes, quibus jura possessionaria ad Sacram Regni Coronam redevolvi solent, nempe: Notam, vel Defectum reducat, qui si cujuscunque demum distinctæ Familiæ ab ea, quæ in Donatione specificata est Notam, vel Defectum, jus item, & possessorium reflexe ad Bona impetrata docere potuerit, Incattus contradictionis rationem assignare, & jus juri opponere debet, Donatarius enim omnia ea ex latente Jure Regio consequi potest, quæ Fiscus Regius his titulis sui juris efficere quivisset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Donatarius Contradictorem evocare negligat, potest Contradictor contra Donatarium respectu Bonorum per eundem impetratorem ad recipiendam contradictionis rationem agere, & ita cum procuranda cassatione Donationis, quam alter impetraverat, jura sua depurare, & si Contradictor extra possessorium Bonorum, tam occasione Statutionis Donatarii, quam &

moti per ipsum Processus constituatur, tunc contradictionis rationem cum juris, ac præhabiti possessorii edoctione assignare debet, cum possessor tamdiu pro legali possessore reputetur, donec in petitorio constitutus, contrarium probet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Quamvis Nova Donatione tota possessio impetretur, si tamen Donatarius suum, vel Antenatorum possessorium in tota Possessione præhabitu docere nequeat, tunc aquisitio ejus dumtaxat ad portionem, cujus intuitu præhabitu possessorium docet, restringi solet, quia titulus Donationis præhabito possessorio innixus ultra mentem, & voluntatem conferentis extendi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Esto Actor extra possessorium constitutus, per defectum Masculorum Bona impetrans, pro proba tituli impetrationis non solum Familiæ ejusdem defectum, sed & antiquam super iisdem Bonis pro Sexu Masculino deficientis Familiæ elargitam Donationem Statutione firmatam producat, si tamen remonstratur, quod Statutio illa Masculorum per Sexus Fæminei homines contradicta sit, pateatque Fæminarum cum Masculis post hanc Statutionem longiori tempore continuatum simultaneum possessorium, tunc Actor ab impetratione amovetur, cum enim Statutio pro Masculis facta contradictione Sexus Fæminei hominum, non tantum vulnerata fuerit, sed & obstante simultaneo fæminarum possessorio ad suam consistentiam perducta non sit, probam juris privati Masculorum haud constituit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Quamvis Contradictor distinctæ ab ea, ex cujus Nota, vel Defectu Donatarius impetrationem fecit Familiæ jura usu antiquo firmata, contra Donatarium in possessorio impetratorum Bonorum constitutum remonstrat, non alias tamen, quam si illa sibi applicare potuerit, pro contradictionis ratione sufficere possunt, cum enim contradictio ad juris sui sustentationem per Contradictorem interponi consueverit, jus tale remonstrari debet, quod ipsum, & non alium concernit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Donatarius ad depurationem Statutionis contra Contradictores procedens, probet inter se, & deficientem super mutua successione Contractum initum, eidemque consensum Regium superinductum fuisse, ac insuper jus, & possessorium deficientis doceat, si tamen in obversum Incattus remonstrat, quod penes consensum vita durante Contrahentium superinductum intra Anni revolutionem a tempore defectus Contrahentis computandam, Statutio peracta non fuerit, tunc Donatarius penes ejusmodi consensum, & Statutionem acquirere nihil potest, quia ex Titulorum 63. & 66. 1^{mæ} dispositione, tales super mutua successione initi, & consensu Regio vita durante Contrahentium provisi Contractus, si intra Anni revolutionem a defectu Contrahentis computandam, Statutione non firmentur, vim amittunt, adeoque jus amplius non constituunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Si quispiam Statutioni ex actuali possessorio peractæ solum conditionate contradicat, exempli causa ita: Ego Statutioni huic si, & in quantum juribus meis quoquo modo præjudicaret, contradico; & Donatarius talem Contradictorem ad dandam
con-

contradictionis rationem evocare negligat, potest Contradictor ille non obstante eo, quod solum conditionate contradixerit, Donatarium ad recipiendam contradictionis rationem evocare, & si sufficientem contradictionis rationem reddat, tunc Donatio cassatur, Bonaque Contradictori adjudicantur, licet enim ejusmodi contradictio eorum, dum interposita existit conditionata fuerit, postquam tamen Contradictor in Processu jura sua legitimavit, & sufficientem contradictionis rationem reddiderit, jam eo facto absoluta evasit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Statutiones tales, quæ ob metum Prædonum, vel aliorum id genus hominum securitatem publicam turbantium extra faciem loci peraguntur, non valent, tum quod Lex de forma requirat, ut Statutiones in facie loci peragantur, forma vero per æquipollens non impleatur, nisi in casibus per Leges expresse dispensatis, tum vero quod a metu hostili, quem Leges pro sufficienti agnoscunt, non procedat consequentia ad metum propter Latrocinia conceptum, quia contra hostes non potest parari sufficiens securitas, e converso contra Prædones dantur sufficientia semet ad securitatem ponendi media. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Quamvis Titulus 19. 2^{dæ} Jurium Possessionariorum Statutiones per tales Regios, & Palatinales peragendas statuatur, qui in gremio Comitatus, cui impetrata Bona adjacent hæreditatem Nobilitarem habent, ubi tamen Bona pluribus Comitatibus adjacentia una, eademque Donatione conferuntur, licet Regius, vel Palatinalis in omnibus Comitatibus, in quibus collata Bona continentur, hæreditatem Nobilitarem non habeat, nihilominus si in Comitatu illo, cui Bona Liti substrata insunt, possessionatus sit, Statutio pro legitima reputatur, quia quoad Actionale substratum Legis præscriptio satisfactum est, e contra quoad Bona in Comitatu ubi Regius, vel Palatinalis possessionatus non erat, cassatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Dum Donatarius ex recenti, utpote Præscriptionis Annos nondum transcendente, defectu agit, licet pro titulo impetrationis possessorium deficientis probare sufficiat, si tamen Sexus Fæmineus in possessorio impetratorum Bonorum constitutus, inter Sexum utrumque respectu eorundem Bonorum initam divisionem, vel secus etiam cum Masculis præhabitum possessorium opponat, tunc Donatarius privatum jus Masculorum docere debet, & ordinariam juris probam Expeditoriis super Quartæ Puellaris exolutione Sexus Fæminei divisionem præcedentibus, supplere non potest, nam hoc ipso, quod Divisio Fæminarum Expeditorias subsequatur, fortis, gravisque præsumptio est, quod Bona ejusmodi utrumque Sexum concernant, ideo jus radicale deficientis Masculi claris, sufficientibusque probis demonstrari debet, Expeditoriæ enim juxta Titulum 37. 1^{mæ} probam juris Masculini ex natura sua non constituunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Si quis per recentem defectum cujuscumque specificæ Personæ cum hac generali: clausula per mortem, & defectum talis vel talis absque additamento voculæ seminis Impetrationem faceret, non sufficit pro legitimando impetrationis titulo, licet defectu

ctus recens fit, hoc docere, quod deficiens in Sexu Masculino defecerit, sed defectus utriusque Sexus doceri debet, cum enim collatio generaliter per mortem, & defectum facta sit, idcirco gravis præsumptio assurgit, an non illa per defectum utriusque Sexus fuerit, quæ præsumptio secus elidi nequit, nisi Donatarius per productionem primitivarum acquisitionalium comprobet, quod Bona Actionalia originaliter ad Sexum dumtaxat virilem facta, & per deficientem tali jure possessa exstiterint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Si Donatarius respectu talium Bonorum, in quorum possessorio deficiens non erat, ad dandam contradictionis rationem procedat, esto defectus recens fit, tamen ultra possessorium, jus etiam Antenatorum deficientis probari debet, prout enim deficiente in petitorio constituto, ad consequendam ex jure prætensionem simplex Antenatorum suorum possessorium non suffecisset, ita nec Donatario, qui jus deficientis sibi collatum habet, sufficere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Licet Falsio sub privato Sigillo celebrata sit, si tamen consensu Regio conformiter ad Titulum 64. 1^{mæ} firmata sit, nova impetratio amplius locum non habet, Consensus namque Regius Donationem redolet, & juxta citatum Titulum juris eventualis per Principem factam collationem sapit; jam vero quod semel legitime collatum est, denuo conferri non potest. Nec obstat, quod Falsio cui consensus Regius superinductus est, sub privatis Sigillis celebrata fuerit, adeoque juxta Titulum 13. 2^{dæ} pignus sapiat, hæc enim Legis dispositio hæredibus, & Successoribus Fatentis deservit, eveniente autem illius defectu, is, qui consensum Regium superinduxit, jus ex collatione Principis obtinet, cui præcedentis Falsionis vitium nulla ratione derogare potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Donatarius ex Nota Bona impetrans, si ad dandam contradictionis rationem procedat, sufficientem tituli impetrationis probam non præstat, quamvis doceat, quod pars Bonorum prætensi, nec tamen sua legali forma convicti Notorii per alios prævie jam titulo ejusdem Notæ impetrata fuerit, imo quod prætensus Notorius ex impetratis Bonis partem aliquam iisdem Donatariis per initam conventionem cesserit, & ita in ea parte Statutionem puram reddiderit; enim vero subsequens impetrantium conventio absque prævia in crimine convictione præsumptionem dumtaxat facit, jam vero titulus Impetrationis non præsumptionibus, sed evidentibus probis doceri debet, præcipue cum Articulus 9. 1715. evidentem, & juris ordine peragendam ejus convictionem prærequirat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.) Quamvis Articulus 45. 1563. in casu dumtaxat Hostilis metus in locis tamen Bonis statuendis vicinioribus peractas Statutiones expressis verbis admittat, si tamen comprobari potest, quod in illo loco lues pestifera actualiter grassetur, adeoque sine evidenti vitæ periculo Regius, & Capitularis intra tempus pro peragendis Statutionibus Lege definitum eo accessum habere non poterint, facta in vicino loco Statutio Donationis vim non infringit; nam citati Articuli 45. ratio etiam pro casu Pestis utique deservire debet; enim vero haud minus a peste, quam ab hostibus vitæ periculum imminet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.)

(Dec. 29.) Donatarius per defectum singularis, & nominetenus in Donatione expressæ Personæ Bona impetrans, licet Testimoniales illius Comitatus, cui Bona impetrata adjacent, super eo exhibeat, quod nominis ejusdem Sexus Masculinus in Comitatu illo non existet, quodve ipse Fæmineus Familiæ ejusdem Sexus in eodem Comitatu residens, fidedigne recognoverit, Familiam eandem in Sexu Masculino defecisse, tamen pro proba assumpti in Donatione defectus, ejusmodi recognitio non sufficit, tam quod pro titulo impetrationis specificus Personæ defectus assumptus sit, adeoque in specifico probari debeat, tum vero quod ob continuas, quas priori Sæculo a Christiani Nominis hoste Regnicolæ pati debebant vicissitudines, sedes suas mutasse, & ad disitos Comitatus tutioris permanfionis causa, transmigrasse constet, per consequens licet in illo Comitatu nemo de illa Gente reperiatur, inde tamen non sequitur Familiam Impetrantis defecisse, jam vero titulus impetrationis clare, & plene probari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 30.) Cum ex positiva Legis Articuli quippe 36. 1609. dispositione Procuratores, qui videlicet Causas, & negotia Regnicolarum promovent, Principalium suorum Bona, quorum Literas tractarunt, nullo titulo sub invigrositatis impetrare valeant, hinc licet Advocatus Fassioni sibi legitime celebratæ consensum superinducat, si tamen Jus Regium ultra Fassioni involutam portionem, etiam quoad residuas in eodem Bono portiones, notanter vero per illum, cui condam in Litibus adstitit, vel ejus Condivisionales possessas extendat, tunc esto Lites illæ, in quibus Impetrator Advocatum egit, non ex Jure, sed ex usu tantum promotæ fuerint, atque adeo per Contradictorem plene probari nequeat, Literas Jura ejus radicalia quovis modo tangentes, tractasse, ac ita notitiam latentis Juris Regii ex Literis eidem pro Causarum defensione concreditas, accepisse, tamen vel ad solam suspicionem removendam, Juramentum super eo, quod nullo unquam tempore Literas Principalis sui respectu eorundem Bonorum acquisitionales, aut Jura, & proprietatem tangentes, legerit, & investigaverit, aut sibi concreditas habuerit, præstari debet, citatus namque Articulus ejusmodi impetrationes plane iniquas esse dicit, æquum igitur est, ut Impetrator Juramento purgatorio ab omni suspicionem se immunem reddat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 31.) Non tantum per Advocatos, sed & per eos, qui five Plenipotentarii munus gesserunt, five vero alia gesti officii ratione Principalibus suis condam obstricti erant, factæ impetrationes cassantur, si probari possit Principalis olim sui Literas factum impetratorum Bonorum tangentes, five fidei suæ concreditas habuisse, five vero tractasse, adeoque ex iis defectum Jurium quavis ratione cognoscendi occasionem habuisse, cum enim hi omnes, si non majori, ea saltem qua Advocati obligatione, & fide ad promovendam Principalium suorum utilitatem obstricti erant, adeoque factum eorum sub censuram Articuli 32. 1655. merito cadere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 32.) Impetratio titulo Notæ, vel defectus illius, ex cuius Nota, vel defectu jam alter Jura ejusdem Notorii, vel deficientis possessionaria impetraverat, & se legitime statui curaverat, quam-

vis ille, vel successores in possessorio non sint, tamen inefficax est, quia Jus Regium jam per priorem collationem ex Nota, vel defectu ejusdem Notorii, aut deficientis factam, exhaustum, impetrari amplius eodem titulo nequit, nec obstat, quod in possessorio non constituentur, poterant enim illo excidere, vel ad illud non pervenire, ideo vero factæ ipsi collationis vigor non evanescit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 33.) Si Donatarius Curiam dumtaxat, vel portiones in certis Possessionibus impetret, & plures in iisdem Possessionibus Compossessores sint, non sufficit jus, & possessorium deficientis Familiæ in abstracto docere, sed titulum impetrationis possessorio Lucattorum in specifico applicare debet, quia nemo possessorii sui rationem prius reddere tenetur, quam directa contra se proba gravetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Licet in Donatione, qua integra Dominia conferuntur, specificè omnes Possessiones, & Portiones possessionariæ ad eadem Dominia spectantes, non recenseantur, si tamen illa clausula: totalia, & integra Dominia cum cunctis pertinentiis, prout scilicet eadem universa Bona per Notorium possessa sunt adjecta, & præterea Jus etiam Regium collatum sit, tunc posterior Donatarius nonnullas Portiones prioris Impetratoris Donationi specificè non insertas, impetrans, quamvis probet easdem distinctivæ ab ea ex cujus Nota prior impetratio facta est, Familiæ fuisse, si tamen Familia eadem ante prioris Donatarii impetrationem defecit, & is, ex cujus Nota, vel defectu prior intercessit impetratio easdem portiones ad collata Dominia possedit, tunc posterior Donatarius nihil consequi potest, cum enim prior Donatio ad universa per Notorium possessa Bona extensa, totum item, & omne Jus Regium jam collatum fuerit, nihil amplius titulo latentis Juris Regii impetrari poterat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 35.) Quamvis juxta Articulum 26. 1715. de Bonis extra collationem Regiam, vel Palatinalem aquisitis, etiam ultimus deficiens libere disponere valeat, si tamen ejusmodi Falsionarius consensum Falsioni superinducat, seque statui curet, tunc ex defectu illius Bona consenti inclusa valide impetrari possunt, nec impedit quod fundamento Falsionis, non vero superinducti consensus, possessorium adierit, nam per superinductum, & etiam Statutione firmatum consensum Regium priori ex Falsione adeptus Juris titulus in novum ex collatione Regia promanantem Juris titulum facto aqvisitoris transformatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 36.) Quamvis Donatarius in possessorio constitutus, eoque donec Contradictor rationem contradictionis assignet, adeoque Jus Juri opponat, Literas suas exhibere non teneatur, tamen si Sexus Fæmineus contra Masculos ad recipiendam contradictionis rationem Novæ Donationi oppositam agat, licet Masculi in actuali Bonorum possessorio sint, Sexus vero Fæmineus extra possessorium constituatur, si tamen in Processu aliqua vestigia æqualitatis Juris utriusque Sexus eveniant, tunc Masculis universalium Familiæ Literarum factum impetratorum Bonorum tangentium, sub Juramento productio imponitur, quia Sexus Fæmineus in ejusmodi

modi casibus Lite ad recipiendam contradictionis rationem mota, exclusionem sui per Novam Donationem attentatam, vindicat, adeoque quæstio inter Sexum, & Sexum intuitu æqualitatis Jurium subversatur, Tituli autem 37. & 90. 1^{mæ} ubi exclusio Fæminarum per Masculos tentatur, universarum Literarum Masculis (qui alioquin juxta Titulum 42. 1^{mæ} conservatores sunt) productionem sub Juramento imponunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 37.) Contradictor esto gradualement nexum inter suum, & deficientis Antenatum docere nequeat, si tamen ostendat, non solum divisionem inter eos intuitu impetratorum Bonorum intervenisse, verum præterea probet, post divisionem Antenatum suum Novam Donationem superinduxisse, illamque etiam ad deficientis Antenatum extendisse, sufficientem contradictionis suæ reddit rationem, Divisio enim Successionem infert, Successio vero præsupponit Sanguinis nexum, illum vero præfuisse ipsa Novæ Donationis per Antenatum Contradictoris impetratæ ad deficientis progenitores facta extensio sufficienter probat, cum ejusmodi Novæ Donationis Extensio juxta Titulum 38. 1^{mæ} ob evitandam pœnam proditionis Fraternalis Sanguinis fieri consuevit. *Utraque Tabula in hac quæstione Juris.*

(Dec. 38.) Cum Donatio, & Statutio, quæ possessorio firmata non est, jus solidum constituere nequeat, hinc si ejusmodi Donatarius priusquam possessorium impetrati Juris legali via adipiscatur, deficiat, impetratio ex illius defectu facta inefficax est, ejusmodi namque jus ad plenam consistentiam, & legalem perfectionem, juxta Titulum 27. 1^{mæ} nondum pertigit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 39.) Si Bona quæpiam duobus nullam Sanguinis connectionem sistentibus per Regiam Majestatem ea cum declaratione conferantur, ut Bona illa mediante Contractu per corpora inter ipsos separata, prouti actualiter privative possidentur, ultro quoque absque tamen mutua successione possideant; licet occasione Statutionis unus alteri certi Terreni sibi privative collati partem coram Regio, & Capitulari occasione ipsius Statutionis Condonatorio cedat, Regius vero, & Capitularis declarationem talem relationi suæ inserant, tamen si is, pro quo respectu totius corporis unde terræ eadem cessæ sunt, Statutio in conformitate Donationis peracta est, deficiat, tunc novus Donatarius per defectum ejus Bona universa juxta priorem Donationem collata impetrans, Lite ad dandam contradictionis rationem suscitata, Terras prævio modo cessas, reobtinere, cum enim prior Donatarius Bona eadem sibi per Donationem collata habens, ex iis absque consensu Regio abalienare nihil potuerit, jam etiam quoad cessas particulas Jus Regium enatum est, declaratio vero, & cessio occasione Statutionis facta, vim Statutionis legalis, quæ conformiter Donationi peragenda est, nec redolet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 40.) Donatarius sub titulo latentis Juris Regii ex incapacitate actualis Possessoris Bona impetrans, ad legales fontes Notam videlicet, vel Defectum impetrationem suam reducere debet, tum ideo, quia his titulis Regnicolarum Bona ad Sacram Regni Coronam devolvuntur, tum vero, quia per Articulos 30. 1630. & 23. 1715. cuilibet Nobili, vi prærogativæ Actio ad excutiendum possidentorum

dorum Jurium Nobilitarium incapacem attributa est, igitur id, quod alioquin peculiari Actoratu, & Actione vi prærogativæ, Nobili competit, pro titulo impetrationis statui nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 41.) Licet Impetrator pro edoctioe Juris deficientis Novam Antenatorum ejus Donationem pro Sexu dumtaxat Masculino regulatam, & Statutione provisam, exolutionem item super Quartæ Puellaris in una Linea stantium Puellarum contra Sexum Fæmineum in possessorio constitutum, doceat, si tamen Sexus Fæmineus in obversum probet, tam ante, quam post Novam Donationem Sexum Fæmineum in impetratorum Bonorum consue fuisset, tunc Nova Donatio ad probandum novum jus Masculorum non sufficit, quia Nova Donatio se solo, absque videlicet privato Masculorum possessorio juxta Titulum 37. 1^{mæ} ad removendum Sexum Fæmineum inefficax est, excontentatio vero lineæ unius super Quarta Puellari, reliquis eo ipso præjudicare nequit, cum Titulus 90. 1^{mæ} per expressum activitatem relinquat, ut de proprietate, seu hæreditate talium Jurium possessionariorum contendere, & utrum illa Sexum Fæmineum sequatur experiri valeant, prout igitur Sexui Masculino Nova ejusmodi Donatio privato ipsorum usu haud firmata, ad excludendum Sexum Fæmineum jus tribuere non poterat, ita nec Donatario jure ejusdem agentis, suffragari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 42.) Si Novæ Donationis titulo Impetrans procedat, ex petitorio respectu talium Bonorum, in quorum possessorio occasione ejusmodi impetrationis non erat, quæve Contradictori Novæ Donationis titulo prius collata, atque legitima Statutione, & possessorio firmata sunt, licet vetustum Familiæ suæ, illudque longiori tempore continuatum possessorium Impetrator probet, nisi forte violentam sui per Contradictorem, aut Prædecessores ejus e possessorio excussionem doceat, Nova illa in vetusto, illoque interrupto possessorio fundata Donatio ad exturbandum e possessorio actualem Possessorem alterius impetrationem præcedente, Nova Donatione provisum non sufficit, cum prior legitime facta, & possessorio firmata impetratio subsequam collationem inefficacem reddat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 43.) Donatarius esto doceat deficientem respectu impetratorum Bonorum ad Commissionem Neo aquisticam citatum, ibidemque convictum fuisse, ac tandem per Regiam Majestatem, consideratis tum Antenatorum ejus meritis, tum vero quod injuria temporum Literalia Instrumenta deperdita esse perhibeantur, ab omni Fisci Regii titulo, & Jure Neo-aquistico formata præensione absolutum fuisse, hæc tamen ad probam tituli impetrationis contra Deficientis Congenerationales in possessorio eorundem Bonorum constitutos, non sufficiunt, ejusmodi namque a Fiscali præensione facta absolutio Literarum amissionem pro fundamento habet, jam vero Literarum deperditio præhabitum Jus, & possessorium præsupponit, igitur hæc eadem absolutoria Sententia, cui Impetrantis proba nititur, etiam possessorium Contradictoris jus condivisionalitatis cum deficiente habitum, remonstrantis, firmatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 44.)

(Dec. 44.) Dum Donatarius jus, & possessorium illius, ex cuius Nota, vel defectu Bona impetrat, non quoad integra corpora, sed portiones dumtaxat probat, vel si ex Nova Donatione procedat, possessorium nihilominus suum aut Antenatorum in portionibus dumtaxat docet, tunc Donatio, & Statutio ejus ad Portiones tantum, cuius intuitu jus, & possessorium remonstrat, restringi, in reliquo vero cassari, sive pro inoperosa per Sententiam declarari solet; quia Donatarius eatenus in proba tituli impetrationis deficit, adeoque ex defectu probæ impetratio viribus destituta manet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 45.) Quamvis Donatarius probet deficientis Familiæ jura in prima sua origine per Donationes pro Sexu Masculino regulata, ac privato, eoque longævo Masculorum usu firmata fuisse, & successu dumtaxat temporis per Successores illorum, imo per ultimum tantum deficientem Bona eadem pro utroque Sexu impetrata esse, ac tum ex eo, quod primævæ acquisitiones per ultimum præsertim deficientem alterari nequeant, tum vero quod superstite Sexu Masculino Jus Regium prout enatum nondum erat, ita illud impetrari nequiverit, Jus latens Regium per se impetratum, elicere tentet, nec tamen hæc omnia ad probandum Jus Regium sufficiunt, quia jam tunc, dum Bona ejusmodi pro utroque Sexu conferuntur, ita prout in consensu Falsionibus superinducto fieri solet, Conferens Juri eventuali Sacræ Coronæ renunciat, & jus illud in Sexum Fæmineum transfert, obstante igitur Donatione ad utrumque Sexum extensa, taliterque Bonis iisdem utriusque Sexus effectis, illa amplius per defectum Sexus Masculini impetrari non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 46.) Esto Pignoratitius dumtaxat possessor Statutioni Donatarii contradicat, & contradictionem suam ad inhærentes tantum Summas restringat, hæc tamen Pignoratitii Possessoris contradictio Proprietario suffragatur, ita ut is, sive titulo Evictionis in Litem vocatus, sive vero Bonum a Pignoratitio recipiens, probam tituli impetrationis exigere, & jura sua penes contradictionem Pignoratitii plene defendere valeat, quia contradictio per actualem Possessorem facta est, jam vero possessorium Pignoratitii, pro possessorio Proprietarii in Jure reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 47.) Quamvis Titulus 69. 1^{mæ} statuatur, quod ejusmodi Bona, quæ per Falsionem cum clausula: Nullum Jus celebrantur, deficiente Falsionario non ad Fatentem devolvantur, sed collationi Regiæ Majestatis subiaceant, si tamen ejusmodi Falsio per Deficientem Contradictori, utpote; ejus in iisdem Bonis Condivisionali, a quo Deficiens ipse actionale Bonum jure Falsionali acquisivit, celebrata fuerit, Donatarius ex defectu Falsionarii nihil consequitur, hæc enim per Acquisitorem jure condivisionali Contradictorem concernentis, Boni eidem facta venditio Refalsionem, & contra Titulum 59. 1^{mæ} factæ alienationis, læsq; juris reparationem involvit, per consequens Contradictor ille non jam jus deficientis, sed potius jus hæreditarium Familiæ suæ repræsentare censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 48.) Donatarius per Notam, vel defectum prioris Donatarii Bona impetrans, si Statutio Notorii, vel Deficientis contradictione vulnerata fuit: & ab hac depurata, adeoque subsequo

possessorio firmata non est, ex Nota, vel defectu ejus consequi nihil potest, cum in ejusmodi casibus proba tituli impetrationis jus solidum prærequirat, quod Donatio & Statutio usu destituta non constituit, præcipue cum Notorii juxta Titulum 49. 1^{mæ} & Articulum 9. 1715. Bona dumtaxat per se possessa amittant, Fiscus vero Regius sensu Tituli 27. 1^{mæ} propagativus hæres non sit, adeoque talia, quæ per Notorium possessa, & juris ejusdem effecta non sunt, impetrari, & aquiri nullatenus possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 49.) Licet Donatarius penes Sententiam contra Contradictorem ex Contumacia, five per non venit latam, in possessorio Bonorum sit, tamen si Contradictor beneficio Novi ad recipiendam contradictionis rationem procedens remonstret, quod occasione Statutionis Donatarii in possessorio impetratorum Bonorum fuerit, adeoque ex possessorio contradixerit, tunc Donatarius titulum impetrationis docere debet, quia Processus beneficio Novi ad primordialia reducitur, per consequens Contradictor per Sententiam Contumaciæ e possessorio excussus in illo statu in quo occasione motæ Fundamentalitatis Litis, ante videlicet Contumaciæ Sententiam erat, considerari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 50.) Si quispiam Donationi alterius ex possessorio contradicat; & propterea evocatus non compareat, atque adeo ex Contumacia vincatur, taliterque contradictione ejusdem cassata, & Restatutione decreta, Donatarius Executione mediante possessorium Boni Actionalis adeat, subsequere dein Contradictor novisset, tunc idem Contradictor in Processu Novi non tenetur eoque rationem contradictionis suæ reddere, Donec Donatarius titulum impetrationis legitimet, cum enim beneficio Novi res ad statum priorem redeat, hinc quemadmodum tunc, dum ex possessorio contradicens ad Processum primitivum evocatus fuit, si comparuisset, & semet defendisset, ante legitimatum per Donatarium impetrationis titulum rationem contradictionis reddere non fuisset obligatus, ita id ipsum etiam in Novo observari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 51.) Si & Donatarius occasione Statutionis, & Contradictor in possessorio impetratæ Possessionis certa in parte sint, esto Donatarius respectu totius impetrati Boni ad depurationem Statutionis procedat, tamen præferenter respectu actualis possessorii sui contradictionis rationem a Contradictore exigere potest, nec eoque respectu portionis per Contradictorem possessæ, ad probam tituli impetrationis stringi solet; quia principale objectum Actoris est, ut primum, & ante omnia respectu actualis sui possessorii Statutionem suam a contradictione depuret, taliterque se in præhabito suo possessorio firmet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 52.) Contradictor ad recipiendam contradictionis rationem respectu talium Bonorum, in quorum possessorio occasione interpositæ Contradictionis non erat, procedens, esto longo admodum tempore præhabito Antenatorum suorum possessorium doceat, pro danda tamen contradictionis ratione non sufficit, quia ejusmodi Actio sub titulo reddendæ rationis contradictionis acquisitionem juris involvit, simplex vero possessorium esto illud longiori tempore continuatum sit, probam Juris non constituit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 53.)

(Dec. 53.) Si quis Novam Donationem cum hac expositione impetret; quod Antenati ejus in impetratæ totalis Possessionis possessorio præfuerint, ipseque existat, ac penes hanc contra Contradictores procedat, quamvis priorem Antenatorum suorum super totali illa Possessione Novam Donationem pura Statutione firmatam, producat, tamen si non quoad totalitatem, aut respectu Portionis dumtaxat præhabitu possessorium probet, tunc Donatio ejus in tantum dumtaxat in quantum usus doceri potest, stabilitur, in reliquo vero cassatur, quia relate ad titulum impetrationis respectu totalitatis assumptum in proba deficit, provocata enim puritas Statutionis juxta Articulum 28. 1715. probam usus non præstat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 54.) Si Princeps Bonum quoddam Camerale, in quo præter Camera, etiam alii fuerunt Compossessores, alicui conferat, & illi occasione Statutionis contradicant, proptereaque per Donatarium ad dandam rationem contradictionis evocentur, tunc ad legitimum impetrationis titulum sufficit, si Donatarius doceat, quod olim totum collatum Bonum Camera possederit, Contradictores vero medio tempore possessorium ingressi Portiones per se possessas, vel directe a Camera, vel ex cessione talium, qui ex indultu Cameræ possessorio immanserunt jure temporaneo obtinuerint, quia Possessor Pignoratitius Jus Proprietarii in quæstionem summere non potest, per consequens eveniente eo, quod Contradictor in Bonis impetratis solum jus temporaneum foveat, statim ad dandam contradictionis rationem obligatur. *Utraque Tabula.*

(IV.)

Ex Æqualitate & Inæqualitate Juris.

(Dec. 1.) Si Sexus Masculinus ad exclusionem Sexus Fæminei in actuali Bonorum possessorio stantis, agat, tunc debet universas Literas Bona Actionalia qualitercunque concernentes, sub Juramento revelare, Elenchum illarum producere, & omnia ea, quæ per Fæminas communicari petuntur, cum iisdem communicare, tum quod juxta Titulum 37. 1^{mæ} ad exclusionem Sexus Fæminei ipsæ Literæ originales, quibus Bona primitus comparata fuerunt, produci debeant, tum vero quod sensu Tituli 42. 1^{mæ} prærogativa conservationis Literarum Familiæ Masculis competat, per consequens antequam eadem omnes per Sexum Masculinum producantur, qualitas Jurium Familiæ adæquate cognosci non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Dum Masculi ad exclusionem Sexus Fæminei procedunt, non sufficit, si solus Frater Literarum Conservator Juramentalem Literarum revelationem adornet, verum quilibet in individuo Masculus deponendi Juramenti capax, ejusmodi Juramentalem Revelationem præstare tenetur, quia facile contingere potest, ut etiam talis frater, qui Literarum Familiæ Conservator non est, quaspiam Literas præ manibus habeat, quæ pro elucubrandis Jurium qualitate deservire possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quando Masculi ad exclusionem Sexus Fæminei procedunt, & primitivas acquisitionales ad Sexum dumtaxat Masculi-

num regulatas, producant, Fæminæ autem Genealogiam illorum in quæstionem vocant, tenentur Masculi semet ad primum Acquisitionem deducere, taliterque producta Privilegia sibi applicare, quia juxta Titulum 60. 1^{mæ} Fæminæ in Bonis præcise Sexum Masculinum concernentibus, reputantur pro Extraneis, quemadmodum itaque in casu eo, quo extraneus contra extraneum ex Jure procedit, tenetur Actor sibi Privilegia, quæ ad probam juris producit, circumstantialiter applicare, ita idipsum casu in præmissis obligantur etiam Masculi contra Fæminas præstare. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si in Processu per Masculos ad exclusionem Sexus Fæminei promotus, Judex adinventus Juris inæqualitate, exclusionem Fæminarum decernat, possunt illæ eodem Instituto Quartalium sibi ex Bonis Actionalibus competens, petere, quia juxta Titulum 29. 1^{mæ} Filia ex Bonis Paternis, etiam si præcise Sexum Masculinum concernant, excludi non possunt, antequam illis Quartalium excindatur, & alioquin non convenit, ut præsertim inter Sanguine junctos cum dispendio expensarum Lites multiplicentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si in Processu ad exclusionem Sexus Fæminei suscitatus, privativum jus Sexus Masculini eveniat quidem, nihilominus Fæminæ Fæssiones perennales super Bonis Actionalibus a Masculis adeptas obvertant, tales Fæssiones illo Instituto invalidari non possunt, verum Masculi ad invalidationem illarum distinctum Processum instituere debent, quia Actio regulat Partes, & Judices, cum itaque Actio ex jure radicali inter Sexum, & Sexum controverso, instituta sit, Fæminæ vero ex radice juris nihil præendant, verum privatis acquisitionibus inhæreant, idcirco antequam eatenus peculiariter in Litem vocentur, respondere, & possessorio suo cedere non tenentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Fæminæ contra Masculos ad æqualitatem Juris procedentes, primum, & ante omnia tenentur se cum Masculis connectere, quo præstito, incumbit Sexui Masculino universas Literas Bona Actionalia tangentes, sub Juramento revelare, & cum Sexu Fæmineo communicare, cum enim illi sint Conservatores Literarum Familiæ, idcirco adminicula ex quibus qualitas Jurium elici debet, occultare non possunt, verum Fæminas de privativo jure, & possessorio suo adæquate capacitate obligantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Dum Masculi ad exclusionem Fæminarum procedunt, & Judicium petitam exclusionem pronunciat, tunc Fæminæ in serie liquidationis sub prætextu onerum Sexus Masculini non possunt petere expensas, in sepulturam Patris, vel Fratris, aut emaritationem Filiarum erogatas, quia similibus expensis hæreditas Masculorum onerari nequit, verum eadem ex fructibus Bonorum depromi debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Dum Fæmina ad consequendam Juris æqualitatem procedit, non tenetur Masculos illos, qui extra possessorium Bonorum Actionalium constituuntur, in consortium Litis evocare, verum sufficit, si Actuales Possessores evocet, quia talis Actio velut rei persecutoria, actuales Possessores ferit, & alioquin illi supponunt.

ponuntur habere Literas Familiæ, qui Bona possident, per consequens etiam ex Lege ipsis incumbit Jurium Familiæ defensionis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Fæmina ad æqualitatem Juris procedens, inter reliquos actuales Bonorum Actionalium Possessores etiam talem evocet, qui semet pariter ad Sexum Fæmineum ejusdem Familiæ deducit, & talia Bona possidet, quorum intuitu Masculi privativum jus, & possessorium evincere non possunt, quoad illum cessat Actio ex æqualitate Juris suscitata, & Actrix ad suam competentiam relegari solet, quia Fæmina, contra Fæminam in Bonis alioquin utrique Sexui deservientibus, sibi ex æqualitate Juris Actionem vindicare non potest, verum eatenus divisionem petere debet, hoc autem ad distinctum Forum, & Institutum pertinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Tametsi ex Bonis ad Sexum dumtaxat Masculinum regulatis, Fæminis Quartalium competat, nihilominus eousque donec primi Aquifitoris filiæ exstant, aliis in remotiori gradu stantibus, ad obtinendum Quartalium Actoratus non assurgit, quia ex Lege Quartalium tantum semel solvi debet, proinde a paritate successionis illis Filiabus solvendum est, quæ ordine genituræ ad primum aquifitorem propius accedunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) In casu illo, quo judicium, comperto Masculorum privativo jure, Fæminarum ex Bonis exclusionem decernit, solet illis adjudicari pretium Meliorationum, necessariorum item, & utilium ædificiorum in Bonis Actionalibus exstructorum, tum quod Fæminæ fuerint bonæ fidei possessores, tum vero quod similes Meliorationes cedant Masculis in lucrum hæreditatis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) In Processu ad exclusionem Sexus Fæminei suscitato; non tantum Masculi, sed etiam Fæminæ universas Familiæ Literas sub Juramento revelare, & producere tenentur, cum enim objectum similis Processus sit elucubratio qualitatis Jurium, hæc autem non secus quam ex Literis erui possit, idcirco obligatio productionis illarum utrique Sexui æqualiter incumbit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Filiabus vivente Matre, contra Fratres illius, vel etiam remotiores in linea ejusdem stantes Masculos ad æqualitatem Juris Actio non competit, quia Actiones sequuntur naturam objecti, quemadmodum itaque Proles vita Parentum comite successionem prætereundere non possunt, ita nec ad revindicanda eorumdem jura Actionem sortiuntur. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Si Princeps Bonum quodpiam duobus Fratribus jam divisit, eorumdemque hæredibus, & posteritatibus primum quidem Masculini, iis vero deficientibus etiam Fæminei Sexus universis conferat, ita quidem ut ratam Bonorum medietatem unus, alteram vero alter obtineat, subsequenter porro alteruter ex præattactis Donatoriis in Sexu Masculino deficiat, tunc in portione deficientis non Filie illius, verum Masculi Lineæ superstitis succedunt, quia præmissa Donationis clausula hoc importat, ut Fæminæ dumtaxat post integram Sexus Masculini utriusque Donatorii defectum in Bonis collatis successionem consequi possint, nihilominus casu in præmissis Filiabus deficientis Summæ per Parentem suum

in præallegata Bona investitæ compensari debent, hæ enim velut sub privatam Lineæ suæ acquisitionem cadentes, & ex indole sua utrique Sexui deservientes, successioni alterius Lineæ non subserviunt. *Septem-Viralis Tabula.*

(Dec. 15.) Quando in Processu per Fæminas ad consequendam Juris æqualitatem contra Masculos promotum, Incattus æqualitatem juris recognoscit, tunc Actor eodem Instituto divisionem petens, relegatur ad illam in sua competentia quærendam, cessante etenim quæstione circa æqualitatem Juris subversante, statim Processus Juris cessat, & totum negotium recidit ad simplicem Divisionem, hæc autem præterquam quod ex indole Instituti ad Forum Pedaneum pertineat, insuper etiam talia essentialia requisita exigit, quæ in Foro Tabulari in forma accessorii pertractari non solent, eadem est ratio etiam in casu illo, quo æqualitas juris non ex recognitione Masculorum, verum ex allegatis, & probatis Partium Judicialiter decernitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Tametsi juxta Titulum 78. 1^{mæ} inter Fratres Congregationales, & Condivisionales ratione Jurium Possessionariorum Præscriptio locum non habeat, si nihilominus Fæminæ in Bonis Sexum dumtaxat Masculinum respicientibus, tempus Lege definitum expleant, Præscriptio illis suffragatur, quia nutu Tituli 60. 1^{mæ} Fæminæ relate ad Bona Sexum Masculinum private concernentia, reputantur pro Extraneis, per consequens ratio condivisionalitatis Præscriptionem impediens, casu in præmisso cessat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Licet sensu Tituli 37. 1^{mæ} qualitas, & discretio Jurium inter Sexum, & Sexum ex radicalibus Literis acquisitionalibus metienda veniat, si attamen in Processu ad æqualitatem juris promotum, Masculi pro radice acquisitionis Novam Donationem pro Sexu dumtaxat Masculino elargitam, producant, & ex Actis Processualibus non eveniat, quod Fæminæ ante illam in Bonis impetratis actuale possessorium habuerint, tunc Masculi fundamento Novæ illius Donationis absolvi debent, quia juxta præcitatum Titulum Nova Donatio solum ad exclusionem Sexus Fæminei in actuali Bonorum possessorio constituti, non sufficit, sufficit tamen ad removendas Fæminas in petitorio constitutas, si possessorium ejusmodi Novam Donationem antecedens, docere non possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Si quispiam de Bonis per se acquisitis Testamentum condat, eademque Congenerationalibus suis ita leget, ut Sexui dumtaxat Masculino deserviant, iidemque Legatarii Masculi præattacta Bona per plures Annos private possideant, subsequenter porro Sexus Fæmineus ejusdem Familiæ super præscriptis Bonis Novam Donationem impetret, talis Donatio ad consequendam Juris æqualitatem non suffragatur, tum quod prærepetita Bona ex radice adeptionis ad Sexum dumtaxat Masculinum regulata fuerint, tum vero quod Nova Donatio essentialiter requirat præhabitum possessorium, hoc autem casu in præmisso Fæminæ docere non possunt. *Utraque Tabula.*

(V.)

Metalis ex Privilegio.

(Dec. 1.) In Causis Metalibus etiam ex Privilegio promotis, solet Protho-Notarius ad oculatam exmitti, tum ideo ut cognoscat, an signa Metalia in Privilegio assumpta adhuc visibiliter existant, & deinde tam eatenus, quam vero super situ, vicinia, aliisque circumstantiis Terreni controversi Judicio fidedignam relationem faciat, tum vero ideo, ut necessitate exigente, Testes quoque in facie loci examinet, & tam illos, quam vero Mappam, si quæ confecta est, authenticet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quando Actor Actionem suam sub prætextu Metarum ad acquisitionem distincti corporis ex Privilegio dirigit, tunc ab Actione amovetur, quia Processus Metalis ex indole sua nihil aliud recipit, quam particularum a suo corpore avulsarum reapplicationem, quam primum itaque Actor sub prætextu Metarum corpus quærit, statim extra sphaeram Actionis, & Instituti digreditur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) In Causis Metalibus ex Privilegio suscitatis, non sufficit producere Metales cum clausula: Dicitur Nobis emanatas, tanto magis occasione Reambulationis contradictas, & a contradictione non depuratas, taliterque in usum non deductas, non sufficit item producere simplex Transumptum Privilegii cujuscumque Metalis, etiam si subsequens ejusdem usus doceatur, cum enim similes Processus fundamento Privilegii instituantur, idcirco Actor debet talia Privilegia producere, quæ omnibus numeris obsoluta sunt. *Utraque Tabula.*

(VI.)

Decimalis ex Privilegio.

(Dec. 1.) Ad hoc ut Actor in Processu ad acquisitionem Decimarum ex Privilegio suscitato, Actionem, & Actoratum sortiatur, debet relate ad Fundos illos, quos Decimæ subijcere intendit, usu firmatum decimandi jus probare, quia Processus Juris ex indole sua præhabiti juris, & possessorii edoctionem requirit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Tametsi in Processu ad acquisitionem Decimarum ex Jure promoti Incattus remonstrare possit, quod antehac Decimas non in natura præstiterit, verum loco illarum modo plus, modo minus ex pecunia dependerit, nisi attamen probare valeat, pensionem illam pecuniariam fuisse pactatam, obligatio præstandarum in natura Decimarum eidem imponi solet, cum enim jus Decimas in natura exigendi Prælati ex Lege competat, hinc nisi a beneficio hoc per particularia pacta sponte recedant, eodem frustrari non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Dum Prælati ad acquisitionem Decimarum ex jure procedunt, non possunt eodem Instituto ob denegationem illarum pœnam dupli petere, quia desumptio ejusmodi pœnalitatum ad Forum Comitatenle pertinet, atque adeo cum Processu Juris præcise ad Forum Tabulare spectante, confundi non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) In Causis ad acquisitionem Decimarum ex Jure promotis, non potest Incattus sive ex Lege, sive ex Privilegio obligationi præstandarum Decimarum subjici, nisi quoad illum præhabitus decimationis usus per Actorem specificè doceatur, tametsi enim Prælati jus exigendi Decimas ex Lege competat, cum tamen omnia Jura, & Privilegia per usum animentur, per abusum vero, aut intermissum usum intercidant, idcirco etiam casu in præmissis citra præhabiti usus edoctionem, nec Privilegia, nec publicæ Legis præsidium Actori suffragari possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Præarendatio Decimarum Dominis Terrestribus, & salvo eorundem jure, etiam Colonis illorum competit, quæ prærogativa nec per Inhibitiones, & Statuta Comitatus potest impediri, quia præmissum beneficium directe ex Lege promanat, Statuta vero invitis Partibus contra Legem publicam condita non tenent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Nobiles in Fundis alienis antea quoque Decimæ subjectis titulo Coloniali degentes, sensu etiam Articuli 69. 1563. oneri præstandarum Decimarum obnoxiantur, per hoc enim quod fundos jam prius Decimæ obnoxios, Nobilis apprehendat, Prælati a jure decimandi, quod ex præhabito in fundis illis decimationis usu obtinuit, amoveri non potest. *Utraque Tabula.*

(VII.)

Ad Excisionem Quartaliti.

(Dec. 1.) Fæminæ ex talis Bonis, in quibus ex regulatione Donationis post defectum Masculorum, sive in ipsis Bonis, seu vero in Summa pro hæreditate Bonorum numerata sperativam successionem habent, a Sexu Masculino Quartaliti prætere non possunt, quia dupliciter beneficiarentur, si & a viventibus Masculis Quartaliti excipere, ac insuper post defectum illorum Bona, vel Summam Bono inhærentem tollere possent, & alioquin ex Lege Quartaliti præcise de illis Bonis competit, in quibus Sexus Fæmineus prorsus nullam successionem sperandam habet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Filiæ etiam in talibus Bonis, in quibus post defectum Masculorum quoad Summam inhærentem successionem obtinent, jus Capillare contra Fiscum Regium prætere possunt, si enim juxta Titulum 67. 11^{mæ} Frater Condvisionalis in alterius Fratris sui sine hærede Masculo decedentis, portione Sexum dumtaxat Masculinum concernente, succedens, Filias deficientis usque dum in Capillis persistunt, victu, & amictu providere, honesteque elocare tenetur, utique idipsum etiam Fiscus Regius præstare obligatur. *Tabula Septem Viralis.*

(Dec. 3.) Filiæ ex Laribus Paternis egredienti, & Statum Religiosum amplectenti Quartaliti, & intertentio non competit, quia Filiæ per ingressum in Religionem ita emancipantur, ac si emaritentur, quemadmodum itaque post emaritationem, ita nec post ingressum in Religionem intertentio ex Bonis Paternis amplius prætere possunt, Quartaliti vero Filiæ Religionem amplectenti ideo non competit, quia Articulus 71. 1715. per
expres-

expressum innuit, quod talis Filia absolute nihil aliud petere possit, quam ex rata sua portione proveniente decimalitatem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Filiæ ratione Quartalitii ad exolutionem Paternorum onerum concurrere non obligantur, quia supportatio onerum tantum Successoribus incumbit, Quartalitium vero Filiabus non titulo successionis, verum dumtaxat in signum Parentelæ propagationis, ut Titulus 88. 1^{mæ} habet, deputatum est. *Utraque Tabula.*

(VIII.)

Ad Invalidationem Fassionum ex Præjudicio.

(Dec. 1.) Aviticitas, quæ in Processu ad invalidandam Fassionem ex præjudicio suscitato, necessario probari debet, sufficienter demonstratur Divisionalibus, Inquisitionibus præterea authenticis, aliisque id genus Instrumentis, ex quibus possessorium Antenatorum elucescit, nec opus est ad illam comprobendam, ut Literæ Privilegiales producantur; Processus enim Invalidatorii meritum non est disquisitio Juris, sed Præjudicii, quod Successores per factam a Sanguine alienationem acceperunt, reparatio. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quamvis Actio, quæ plura objecta habet, tamquam Cumulata in Judiciis locum generaliter obtinere nequeat, in Causis tamen ad invalidationem Fassionum motis, una, eademque Actione, tam ex præjudicio, quam, & neglecta præmonitione agi potest, si Fassiones diversis temporibus per Antenatos nempe Actoris, & Condivisionales ejus respectu eorundem Bonorum factæ sint, cum Actio talis, & Bona eadem pro objecto habeat, & aquisitio Actoris in communiione juris fundetur, nec ideo quod Pater Actoris portionem suam vendidit, successionem post condivisionalem suam sperativæ, adeoque præmonitioni, sive juri prælationis renunciasse censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si tamen Actio respectu Fassionis ejusmodi, quam Pater, vel Mater Actoris, simul cum Condivisionalibus suis respectu eorundem Bonorum celebravit, ad invalidationem & facti Paterni, & Condivisionalium suscitatur, tunc si Fatentis Condivisionales Successores existant, eatenus in quantum illa respectu portionis Condivisionalium præerecta est, condescendere debet, quia ad invalidationem Fassionis Confatentis eo ipso, quod illa mutuo facto, & consensu celebrata sit, ex neglecta præmonitione agi nequit, ex præjudicio vero superexstantibus Successoribus Fatentis, Collaterali Actio, & Actoratus non competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si porro Filius vivente Patre suo agat ad invalidationem Fassionis, per Patrem celebratæ ex præjudicio Actio ei denegatur, quia viventis nulla est successio, & quemadmodum non nisi per mortem Patris Filio nascitur successio, ita nec præjudicium prius amoveri potest, quam ubi jus successionis aperitur, præmature igitur assumpta Actio merito denegari debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Actione ad aquisitionem juris successionalis præerecta, si illa accessorie ad removendos etiam obices, qui aquisitionem ex jure sistere possent, instituta sit, eodem Processu ad invalidationem.

dationem quoque Fassionum per Antenatos Actoris celebratarum procedi potest, nec naturam Causæ mutat, quod agatur etiam ad invalidationem Fassionum, quia principalis acquisitionis fundatur in jure successionali, & in quantum acquisitioni huic Fassio per Incattos producta impedimento est, in tantum ejus invalidatio petitur, quia item agitur respectu ejusdem subtrati, & ex eodem jure promanantis, ac ad eundem finem utpote, ut jus suum consequi possit, directi. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Esto quidem ad probam Aviticitatis possessorii Aviti edoctio regulariter sufficiat, si tamen Incattus, ejusmodi probas adducat, ut Judex merito dubitare possit, an ejusmodi possessorium tantum temporaneum, & nulli solido juri innixum fuerit, tunc Actori in his particularibus circumstantiis etiam Juris Aviti proba imponitur, quo non edocto, Fassio stabilitur, præjudicium enim Successoribus non nisi ex alienatione Aviti Juris, quorum abalienationem Lex vetat, nascitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Esto doceatur Fassionarium penes Fassionem reale possessorium Boni fassionalis adiisse, in Successoresque suos transmisisse, si tamen successive post celebratam Fassionem Bona eadem confiscata ante Annum 1715. successive vero Fassionario collata fuisse, per Incattum, ejusque Evictorem Fiscum Regium probari poterunt, Actor ad viam Instantiæ relegatur, filium enim possessorii penes Fassionem adeptum, interruptum est, & actualis Possessor non jam penes Fassionem, sed collationem Regiam tenet, in hoc proinde speciali confiscationis casu, Article 9. 1715. insistendum est. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Quamvis Fassioni pro casu, quo contra illam jure, aut quovis modo ageretur, pœna vincularis adjecta fit, illa tamen non obstante iis, quibus jus competit, licet ad invalidationem agere, neque pœna vincularis locum obtinet, Judicis enim officium cuique impune implorare licet, ejusmodi namque conditiones, quæ ipsam Juris, & Justitiæ cognitionem impediunt, pro illegalibus reputantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Servitia de præterito, vel de præsentis præstita, & in Fassione specificè recognita, per Fassionarium probari non debent, pro illo enim stat authentica Fassionis recognitio, & ideo illi, qui ad invalidationem ejusmodi procedit, cum motivorum in Fassione specificè expressatorum, veritatem indagandi occasionem habeat, contraria proba incumbit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Ubi autem in Fassione Servitia tantum in genere dumtaxat attinguntur, vel de futuro in defensionem, & conservationem Bonorum, procurandumque patrocinium præstanda promittuntur, tunc Incattus titulum Fassionis, five Servitia in mantentionem Fassione mediante specificatorum Bonorum cum fructu, & utilitate Fatentis effective impensa fuisse probare debet, quoniam Fassio ejusmodi eo ipso, quod in priori casu Servitia in specifico declarata haud contineat, in posteriori vero, quod non pro præstitis, sed in futurum præstandis Servitiis celebrata esset, adeoque conditionata fit, jam per Judicium rationabilitas ejusdem non alias definiri potest, quam si præstita Servitia remonstrantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.)

(Dec. 11.) Fassio, qua nudum tantum in Bonis jus per Fatentem propter sublevandas necessitates suas Summis per Fassionarium numeraliter transfertur, si illa consensu, & Statutione firmetur, & a contradictione Fatentium, vel Successorum depuretur, invalidationi non subest, quia in Fassione ejusmodi assumpta ratio sublevandæ necessitatis, causam rationabilem redolet, facta præterea est de non possessis, ac insuper Donatio superinducta, & a contradictione depurata alteravit statum translati juris fassionalis, & ita Fassionarius jam non jure Fatentium, sed suo Privilegiali possessorium continuat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si tali Condivisionali, qui Fatenti ex Aviticis certam partem Bonorum realiter cedit, propter præstitos favores, & complacentias de Bonis extra possessorium Fatentis constitutis, reservata Successione, Fassio celebretur, illa pro rationabili reputatur, præterquam enim quod de Bonis ejusmodi, quæ adhuc Lite, & illa etiam interdum dubia acquiri deberent, intercedat, insuper etiam in emolumentum Fatentis, & Successorum cedit, cum sine Lite, & onere partem Bonorum virtute Fassionis ejusmodi consequantur, & respectu cessæ partis ad casum decessus Fassionarii successionem salvam habeant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Fassionarius Fassioni inhæret, bonitatem Juris Fatentis disputare nequit, quia eousque donec a Fassione recedat, jus Fatentis est bonitas juris Fassionarii, adeoque in quantum illi inhæret, bonitatem facto confitetur, potest tamen pro rationabilitate Fassionis conjunctim cum aliis rationibus adducere, si fluxa, dubia, vel obscura, aut realia haud fuisse, vel vero si filum primitivi juris per intermedia Familiæ acta, abalienationesque, & Transactiones, Actionalem Fassionem præcedentes, aut subsequentes rescissum existitisse probabit, quia fundamentum præjudicii consistit in abalienatione Aviti, hæreditarii juris, pro quibus ejusmodi incerta, & involuta reputari non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si exigua tantum Portio in necessitate Fatentis pro mediis ad vitæ sustentationem necessariis, procurandaque Annona perennaliter Condivisionali cedatur, Fassio invalidari non solet, velut namque in necessitate facta, rationabilis est, manet præterea Bonum penes Condivisionalem, nec subversatur ratio abalienationis a Sanguine, quod præcipuum præjudicii fundamentum. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Abalienationes Bonorum Avitorum propter sumptus ad Publicam pro Regis, & Regni defensione ordinatam Insurrectionem necessarios, stabiles sunt, dummodo constet, circa tempus Fassionis publicas Regni expeditiones fuisse, nihil enim utilius, quam ad defensionem publicam Regni, sui item, & prolium expendi potest *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Fassiones, quæ de Bonis involutis, vel in pignore hærentibus ob nimiam paupertatem, & ægestatem Fatentis, ut ita Summa fassionali necessaria vitæ media procurari valeant, factæ sunt, si ægestas realis, & non ficta fuisse eveniat, invalidari non solent, procuratio enim vitæ mediorum, quæ inevitabilis est, non so-

lum ad causas rationabiles, sed & necessarias juxta etiam Titulum 60. 1^{mæ} pertinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) In forma Cessionis, & Revocationis, Contradictionis per Fatentem Statutioni Donatarii oppositæ, pro ipso Donatario celebrata Fassio, qua Fatens jus, quod habere poterat, transfert, æque sub invalidationem non cadit, cum ejusmodi Fassio, non venditionem, sed contradictionis potius cessionem, & juris dumtaxat ob impetrationem alioquin jam dubii translationem involvit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Conventio inter Impetratorem, & Contradictorem inita, qua Contradictor quidem Lite jam ad reddendam contradictionis rationem mota, non solum ab interposita contradictione recedit, sed insuper impetratas Portiones motivo iufirmitatis Jurium, & dubii Litis eventus in Impetratorem, hic vero vice versa, nonnullas Portiones, esto longe minores, per Contradictores nihilominus, vel eorum Antenatos perennaliter abalienatas, & opera sua revindicatas perennaliter Contradictoribus cedunt, licet Conventio ejusmodi non coram Jure, sed in loco authentico inita sit, reputatur tamen pro Transactione, & nec ex præjudicio, nec ex neglecta præmonitione invalidari solet, quia jam eo ipso quod Lis mota, & ob dubium ejus eventum Tractatus initus sit, non pro Fessione, sed Transactione, illaque etiam rationabili, & Successoribus Contradictorum proficua habetur, cum pro Portionibus a dubio Litis eventu pendentibus Bona effective hæreditario jure recipiant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Si agatur respectu talium Bonorum ad invalidationem Fassionis, in quibus Incattus possessorium Antenatorum Fatentis fluxum fuisse, tam ex intermedio aliorum possessorio, quam vero ex eo, quod nec occasione celebratæ Fassionis Fatens reale possessorium habuerit, probet, adeoque Jus potius sperativum translatum fuisse arguat, si inquam in hoc casu Actor pro demonstranda Aviticitate ad probam Juris sponte sua condescendat, tenetur illud probare, secus Actoratus condescendit. *Tabula Regia.*

(Dec. 20.) Propter præstitam Intertentionem, & peculiarem in senili ætate, aut infirmo statu curam, diligentemque operam, nec non utilem Jurium periculo expositorum, deffensam, præsertim Condivisionali celebrata Fassio rationabilis est, hæc enim merito in classe fidelium Servitiorum censeri possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si Avus, vel Atavus Bona sub certis Annorum conditionibus comparet, atque illa in Filium hæreditate transeant, hic vero temporaneo huic Juri perennalitatem superinducat, atque ita alteri fateatur, Successores Fatentis invalidationem obtinere non possunt, nam Fatens juris aquisitor fuit, adeoque nullum ex ejusmodi Boni per Avum temporaneo tantum jure procurati alienatione Successoribus præjudicium enatum est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Ignobilibus ad invalidationem Fassionum Antenatorum suorum super Juribus Possessionariis celebratarum, Actoratus non competit, Ignobiles enim, qui juxta Titulum 3. 1^{mæ} non sunt membra Sacræ Coronæ, Jurium Nobilitarium capaces haud
sunt,

sunt, adeoque ex Articulo 18. 1687. tantum beneficium jure Materno possessa retinendi, non vero aquirendi, vel reaquirendi activitas eisdem competit. *Tabula Utraque in hac questione Juris.*

(Dec. 23.) Nec ad Fassionis, quæ per tales, qui Bona Nobilitaria retinendi incapaces sunt, celebratæ, invalidationem Successori Fatentis, jam successive Nobilitarem prærogativam obtinenti Actoratus competit, quia Bona per talem sunt vendita, qui possessorii incapax erat, quive nihil hæreditario jure tenere, adeoque in hæredes transmittere, quin imò per quemcunque Nobilem excuti potuit, adeoque cum hæreditatem non habuerit, nec præjudicium Successori illatum prætendi potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 24.) Fassiones sub privatis Sigillis celebratæ, licet juxta Articulum 47. 1723. hypothecam sapiant, si tamen Successor Fatentis agat ad invalidationem ejusmodi Fassionis ex præjudicio, tunc præter probam condescendentiam, etiam Avitum possessorium Bonis Fassioni involutis docere debet, dum enim Actionem ex Titulo 58. & 59. 1^{mæ} instituit, tenetur juxta indolem hujus Processus assumptum Actoratum probare; quo edocto, motiva alienationis in Fassione expressa, & pro proba rationabilitatis adducta, amplius in considerationem venire non possunt; ejusmodi enim Fassiones ex natura sua Pignus sapiunt, & per qualemcunque rationabilitatis titulum substantialis authenticæ defectus alioquin suppleri non posset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Fassiones super Bonis per Fatentis Antenatos jure temporaneo aquisitis celebratæ, invalidationi nullatenus subsunt, quia ejusmodi Bona pro rebus mobilibus reputantur. Titulus vero 58. 1^{mæ} abalienationes Bonorum hæreditariorum, quales temporaneo jure acquisitionis haud essent, pro fundamento præjudicii per Successores vindicandi constituit. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 26.) Fassio de Bonis communibus, & indivisis per Congenerationales Extraneis sine sufficiente causa celebrata, non tantum quoad Portionem Actorem respicientem, sed quoad Portiones reliquorum Condivisionarium, si Actio ita directa fit, invalidari potest; quia Articulus 47. 1723. Bonorum communium, & indivisorum in toto, vel parte sine sufficiente causa adeoque in præjudicium factas abalienationes ipso jure nullas, & invalidas declarat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Fassio motivo extremæ necessitatis celebrata, inter rationabiles causas reputatur, ideo Actori incumbit probare expositionem Fassionis realem non fuisse, vel vero alia sublevandæ necessitatis adjutoria Fatentem habuisse, stat enim eousque specifica expositio Fassionis, donec legalis ejus vis probis contrariis evertatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.) Licet pro motivo Fassionis fidelia servitia Fassionarii assumantur, si tamen eadem ipsa Bona Avitica, & quidem integre, in cujus manutentionem servitia præstita fuisse exponuntur, Fassione illa transferantur, nisi alia adhuc rationabilis causa per Fassionarium probetur, tunc Fassio eadem, velut in præjudicium Successorum facta invalidatur, quia motivum ejusmodi servitio-

vitiorum insufficiens est ad abalienationem univerforum talium Bonorum Aviticorum. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.) Cum Fassiones in mutua Contrahentium voluntate fundentur, neque ullus id alienare voluisse præsumeretur, cujus Notitiam, & cognitionem non habuit, ideo hujusmodi Fassiones non præhabita quantitatis Fassorum Bonorum notitia, si cum generali clausula: omnium ubicunque, sub Corona Regni reperibilium Jurium celebrentur, esto Fatens in Actionali Fassioni substratorum Bonorum possessorio tempore Fassionis non præfuerit, adeoque Fassionario nihil realiter tradiderit, dummodo probetur Bona illa ampla omnino fuisse, & in vili Summa, adeoque citra necessitatem abalienata, Fassiones ejusmodi non tenent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 30.) Fassio de Bonis ejusmodi, quæ per Fatentem realiter possessa non sunt, sive de juribus sperativis longa Lite revindicandis celebrata, quamvis ideo, quod necessaria, vel rationabilis causa probari non possit, invalidaretur, nihil tamen Actori adjudicari potest, quia nihil realiter datum, & resignatum est, sed persoluta Summa, si quæ per Fassonarium occasione Fassionis numerata est, ad statum ante Fassionalem reponi solet, ut ita amoto ejusmodi obstaculo, jura sua legali via prosequi possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 31.) Fassiones, quæ in imperfecta ætate fiunt, si revocatio debito tempore ante videlicet perfectam ætatem intercedat, Actoratu Fatentis invalidari solent, factum enim ejus pro imperfecto reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 32.) Si tamen Fatens ad invalidationem facti proprii in imperfecta ætate celebrati, & debito tempore revocati, Litem suscitans, antequam Causa debitum cursum obtineat, decedat, Filio Instituti prævio modo per Patrem erecti continuatio non admittitur, eo ipso enim quod Actio Successoribus dumtaxat motivo præjudicii competat, alienam ab hoc prout erigere, ita nec continuare potest, quia factum Patris pro proprio Filii reputari nequit, & ideo Institutum tale per Sententiam Judicis pro cessante declarari solet. ac ut Filius factum Patris invalidare queat, aliam ex præjudicio Filiis, & Successoribus competentem Litem suscitare debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 33.) Si per unum, alterumve dumtaxat Successorem Fatentis Fassio Antenatorum Transactione ex dubio Litis eventu inita, firmetur, tunc reliqui ad Transactionem non influentes Actione ex præjudicio ad invalidationem Fassionis agere quidem possunt, si Fassio interim pro rationabili adinventum non fuerit, dumtaxat reflexe ad competencias Transigentium invalidatur, quia Transactio quoad competencias Transigentium, velut ex dubio Litis eventu inita, de Lege stabilis, adeoque nulli amplius invalidationi obnoxia est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Fassio de particula Bonorum propter præstitos per Fassonarium sumptus, & expensas ad reapplicationem avulforum a Familia Bonorum Sanguini celebrata, præcipue si antiqua sit, illaque per Successores Fatentis occasione divisionis, & sequestrationis

tionis Portionum rati habeatur, invalidari non solet, præterquam enim quod similia beneficia effective præstita, causam rationabilem constituent, insuper subsequa rati habitio Successorum sapit quandam Antenatorum confirmationem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 35.) Si Fassioni per unum ex Condivisionalibus celebratæ, reliquorum Condivisionalium nomina simulate inferantur, atque hac ratione Jura illorum involvantur, licet hi, quorum nempe nomina in Fassione continentur, successive Fassionem talem confirmant, poterit tamen Successor illorum remonstrato eo, quod occasione primæ Fassionis Confirmantes coram Capitulo præsentibus non fuerint, adeoque ad celebrandam primam Fassionem non concurrerint, non obstante subsequa confirmatione, ad invalidationem Fassionis agere, simulata enim illa Fassio respectu eorum, qui realiter ad illius celebrationem non concurrerunt, nulla est, igitur altera, quæ sub titulo confirmationis procurata fuit, pro secunda, seu confirmatoria reputari nequit, verum respectu horum pro prima censeri debet, quia id, quod realiter non existit, utique confirmari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 36.) Titulus exolvendorum Paternorum Debitorum generaliter pro ratione perennalis abalienationis per Filium in Fassione assumptus, pro rationabili haberi non potest, præsertim si remonstratur, quod ex fructibus Bonorum, vel ex Summis ex impignoratione per ipsum facta levatis, aliisque lenioribus, & Familiæ minus præjudiciosis modis illa depurare potuisset, cum enim alii expungendorum Debitorum adfuissent modi, ad titulum necessitatis sensu Legis Tripartitalis reduci nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 37.) Fassiones de Bonis, & Juribus ejusmodi, quæ jam sub tempus Antenatorum Fatentis diversimode involuta, & ideo gravibus Litibus exposita erant, celebratæ, non invalidantur, quia graves involutiones, & Lites periculosæ causam rationabilem efficiunt, Fatens enim pro re dubia, & involuta aliquid certi, pecunias videlicet recipit, quibus sortem suam, & Successorum meliorare potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 38.) Fassio, qua non solum actualiter possessa per Fatentem Portio, sed & quæ successivis temporibus Fatentem, ac Successores ejus cum defectu Congenerationalium respicere posset, in Fatentem transfertur, Actoratu Successorum Fatentis invalidatur; eo ipso enim, quod ultra Portionem Fatentis propriam, ad virtualia, & sperativa jura, & quidem talia, quæ nefors primum in feris Nepotibus ad casum ventura sunt, extensa sit, pro summe præjudiciosa, adeoque illegali merito reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 39.) Generica expositio, quod Fatens gravibus necessitatibus eundem summe prementibus evitandis, compulsus, vel ob præstita multifaria beneficia Bona fassus sit, nisi in specifico necessitates illæ, aut accepta beneficia per Fassonarium, ejusque Successores probentur, ad evincendam rationabilitatem Fassionis non sufficit, eo enim ipso, quod Lex rationabiles causas exigat, jam ut earum legalitas in Judicio cognosci possit, vel in Fassione specificè deduci, vel per Fassonarium probari debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 40.) Licet Actio non ex incapacitate possessorii contra Communitatem Ignobilem, sed partim ex præjudicio, partim ob neglectam præmonitionem ad Fassionis invalidationem suscitata sit, tamen Actor Lite eadem, dummodo nexum suum cum Fatentibus, & Avitum possessorium, condivisionalitatemque doceat, oppidanæ ejusmodi Communitati incapacitatem possessorii Nobilitaris obvertere, Communitas vero rationabilitate Fassionis se tueri nequit, eo enim ipso, quod Actor ea, quæ in Invalidatoria Lite pro proba Actoratus necessaria sunt, præstet, taliterque præassumptam obligationem expleat, jam incapax illa defensæ media, quæ possessorii capacibus Lex defert, adhibere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 41.) Si tamen Actor ad invalidationem Fassionis agens, Condivisionalitatem, vel Aviticitatem probare nequeat, quamvis Incatto incapacitatem possessorii obvertat, illamque doceat, tamen Lite eadem prætextu incapacitatis Bonorum adjudicationem consequi nequit, cum Actionem ad invalidationem Fassionis suscitaverit, ejusque expositionem in Aviticitate fundatam, probare nequeat, & ideo Actore expositionem, quam in Actione assumpsit non probante, absolutio Incatti subsequi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 42.) In Lite ad invalidationem Fassionis promota, quamvis Incattus a perennalitate recedat, & juri Pignoratitio insistant, propterea tamen Actor ad Forum Comitatense prosequendam videlicet ex Pignore Litem non relegatur, quia per recessum a perennalitate facto Incatti Fassio pro invalidata reputatur, & ideo cum liquidatio accessorium sit Litis ad invalidationem præerectæ, illam Incattus præstare eodem Processu debet, nec ideo quod in Pignoratitio Contractu Fassionem perennem præcedente conditiones obligatæ fuerint, illis insistere potest, quia eo ipso, quod per superinductam perennem Fassionem, a Pignoratitia acquisitione recesserit, & Lite ad invalidationem præerecta, eidem inhæserit, jam amplius illi, cui sponte renunciavit inhærere juxta Titulum 82. 1^{mæ} non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 43.) Invalidata Fassione, si Incattus ob superinductum Fassioni Consensum, pura Statutione firmatum Juri Regio inhæret, illud Incattus ad speciem reducere, & probare debet, sola enim Statutionis puritas Jus Regium contra Fatentis Successores non constituit, quia ultra vim Donationis, sive Consensus non alias operatur, quam si probetur Bonis in iis Jus Regium latuisse. *Utraque Tabula.*

(Dec. 44.) Fassiones erga Relationem exmissi Jurati celebratæ, licet illæ cum clausulis perennalis Fassionis expeditæ sint, pro Pignoratitiis declarantur, ad essentiam enim perennalis translationis Leges requirunt, ut illæ in Locis Credilibus, & coram Personis, quibus authenticandi activitas delata est, per Fatentes personaliter, vel medio Plenipotentiariorum præsentis, celebrentur, Leges vero Juratis Tabulæ perennes Fassiones excipiendi activitatem non tribuunt, & ideo ex defectu solennitatis ad Pignus reducuntur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 45.) Fassiones respectu Bonorum penes Cameralem Contractum aquifitorum celebratæ, per Successores Fatentis invalidari non possunt, quia Contractus Cameralis sine Donatione Regia Pignus tantum redolet, objectum vero præjudicii est Juris Aviti abalienatio. *Utraque Tabula.*

(Dec. 46.) Si Maritus in Bonis Uxoreis Jus Regium latere animadvertens, eatenus Donationem impetret, & semet legitime statui faciat, postea vero Bonum impetratum Fessione perennali in tertium transferat, subsequenter demum Condivisionalis Uxoris suæ ad invalidationem talismodi Fessionis contra actualem Possessorem ex præjudicio Causam suscitet, Actoratus ejusdem condescendere solet, quia talis Fessio non per Condivisionalem, verum per Extraneum jure Donationali provilum, celebrata est, adeoque citra discussionem ejusdem Juris Privilegialis invalidari non potest, similis vero Juris Privilegialis discussio ad distinctum Institutum pertinet. *Tabula Regia.*

(Dec. 47.) Quamvis Fessio quæpiam celebretur coram duobus Capitularibus, vel Conventualibus, & per illos etiam subscribatur, nisi attamen Capitulum, vel Conventus in subsequa expeditione recognoscat, quod præattacti duo Capitulares, vel Conventuales pro excipienda Fessione exmissi fuerint, & eatenus Capitulo, vel Conventui modalitate Lege præscripta, relationem fecerint, talis Fessio pro perennali cenferi nequit, quia Capitulares, & Conventuales absque exmissione procedentes, & relationem non facientes considerantur tantum ut privatæ Personæ, qua tales autem legali, & publica fidedignitate non pollent. *Utraque Tabula in hac quæstione Juris.*

(Dec. 48.) Fassiones, vel Contractus, quibus mediante Bonis Sæcularia cuiquam ordini Religioso perennaliter abalienantur, non tenent, etiam si tali Fessione Consensus Regius Statutione firmatus, superinducatur, quia Publici interest, ne Bona Sæcularia ad manus mortuas deveniant, & a Successione Fisci Regii in perpetuum abstrahantur. *Tabula Utraque.*

(Dec. 49.) Cum Comunitates ex Lege sint possidendorum Bonorum incapaces, hinc etiam Fassionis per tales Comunitates celebratæ sunt ipso facto nullæ, quia nemo plus juris in alterum transferre potest, quam quod ipse habet, cum itaque ejusmodi Communitas sit tenendorum Bonorum incapax, hinc utique nec Fessionem superinde active celebrare potest. *Utraque Tabula.*

(IX.)

De Fassionibus ex neglecta Præmonitione.

(Dec. I.) Quoniam Actio ex neglecta Præmonitione suscitata probam condivisionalitatis ad Bona citra præmonitionem alienata exigat, ideo is, qui ob intermissam præmonitionem agit, non tantum cum Fatente nexum, sed & communionem juris, sive in Bonis Fessione involutis Condivisionalitatem probare debet; quia beneficium Præmonitionis Titulus 60. 1^{mæ} ex Juris, & Sanguinis communione tribuit, & ideo, si nexum cum Fatente reflexe ad

Bona Fassioni involuta docere nequeat, Actoratum non habet.
Utraque Tabula.

(Dec. 2.) Admonitionem intermittenti non opitulatur pro causa Lege præscripta obligationis suæ allegata Congenerationalitatis, vel Condivisionalitatis ignorantia, nam in casu ejusmodi, ubi Bona utrumque Sexum concernunt, pluresque adsunt diversi jam nominis Successores, unum tamen idemque jus quoad ejusmodi Bona foventes, juxta usu receptam praxim in Generali Comitatus, cui Bona adjacent, Congregatione fieri consveta præmonitione sublevari quivisset, hac enim ratione præmissa, quos Vendens ignorabat, Consanguinei semet insinuandi modum habuissent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis Condivisionales in possessorio Bonorum, quæ communis juris sunt, non constituentur, tamen præmoneri debent, hoc enim per Legem Sanguini attributum beneficium non ex actualitate possessorii, sed juris communione reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) In venditione Bonorum perennali, si etiam medio unius Jurassoris Præmonitio peragatur, sufficiens est, cum juxta Titulum 60. 1^{mæ} Præmonitionis ille dumtaxat scopus sit, ut ad notitiam eorum, quos successio respicit, voluntas vendere volentis perveniat, quæ ex Admonitione etiam medio Jurassoris peracta sufficienter resciri potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si quis Condivisionalem præmoneri curet, ille vero ad præmonitionem nihil respondeat, licet venditio post aliquot Anos subsequatur, tali Condivisionali semel præmonito, Actio amplius ex neglecta Præmonitione non competit, quia Præmonitione semel præmissa, Admoniti Consanguinei est Juribus suis invigilare, & eo ipso, quod occasione præmissæ Admonitionis se pro Emptore non declaraverint, consensisse in cuicumque fiendam venditionem videntur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Actio ex neglecta Præmonitione non tantum illi, qui tunc præmoneri debuisset, verum etiam ejus Successoribus competit, hoc enim beneficium non Personæ, sed Sanguini Lex attribuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Filii sub Patria potestate constituti, & minores præmoneri non debent, Præmonitio enim præterquam quod eis, qui possessorii, & acquisitionis capaces sunt, competat, ita præterea præmitti debet, ut effectum producere possit, jam vero si Pater Bona vendere velit, tunc se ipsum sub ejus videlicet cura, & jurisdictione Proles constituuntur præmonere deberet, si vero venditio per Collaterales tentetur, tunc alioquin cum Pater præmoneri debeat, in Persona illius Proles potestati Paternæ subjectæ, jam præmonitæ esse censentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Quamvis Fatens aliquem præmoneri ad emendum curet, & in formula Admonitionis expresse declaret, præmonitum sibi Sanguine junctum esse, & ad exposita venditioni Bona juris communionem habere, tamen Fassione per Vendentem Extraneo facta, si præmonitus agat ad invalidationem ideo, quod erga Admonitionem præmissam se pro Emptore declaraverit, recognitio Vendentis in præmonitione expressa pro proba nexus, & Condivisiona.

ionalitatis non sufficit, quia præmonitionis beneficium, adeoque Actio hoc fundamento erecta fundatur in Juris, & Sanguinis communione, quæ contra Extraneum, & actualem possessorem pro natura Instituti specificè probari debet, secus Actoratus condescendit. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Condivisionalis respectu Fassionis Condivisionali secum in æquali gradu constituto, celebratæ, ex intermissa Præmonitione Actoratum ad invalidandam Fassionem non habet, Bona enim a Familia non abalienantur, quin imo sub possessorium Condivisionalis veniunt, & eo ipso, quod jus Præemptionis juxta gradus proximitatis assummi debeat, unus præ altero secum in æquali gradu constituto, eminens jus prætere nequit, sed nec Videntes constringi adeo possunt, ut uni præ altero in æquali gradu constituto favorem exhibere minus valeant. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si Extranei nullam videlicet Juris, & Sanguinis communionem foventes, Bona quæpiam impetrent, & una, vel altera Partium, aut Successores ejus ratam suam perennaliter vendere velint, alterum Condonatarium, vel Compofforem præmonere non debent, quia beneficium præmonitionis per Leges statutum fundatur in communiōe Juris, & Sanguinis, & abinde promanante mutua successione, jam vero cum juxta Titulum 47. 1^{mæ} inter ejusmodi Compoffores Juris, & Sanguinis communionem non foventes, mutua pro casu decessus, non sit successio, considerari tantum instar Vicinorum debent, qui se ad emptionem ante consummationem venditionis ingerere, & vendere volentem ad sibi vendendum præmonere juxta Titulum 60. 1^{mæ} debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si tamen Coimpetratores occasione sequestrationis ejusmodi impetratorum Bonorum, vel secus etiã Contractu invito, se, Successoresque suos pro casu venditionis ad mutuo præmittendam Præmonitionem obligent, tunc si unus, vel alter eorum, aut Successorum Extraneo ratam suam sine præmonitione prævio modo ordinata vendat, Condonatarii alterius Successor fundamentum intermissæ præmonitionis ad invalidationem Fassionis agere valide potest, quia Contractus stricti Juris sunt, Aquifitorum vero Tractatus Successores etiã ita ligant, ut contravenire iisdem integrum nequiquam sit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si Fassio in forma Cambii celebretur, quamvis Fatens Bonum in æquivalenti non recipiat, sed per Fassionarium Summa superaddatur, ac ita translatio illa partim pro pecunia, partim vero pro Bono fiat, Fassio tamen ejusmodi ob intermissam præmonitionem invalidari non solet, eo ipso enim, quod Bonum hæreditarium, & quidem pro commoditate Fatens recipiat, jam abalienatio strictè sumpta dici nequit, reputaturque pro Cambio, quod præmonitionem non requirit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Condivisionalis portionem suam posteaquam jam Extraneus eandem impetravit, extraneo vendere velit, & Condivisionalem suam eatenus præmoneri curet, isque se pro emptore portionis illius declaret, esto vendere volens Bona eadem in forma Fassionis contradictioni factæ Impetratori subsequè perennaliter

fateatur, tamen **Condivisialis** se pro **Emptore** declarans, ex jure **prælationis** contra **Fassionarium** agere potest, **Fassio**que talis **invalidationem** recipit, ejusmodi enim **titulo cassatæ contradictionis** celebrata **Fassio**, **abalienationem Boni** redolet, nam eo ipso, quod **Condivisio**nalem **præmoneri** curaverit, **facto** animum **vendendi** manifestavit, proinde **cassatio contradictionis** merito pro **colorato titulo** reputatur, tanto magis, quod **Condivisialis** **impetrationem** factam sciens, cum **periculo suo** se pro **emptore** offerat. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 14.) Illi, vel **SUCCESSORIBUS** ejus, qui die eadem, qua **reliqui** **Condivisiales** **ratas** suas **perennialiter** **fassi** sunt, **Capitulo** in illo, aut **loco authentico**, ubi per **Condivisiales** **Fassio** celebrabatur, **præfens** erat, **portionemque** suam in **iisdem Bonis** **titulo licet Cambii** in eundem tamen **Emptorem**, quibus **reliqui** **Fassio**nem celebrabant, **transtulit**, **Actio**, & **Actoratus** ex **neglecta Præmonitione** respectu **portionis** **Condivisio**naliu(m) eodem die **fatentium**, non **competit**, **Titulus** enim **60. 1^{mæ}** ideo **præmonitionem** **præmittendam** **præscribit**, ut **intentio** **vendere** **volentis** ad **scitum**, & **notitiam** **Condivisio**nalis **perveniat**, & **absque** **consensu** ejus ne **Bona** sub **possessorium** **Extranei** **veniant**, jam vero eo ipso, quod die eadem non solum in eodem **loco authentico** erat, sed & **ratam** suam in **iisdem Bonis** **recte** **Fassio**nario **titulo Cambii** **posidendam** **tradidit**, **præsummitur** non solum **scivisse**, sed in ejusmodi **abalienationem** **consensisse**, **præcipue** si in **contrarium** **dissensum** suum **contradictione**, vel **protestatione** non **manifestavit**. *Tabula Regia.*

(Dec. 15.) **Beneficia**, aut **præstita** **fidelia** **Servitia** **recompensandi** **causa** **factæ** **Translationes** **præmonitionem** non **requirunt**, hic enim **alienationis** **titulus** **pure** **meritum** **personale** **Fassio**narii pro **objecto** **habet**, adeoque cum **Condivisio**nalis **utilia** illa, quæ **Fassio**narius **Fatenti** **exhibuit**, **servitia** **præstare** non **possit**, **inanis** his in **circumstantiis** **esset** **præmonitio**. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) **Inscriptiones** propter **fidelia** **Servitia** usque **dies** **vitæ** **sive** **Inscribentis**, **sive** **ejus**, cui **celebratæ** **sunt**, **factæ**, **invalidationi** ex **neglecta** **præmonitione** **pariter** non **subsunt**, si enim in **perenniali** **venditione** **fidelium**, & **utilium** **servitorum** per **Fassio**narium **effective** **præstitorum**, **ratio**, **necessitatem** **præmonitionis** **excludit**, tanto magis in **Inscriptione**, cum hic **abalienatio** **Aviti** **Juris** non **subvertetur**, sed **dumtaxat** **usus** **fructus** **cessio** **fit**, illa **prætendi** **nequit**. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) **Sexus** **Fæminei** **descendens**, si ad **Fassio**nis per **Masculos** **celebratæ** **invalidationem** ex **intermissa** **præmonitione** **agat**, non **sufficit** ad **probam** **Actoratus** **Jus**, & **possessorium** **Masculorum** **docere**, sed **remonstrare** **debet**, hoc **titulo** **præhabitum** **Bonis** in **iisdem** **Sexus** **Fæminei** **hominum** **possessorium**, quia his in **circumstantiis** **beneficium** **præmonitionis** **fundatur** in **communione** **Juris**, ac ex hinc **promanante** **mutua** **successione**, **Antenatorum** **vero** **Masculorum**, **privativum** **possessorium** **communio**nem **Juris** **Fæminarum** non **docet**, & ideo **juxta** **Titulum** **60. 1^{mæ}** ea in **parte** pro **extraneis** **reputantur**. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.)

(Dec. 18.) Invalidata Fafsione perennali, licet Bona, quæ Fafsioni involuta erant, uni Comitatu adjaceant, nec Summa Bonis investita Judicatum Fori Comitatenfis excedat, tamen fine liquidationis ad Forum Comitatenfe Partes non relegantur, sed eodem Instituto etiam respectu inhærentium onerum Judicium recipere debent, Liquidatio enim est accessorium invalidatæ Fafsionis, pertinetque ad compendium Litis, præcavendasque sumptuum non necessariarum præfufiones. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Si Pater in Testamento suo quodpiam Bonum Filiabus suis privative leget, ita tamen, ut in casu defectus alterutrius, portio deficientis inter Filium, & Filias superstites æqualiter dividatur, subsequenter vero una Filiarum Sororibus suis non præmonitis, portionem sibi in præmissis Bonis competentem Fratri suo vendat, in hoc casu Sororibus non præmonitis, ex neglecta præmonitione Actio competit, cum enim Pater per Testamentum suum quoad prædictum Bonum Filias suas a Filio segregaverit, & non nisi in casu defectus alterutrius Filie, etiam Filio successorem detulerit, idcirco mens, & intentio illius hæc fuisse videtur, ut eo usque, donec Filie superstites sunt, eadem in ordine ad possessorium præscriptorum Bonorum præ Filio prælationem habeant. *Tabula Septem-Viralis.*

(X.)

Ad Invalidationem Contractuum, Obligatoriarum, & Quietantiarum.

(Dec. 1.) Contractus Dotalistici, quibus excessiva a proportionem Avitorum Bonorum pecuniaria Summa titulo Dotis ex Avitis Bonis depuranda obligatur, illo, qui ejusmodi Dotem inscripsit, sine directis Successoribus decedente, Actoratu Condivisionali, quos videlicet Bonorum talium successio respicit, Foro Tabulari invalidari possunt, ejusmodi namque excessivas, atque adeo in aggravium, & præjudicium Sanguinis vergentes inscriptiones Titulus 110. 1^{mæ} velut ex nimia complacentia factas, pro irritis declarat, & ideo salva legali ex Avitis Dote, excessiva contractualis Dos, ad aquifita obligantis si forte adsint restringi solet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si tamen Mater Contractum Filii sui Dotalisticum, quo is, notabilem, & Paternam substantiam excedentem obligat, Dotem subscribat, sicque suum præbeat consensum, Filio decedente ad invalidationem agere non secus potest, quam si fraude, dolo, vel metu, se ad subscribendum coactam fuisse probet, quia facto suo se oneri solutionis subjecit, & ideo ex aquifitis suis, de quibus alioquin libere disponere poterat, obligatam Summam depurare debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis excessiva Dos scripta, si Bonis Aviticis superinducatur, deficiente illo, qui ejusmodi Dotem obligavit, per Condivisionales invalidari possit, obligatio tamen per Sponsam Sponsæ titulo Parapherni cum consensu Genitorum data, invalidari non solet, cum respectu legalis Dotis jam juxta Titulum 93. 1^{mæ} in specifico dispositum sit, adeoque dum scripta Dos excessiva est, jam menti, & dispositioni Legis adversatur, Titulus vero 100.

imæ res ejusmodi titulo Parapherni donatas, adeoque privilegiatas statueret, ut si etiam Sponsam ante copulam decedere contingeret, Sponsus tamen illas amplius requirere nequeat, igitur his in circumstantiis speciali Legis dispositioni insistendum est, prout igitur casu in illo, si Summam hoc titulo ab Extraneis erga Chartabiancam Sponsus mutuasset, & effective Sponsæ tradidisset, Chartabianca talis Extraneo super mutuo levata Summa concessa invalidari non posset, ita nec ejusmodi Contractus, qui vices realis traditionis subit, invalidationem recipit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Quamvis non omnes, sed aliqui dumtaxat ex Compossessoribus non præhabita videlicet reliquorum Plenipotencia, vel consensu Metalem cum Vicinis Contractum ineant, ac in conformitate ejus observandum usum pactent, tamen reliquis ad Contractum talem non influentibus Actio ad invalidationem ejusmodi Contractus concedi non solet; quia cum factum aliorum ipsos ligare nequeat, adeoque salva sit iisdem Lite Metali cum Vicino agendi facultas, otiosa esset Actio ad invalidationem suscitata. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si Successores ex primo Thoro nati, agant contra Novercam ad invalidationem Obligatoriarum Patris, quibus a Noverca durante Matrimonio notabilis Summa specificè exposita erga Interusurium levata declaratur, remonstrentque, quod Pater eorum Avitis Bonis provisus non solum in statu acquisitionis fuerit, sed & quod jam ante initum secundum Matrimonium notabiles acquisitiones fecerit, Capitalia elocata habuerit, & a tempore initi posterioris Matrimonii nulla ejusmodi Bona, ad quæ Summa talis investiri potuisset, comparata sint, adeoque Obligatorias ejusmodi vel Albæ superinscriptas esse, vel vero aliis mediis per Novercam procuratas obvertant, atque taliter fundatam coram Judicio circa realitatem ejusmodi Literarum suspicionem moveant, nisi numeratio pecuniæ probetur, obligatoriæ ejusmodi invalidantur, si enim juxta Titulum 110. 1^{mæ} ubi de Allatura Uxorea quæstio est, non tantum quantitas, sed in Bona Maritalia investitio probari debet, quanto magis in hac gravibus, & fundatis suspicionibus exposita præensione numeratio doceri debet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 6.) Quietantia super excontentatione de rebus Mobilibus Actorem ex Successione respicientibus data, si quietans legalem ætatem jam attigerit, nisi circumventio doceatur, invalidari non potest, nec obstat, quod Actor illo tempore se nondum perfectæ ætatis fuisse probet, cum illi, qui perfectam ætatem nondum attigerant, juxta Titulum 111. 1^{mæ} de rebus Mobilibus pleno jure disponere possint, & perfecta ætas ad dispositionem de Bonis, & Juribus possessionariis, non vero Mobilibus requiratur. *Utraque Tabula.*

(XI.)

Ad Invalidationem Transactionum.

(Dec. 1.) Transactiones coram Jure initæ invalidationi non subijunt, præterquam enim quod ex dubio Litis eventu initas Titulus

tulus 62. 1^{mæ} ab invalidatione eximat, adeoque inalterabiles statuat, & alioquin beneficium ejusmodi per Transactiones procuratum non solum in Transigentes redundat, sed & in Successores eorundem propagatur, cum pro incerto, & a dubio Litis eventu pendente, aliquid certi recipiant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si tamen non omnes Condivisionales, quos jus, & prætenfio ejusmodi substrati respicit, ad Transactionem concurrant, tunc illi, qui ad Transactionem neutiquam influxerunt, respectu prætenfionis suæ agere possunt, cum Transactio consensu eorum, quos ejusmodi prætenfio respicit, iniri soleat, eorum vero, qui nulla ratione influxerunt, ex facto alterius consensus præsummi non possit, & ideo si de communibus juribus inita per unum, alterumve fit, ad ratas dumtaxat, & competentias Transigentium restringi solet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si duo Condivisionales ad invalidationem Falsionis per tertium Condivisionalem celebratæ, proprio nomine agant, & subsequè dum hi motivo dubii Litis eventus transigunt, ad Transactionem hanc ille idem Fatens ad cujus Falsionis invalidationem præmissi duo Congenerationales agunt, quive in Lite illa non stetit, concurrat, esto Filius ejus ad invalidationem facti Paterni procedens, obvertat in Lite illa, in qua Transactio inita est, Parentem suum non stetit, adeoque ex parte ejus dubium Litis eventum non adfuisse, ac ideo factum Patris pro Transactione tali, qualem Lex requirit, reputari non posse, tamen ad Transactionis talis invalidationem Filio Actoratus non competit, licet enim in Processu non steterit, quia tamen de re litigiosa, adeoque dubio Litis eventui obnoxia tractavit, & ad definitivam Processus partem facto suo concurrat, objecta difficultas vim Transactionis evertere, adeoque Actoratum Successori tribuere non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Conventiones, & Transactiones si nec per Partes subscriptæ, nec coram Judicio consummatæ, neque usu roboratæ sint, pro formali Transactione reputari haud possunt, Transactio enim essentialiter, consensum, & factum Partium prærequirit, id vero non alias, quam ex præmissis erui potest, & ideo ejusmodi prætenfa Transactio pro projecto dumtaxat simplici reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si Transactio ejusmodi quam Pater de Bonis, & Juribus Prolium Maternis qua Tutor, & Curator inivit, in Litem per Proles deducatur, non alias quam si probari possit, illam damnosam, & juribus ipsorum præjudiciosam, adeoque absque utilitate, & emolumento Pupillorum initam esse, invalidatur, quia Titulus 127. 1^{mæ} Tutoribus in emolumentum dumtaxat Pupillorum transigendi, & tractandi facultatem tribuit, in præjudicium vero eorum confectas, pro irritis declarat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Fratrem natum majorem, qua tali occasione Litis ad revindicationem Bonorum communium, per Antenatos inoneratorum procedente, quamvis is, qua talis ex dubio Litis eventu cum actuali Possessore transigat, quamvis item Transactiones coram Jure ex dubio Litis eventu celebratas, Titulus 62. 1^{mæ} irretractabiles statuat,

tuat, tamen reliqui Congenerationales nec per se, neque medio Plenipotentiariorum influentes, sed nec subsequenter Transactionem facto proprio usuroborantes, ad invalidationem ejusmodi Transactionis agere possunt; Transactio enim Fratris natu majoris ad transigendum speciali Mandatariatu non provisi, cæteros Fratres, & Cointeressatos obligare nequit; cum Fratri natu Majori Lites dumtaxat promovendi, & pro emolumento eorum agendi, non vero jura eorum involvendi activitatem tribuant, Actoratus tamen ejusmodi Cointeressati restringitur dumtaxat ad ratam ipsum concernentem, & eatenus ad statum ante Transactionalem reponitur, quoniam in reliquo velut motivo dubii Litis eventus legitime inita respectu ratæ Transigentis invalidationi subesse nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Viventibus directis Successoribus Transigentis, Fratri Collaterali ad invalidationem Transactionis de talibus Bonis, quæ Divisione mediante Transigenti obvenerunt, Actio ex Præjudicio non competit, Præjudicium enim Successionem sequitur, viventis autem nulla est Successio. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Si is, qui ob intermissam Comparitionem in Contumacia convictus, Executionem subivit, Bonaque eadem reoccupavit ad dandam facti rationem citatus in forma Transactionis absque motivo dubii Litis eventus, universa ejusmodi Bona cedat Actori, ac insuper pro oneribus etiam reoccupationis fundum assignet, ejusmodi Transactio Actoratu Successorum invalidatur, Brachialis namque Processus ex natura, & indole sua nullam circa qualitatem Bonorum amplius quæstionem recipit, proinde de re, de qua Judex hoc Instituto judicare non posset, pro legali Transactionis ex Lite emergentis, motivo assummi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Quamvis Transactio in imperfecta adhuc ætate inita sit, quamvis item facta, & acta, quæ ab alienationem hæreditatis involvunt, in imperfecta ætate procurata pro invalidis reputentur, si tamen illa ante adeptam perfectam ætatem revocata non sit, tunc Transigens ad invalidationem ejusmodi Transactionis motivo dubii Litis eventus per se inita, Actoratum non obtinet, cum positiva Legis dispositio adfit, ut ad infringendum ejusmodi actum, revocatio ante adeptam perfectam ætatem adhibeatur, qua neglecta, transit in perfectum consensum, sapitque neglectus ipsam confirmationem, merito proinde Actoratus contra factum proprium denegatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Licet antiquiores Transactiones, & Falsiones, quæ per Plenipotentiariorum inita sunt, intermissa in iis emanationis Plenipotentiariorum specificatio invigorosas non reddat ideo, quod longiori tempore continuatus, & retentus Boni ejusmodi Transactioni, & Falsioni involuti usus præhabitam Plenipotentiam extra dubium ponat, in recentioribus tamen Transactionibus, & Contractibus, si Locus, & Datum emanationis Plenipotentiariorum non exprimat, Actorque illum suum fuisse Plenipotentiarium neget, & nec Incattus in obversum legitime emanatas plenipotentias comprobare possit, tunc Transactio talis Lite ad invalidationem ejusdem erecta, pro nulla, & invalida declaratur, eo ipso enim, quod

quod per Leges modus, & forma Plenipotentiariorum constituendi præscripta sit, & talis probari non possit, pro prætextuosa, & eluloria, Conventio vero pro inactiva haberi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Conventio extra Judicium, & locum authenticum de Bonis, & Juribus Avitis facta, esto illa in forma Transactionis sub titulo dubii Litis eventus inita esse exponatur, Actione ad invalidationem erecta, invalidatur, cum enim nec coram procedente Judice, neque Loco Authentico, sed dumtaxat sub privatis Sigillis inita sit, perennalitem involvere haud potest, reputaturque pro simplici Contractu, etsi virtute talis Contractus nihil realiter cessum, sive per manus traditum sit, tunc remoto tali obice, Actor ad statum ante Contractualem reponitur, ut ita Jus, quod sperat, sua via consequi possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Transactiones, & Contractus per Sexus Fæminei homines cum Fratribus de Bonis ejusmodi, quæ per Genitorem eorum penes Cameralem Contractum ita comparatæ sunt, ut primum quidem Masculi, iis vero deficientibus Fæminæ possessorium habeant inita, esto aquisitio talis Jus dumtaxat temporaneum redoleat, in Pignoribus vero æqualis per Leges Sexui utrique delata esset successio, sub invalidationem nihilominus non veniunt, cum respectu talium Bonorum præjudicium, quod in Juris Aviti translatione subsistit, eo ipso, quod temporaneum dumtaxat sit, nullatenus subversetur, & insuper in aquisitionalibus constituta regulatio, jam pro ipsa Aquisitoris dispositione reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Quamvis Contractus de Juribus communibus, & indivisis per unum in præjudicium reliquorum Congenerationalium unitum jus foventium, iniri non possint, si tamen is, qui ex dubio Litis eventu coram Jure transigit, hanc ad ratam dumtaxat suam, vel quorum nomine agit, activitate eatentis provifus, restringat, tunc Actoratu reliquorum Congenerationalium ad Transactionem eandem non concurrentium, nec ex præjudicio, cum Transactione ad ratam dumtaxat Transigentis, (salva reliquorum aquisitione) restricta sit, adeoque eatenus præjudicium illatum non esset, & neque ex neglecta præmonitione, quoniam Transactiones ex dubio Litis eventu necessitatem præmonitionis excluderent, invalidari possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Licet directi Successores ad invalidationem Falsionis Paternæ procedentes, Lite eadem cum Falsionario transigent, Collateralis tamen Frater ex intermissa præmonitione respectu talis Falsionis, cujus intuitu prætensionis suæ directi Successores motivo dubii Litis eventus renunciarunt, agere potest, & si accessorie ad Transactionis etiam invalidationem directa sit, Falsionibus fundamento intermissæ præmonitionis invalidatis, superinducta etiam Transactione rescinditur, quia eo ipso, quod Falsio absque scitu, & consensu Condivisionalibus, adeoque sine præmonitione facta, invalidationi subjecta sit, jam in ea fundata Transactione corruere debet, cum facto alterius jus prælationis alteri ex Lege competens, perimi non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Quamvis ad invalidationem Transactionis per Fratrem natu Majorem initæ, Condicionales ad ejusmodi Tractatum, non concurrentes, respectu propriæ portionis Actoratum habeant, si tamen comprobari possit, quod subsequæ ex substrato Transactionali ratas suas idque scienter levaverint, invalidationi locus amplius non erit, nam in factum natu Majoris ratas suas acceptando, consenserunt, sicque ejusmodi Transactio jam non in Tractatu Fratris, sed in propriæ liberæ voluntatis actu radicatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Licet Conventiones Camerales etiam per Principem ratificatæ, nisi subsequa Donatione, & Statutione firmentur, perennalitatem non conciliant, si nihilominus Transactio cum Camera ex dubio Litis eventu succrescat, per Principem ratificetur, realique Bonorum possessorio, & effectiva stipulatæ Summæ depositione usu roboretur, contra illam Fisco Regio Actoratus non competit, quia Jura Fisci Regii iisdem Legibus gubernantur, quibus reliquorum Regnicolarum, quemadmodum itaque quoad reliquos Regnicolas Transactio ex dubio Litis eventu emergens, & usu roborata perpetuæ firmitatis evadit, ita idipsum etiam quoad Fiscum Regium statuendum veniet. *Tabula Regia.*

(Dec. 17.) Pro motivo invalidandi Contractus, vel Transactionis non sufficit, quod ille, qui Bona per talismodi Contractum, vel Transactionem cessa, & translata recipit, Summam pro iisdem stipulatam, pactato tempore deponere neglexerit, ideo etenim peculiaris Processus ad implementum Contractuum per Leges ordinatus existit, ut similes morosi ad implendas Contractuum conditiones auctore Judice compelli possint, si attamen Contractui, vel Transactioni hæc conditio per expressum annexa sit, ut Summa pro stipulato termino non deposita Conventio ipso facto evanescat, tunc non adimpleta hac conditione, Contractus velut eadem conditioni positive alligatus, evanescit. *Utraque Tabula.*

(XII.)

Ad Invalidationem Testamentorum.

(Dec. 1.) Quoniam Maritus pro principali aquiretore reputetur, hinc si Uxor vita Mariti durante, sine ejus consensu Testamentum de rata medietate coacquisitionis condat, Maritus vero in contrarium Testamento mediante de universa coacquisita substantia disponat, tunc Testamentum Uxoris, si Legatarius ejusdem fundamenti talismodi Testamenti ex substantia coacquisita aliquid apprehendat, Actoratu hæredis per Maritum constituti invalidatur, quia prout successio, ita & dispositio Uxoris ab arbitrio Mariti principalis aquiretoris pendet, adeoque in præjudicium ejus disponere nequit; de Clendiis nihilominus, mundoque Muliebri Uxor libere Testamentum condere potest, cum ejusmodi vestes, & Jocalia privato Uxoris Dominio subjecta sint, adeoque in hac parte Testamentum invalidationi non obnoxiat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Marito, qua principali aquiretore, ad invalidationem Testamenti præmortuæ Uxoris suæ, de coacquisitione sine scitu, & consensu ejus conditi, Litem suscitante, si is, antequam Lis illa terminetur,

netur, de eadem substantia Testamentum condat, & decedat, Hæres per eundem constitutus Litem eandem continuare nequit, cum respectu ejusdem substrati extraneus sit, cum item Actio Mariti fundata sit in eo, quod citra ejus, qua principalis aqvisitoris consensum disposuerit, aqvisitio vero Hæredis subsisteret in Testamento, quo pro hærede constitutus esset, & ideo distincta Actione, qua constitutus per principalem Aqvisitorem hæres ad invalidationem agere debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Actor ad invalidationem Testamenti procedens, si Actionem suam in intermissa nonnullorum paragraphorum Testatori, aut Testatrici ignoto idiomate in Testamento specificatorum explanatione fundet, tunc probam factæ explanationis in Incattum detorquere nequit, sed intermissam explanationem sufficienter docere debet, expositionis enim præcipuæ vero pro fundamento aqvisitionis assumptæ comprobatio asserentem, sive Actorem manet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Testamentum per Successores usuroboratum, si videlicet in conformitate ejusdem Testamenti dividant, ratasque suas acceptent, & illas sine ulla reclamatione longiori tempore teneant, esto ad talia etiam, quæ liberæ Testatoris dispositioni subjecta non erant, extensum fuerit, invalidationi non subest, quia ejusmodi ratarum sine reclamatione acceptatio, & in conformitate Testamenti inita divisio, ac ita longiori tempore continuatum possessorium sapit consensum, imo confirmationem, adeoque non jam Testatoris solum, sed & Successoris factum subversatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Falsione per Maritum de Bonis Avitis Uxori pro Summis, aliisque ex Domo Paterna allatis, & in conservationem Bonorum, ædificiorumque constructionem impensis, ita celebrata, ut decedente Uxore in iisdem Bonis Proles ex eodem Thoro progeneritæ, succedant, si Uxor de Bonis ejusmodi Testamento mediante disponat, legetque Extraneis, tunc Actoratu Successorum Testamentum invalidatur, inactivitas enim testandi tum ideo, quod non solum Bona, sed & Summæ iisdem investitæ Aviticæ fuerint, tum vero quod Falsione Mariti pro casu decessus Successio Prolibus delata sit, subversatur, quibus obstantibus Uxor pro aqvisitrice tali, cui libera testandi facultas attributa esset, reputari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Licet Fundationalibus Literis tam Mariti, quam Uxoris Nomen insertum sit, si tamen Maritus Testamento suo mediante integram Fundationalem Summam ex aqvisitis suis depurandam ordinet, Successores ejus prætextu Fundationalium Literarum ad invalidationem Testamenti, vel ad aqvisitionem dimidiæ Summæ contra Viduam, & Novercam agere non possunt, cum aqvisitor de aqvisitis suis libere disponere possit, complacencia vero Mariti, qua Uxorem beneficio prærogativarum ex Fundatione competentium participem reddidit, in damnum, & agravium ejus verti nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Testamenta, quæ Transactione firmata sunt, Actoratu Successorum Transigentis sub invalidationem non cadunt, quia Successor a præjudicio quod forte contra Testamentum allegari pote-

poterat, jam per initam Transactionem recessit, in illudque consentit. *Utraque Tabula.*

(XIII.)

Ad Invalidationem Cambii.

(Dec. 1.) Cambia, five Bonorum præmutationes, quæ pro commoditate Contrahentium per Leges admittuntur, adeo privilegiatæ sunt, ut juxta Titulum 70. 1^{mæ} Præmonitionis etiam necessitatem erga eos, quos successio talium Bonorum respicit, excludant, hinc quamvis unus ex Congenerationalibus Bona communia, & indivisa in possessorio suo existentia titulo Cambii Extraneo cedat, & reliqui Congenerationales ad Bona eadem jus foventes, agant ad invalidationem ejusmodi Cambii, utut Articulus 47. 1723. Bonorum communium, & indivisorum abalienationes, & inscriptiones pro invigorosis declaret, tamen parte dumtaxat in ea, in quantum portiones Congenerationalium involutæ essent invalidari solet, in reliquo autem firmitatem obtinet, cessio enim titulo Cambii facta, abalienationem non redolet, cum Cambium naturam Cambiati retineat, & deficiente Cambiante Congenerationales in Bonis cambiatis successorem habeant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si probari poterit, portionem, quæ in Cambium recipi debuisset, per alium occasione initi Cambii possessam, realiter, & effective resignatam non fuisse, sed superadditam dumtaxat Summam ad manus Cambiantis pervenisse, tunc Cambium ejusmodi plene invalidatur, quia simulatum, adeoque & illegale fuisse censetur, quia item eo ipso, quod Bonum in Cambio specificatum realiter traditum non sit, pro simplici, & sine omni rationabili causa facta venditione reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis Falsio in forma Cambii per Condivisionales Actoris de Bonis inter illum, & Fatentem adhuc indivisis celebrata sit, & Falsio illa Cambialis dumtaxat ad ratam Actoris restricta habeatur, imo Bona adinvicem cambiata effective resignata fuisse doceantur, si tamen Actor in obversum probet, per se Admonitionem, & Inhibitionem ante adhuc ejusmodi Cambialem Falsionem debite præmissam fuisse, seque in casu simplicis venditionis pro emptore quidem, in casu vero instituendi Cambii ad effective dandum pro commoditate ejus Cambium declarasse, illudque ita per se, prout per Falsionarium factum erat, præstari potuisse doceat, tunc Falsio ejusmodi Cambialis velut contra Inhibitionem attentata invalidatur, Tituli enim 70. 1^{mæ} de inefficaci in Cambialibus permutationibus Condivisionalium inhibitione, & protestatione dispositio ad illos dumtaxat casus restricta esse censetur, si Condivisionales Fatenti nec ita propinqua, nec ita utilia prout Extraneus in Cambium dare possent Bona, & tamen ab ejusmodi proficuo Cambio Fatentem, taliterque debito usu, & fructu rerum suarum arcere vellent, casu vero in eo, dum Condivisionales ea omnia præstare possunt, & volunt, quæ Extraneus, cessat ratio citati Tituli. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Vis, & soliditas Cambii non consistit in æqualitate proventuum dati, & recepti, & ideo Bona ampliora, sed talia, quæ
jam

jam sive præ manibus Cambium recipientis, sive vero Extraneorum existunt, in Cambium dentur, ac ita jus sperativum, aut non depuratum, & opera Cambiantis revindicandum transfertur, esto is quantitate, imo & qualitate minora, pro commoditate nihilominus sua recipiat, Cambium ejusmodi nec per Successores ex inæqualitatis ratione invalidari potest, quia præcipuum Cambiorum motivum juxta Titulum 70. 1^{mæ} est commoditas Partium, illaque reflexe ad Cambium ineuntes, & non Successores considerari debet, prætensa vero inæqualitas illa fatigiis, & expensis alterius Partis in revindicationem, & reaquisitionem impensis compensata, & ad legale æquilibrium posita esse censetur, & ita pro rationabili reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Licet respectu Bonorum communium, & indivisorum inter eodem gradu, & Sanguinis nexu junctos, de ratis nihilominus ipsos dumtaxat respicientibus, Cambium fiat, & tertius pariter in iisdem Bonis æquale indivisum jus fovens, & in eodem cum Cambiantibus gradu constitutus, se ante adhuc consummatum Cambialem Tractatum insinuet, ac talem recte, ut alter Frater, vel Soror in specie in iisdem Bonis portionem offerat, ac ita Cambium sibi quoque commune efficere contendat, eo non obstante, quod is, qui ratam suam in Cambium dare intendit, eundem hujus Cambii participem non reddat, Actione ex neglecta præmonitione assumpta invalidationem non obtinet; quamvis enim de Bonis indivisis Cambium fiat, cum tamen propriæ tantum ratæ iisdem involvantur, & pro Fratre, vel Sorore in æquali gradu constitutis, celebretur, jus prælationis præ altero sibi vindicare non potest, præcipue cum necessitatem Præmonitionis Titulus 70. 1^{mæ} in Cambiis excludat. *Utraque Tabula.*

(XIV.)

Ad Invalidationem Conditionum Pignoratitiarum.

(Dec. 1.) Si excessivæ Annorum conditiones in Pignoratitiis Contractibus obligatæ sint, Actoratu Successorum Impignorantis invalidantur, & ad 32. Annos reducuntur, quia alias, si absque ulla restrictione liberum esset conditiones Annorum Bonis Aviticis inscribere, ex impignoratione majus in Successores, quam ex perennali Falsione redundaret præjudicium, cum contra perennales Falsiones, decedente Fatente, Successor agere posset, in casu vero præsentis evolutionem Annorum non unius, sed plurium hominum ordinariam ætatem excedentem, præstolari deberet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Esto in Pignoratitiis Contractibus vincularis poena etiam ad Successores casum in eum, si contra conditiones illegales agerent, vel Pignus recipientem evincere nollent, aut non possent, extensa sit, tamen ideo, quod Successor agat ad invalidationem, eidem poena vincularis dictari non solet, quia Judicis auctoritatem implorare impune licet, conditio præterea illa, præcipue quoad Successores velut illegalis pro non adjecta reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si quis alteri portiones diversis pignoribus involutas, & præ manibus aliorum existentes, reluendi facultatem tribuat, postea vero hæc peculiaria pignora ad certos legales tamen Annos non excedentes, levata auctionali Summa, ita inscribat, ut simul, & semel relui debeant, esto Successor Inscribentis conditionem hanc onerosam, sibi, & præjudiciosam esse ideo, quod particularia illa Pignora & citius, & facilius revindicari potuissent, prætendat, tamen conditio illa simul, & semel fiendæ reluitionis non invalidatur, quia illegalis non est; nam Cessionarius penes cessionem Inscribentis reluens ipsum Inscribentem repræsentat, & si ipse Inscribens Bona ejusmodi particulariter inscripta reluisset, & ita jam re unita, & colligata quamvis tertio cum illa simul, & semel instituendæ reluitionis conditione inscripisset, prout tunc Successor illam pro illegali statuere nequivisset, ita nec ex præmissa Inscriptione ullam illegalitatem prætere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si Proles aquifitoris vita adhuc comite Patris de Bonis per ipsum aquifitis circa observandam ad casum ab intestato decessus Patris successionem, Contractum inter se modo provisorio ineant, ac ita divisionem quasi anticipent, probarique possit Patrem eorum, ejusmodi Tractatus Filiorum notitiam habuisse, nec secus quidquam disposuisse, imo aliquo judicio, exempli gratia: fidedigno testimonio ratihabuisse, tunc Contractus talis invalidari non solet, quia in factum Filiorum consensisse reputatur, adeoque Contractus talis vices dispositionis Partis Aquifitoris supplere censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Contractus super Bonis temporaneo jure inscriptis, titulo remunerationis fidelium servitorum, præstitorumque beneficiorum initi, per Condivisionales ex præjudicio non alias, quam si Actor expositionem Contractus evertere possit, invalidantur. Si enim Falsiones perennes propter fidelia Servitia celebratæ, si illa realia sint, invalidationi non subsunt, quanto magis stare debent Inscriptiones hoc titulo ad tempus factæ, cum tamen hic nulla juris, quod fundamentum Præjudicii constituit, abalienatio subvertatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Præmonitione occasione primæ Impignorationis Bonorum erga Condivisionales præmissa, iis illa ad se recipere nolentibus, si successive per Impignorantem, vel Successores ejus super iisdem Bonis illi, qui in Pignus recepit, perennis celebrata fuerit Falsio, ac is tandem a perennalitate recedat, & temporaneo jure usque 32. Annorum effluxum in se transferri curet, Actio Condivisionalibus ob intermissam occasione posterioris hujus Impignorationis præmonitionem non competit, nam præterquam, quod occasione primæ Impignorationis præmonitio jam intercesserit, posterior vero Impignoratio de Bonis involutis, & extra possessorium Impignorantis constitutis, facta fuerit, imo per recessum a perennali Falsione Condivisionalibus etiam beneficium accessit, legalis invalidationis titulus non subvertatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Levatis Auctionalibus Summis, si Successor Impignorantis ultra Annos in primitivo Pignoratitio Contractu specificatos, & legales 32. Annos non excedentes, iterum ante effluxum Anno.

Annorum in primitivo Contractu attactorum aliquot Annos obliget, talis inscriptio pro illegali non reputatur, cum auctionalis Contractus distinctus a primitivo sit, habeatque pro objecto Summam titulo auctionis, non vero occasione primæ Impignorationis numeratam. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Successor Impignorantis ad invalidationem conditionum in Pignoratitio Contractu per Antenatum suum obligatarum, procedens, si Aviticitatem probare non possit, Actoratus ejus condescendit, cum enim Aquisitores de aquisitis suis juxta Titulum 57. 1^{mæ} libere disponere possint, ad hoc ut Actoratum sibi Actor conciliare valeat Aviticitatem, sive Antenatorum in Bonis, quæ Pignoratitio Contractui involuta sunt, possessorium docere debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si in Lite ex neglecta Præmonitione ad invalidationem Pignoratitii Contractus per Condvisionalem suscitata, actualis Possessor ultra primitivum illum Contractum, respectu cujus Lis præassumpta est, plures Auctionales subseque tamen Litis intermedio initos exhibeat Contractus, ac tum ideo, quod his conditiones inscriptas habeat, tum vero quod ad eorum invalidationem peculiari Lite agendum sit, onus Litis a se remove intendat, tamen Contractus tales per Judicium simpliciter seponuntur, velut enim Lite pendente in elusionem Actoris confecti, respectu Condvisionalis pro illegalibus reputantur, ideo, quoniam secus si ejusmodi Contractus acquisitioni obstaculum ponere possent, vix aliquando Lis ob intermissam præmonitionem effectum obtineret, & ita juri Sanguinis præjudicium inferretur, irreparabile, cum successive contra ejusmodi subseque initos Contractus suscitanda Lis, novo, & novo eludi posset Contractu. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Apposita in Pignoratitio Contractu conditio, ut Pignoratitius Possessor Bona pignori locata secus remittere non teneatur, nisi in specie Moneta talis, qualem ille Impignoranti numeravit, deponatur, tamquam illegalis invalidari solet; nam si in currenti, & debiti valoris Moneta, quod ei dabatur, obtinet, nullam amplius habere potest prætensionem, videturque hæc conditio ideo adjecta, ut difficilior sit Pignoris relatio, id vero menti Legis summopere adversatur. Pari ratione illegalis conditio est hujusmodi, ut non prius Bonum remittatur, quam restantiæ apud Colonos hærentes per Proprietarium refundantur, possent enim studiosa opera ejusmodi Pignoratitii Possessores ita accumulari, ut summe difficilis, vel plane impossibilis redderetur relutionis modus. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si Condvisionalis ad invalidationem Contractus Pignoratitii ex neglecta Præmonitione Processum instituat, licet de regula generali nihil sub Lite innovari possit, si tamen Proprietario ejusmodi Bona ante definitivam Sententiam sponte remittat, & ejusmodi remissio simulate facta fuisse probari non possit, Proprietarius qua actualis possessor in Litem vocatus ab impetitione Actoris absolvitur, cum ex neglecta præmonitione contra Proprietarium Actio non competat, & quod Actioni ansam dedit, jus in ratione Sanguinis fundatum, ipso facto cessat, remotoque

hoc præjudicio, jam ejusmodi Condivisionalis de lucro potius, quam de jure Sanguinis manutenendo agere videtur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Privigno contra Novercam ad invalidationem, vel sepositionem Divisionalis Contractus respectu Bonorum Mobilium, & Immobilium, post decessum Genitoris remansorum cum ipsa initi procedente, tum ideo quod lingua ignota concinnatus, & neque interpretatus, adeoque fraudulenter initus sit, tum quod ob intermissam sub Juramento revelationem Massa divisionali integra non cognita, non excussa, sibi competentem ratam haud percepit, licet prætenfa fraus, & dolus non probetur ideo, quod in obversum Noverca remonstret, per Testes, qui occasione initi Contractus præsentis erat, eundem sufficienter explanatum fuisse, tamen edocto per Actorem eo, quod quædam ad communem Massam, & divisionem pertinentia ex Contractu emanerint, Actoratus Lite eadem ad consequendam competentem ratam admittitur, ex Massa enim divisionis prout præter mentem, & voluntatem Contrahentium exmitti nihil potest, ita bona fides, substantiale videlicet Divisionum requisitum exigit, ut ejusmodi Massa sub Juramento reveletur, & quisque ratam suam consequatur, jam vero cum substantialis error eveniat, Contractus pro non completo reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Actione per Proprietarium ad invalidationem Contractus Pignoratitii, ex fraude, & dolo mota, quamvis remonstretur, quod Pignoratitius Possessor tales etiam titulo revindicationis ejusmodi Bonorum penes Cessionem Proprietarii erogatas Summas Contractui Pignoratitio includi fecerit, quæ vel effective non impen- sæ, vel per Proprietarium depuratæ jam antea erant, tamen si erogationes illæ adhuc per Patrem Pignoratitium Contractum procurantis factæ, & ex connotationibus ejusdem in Pignoratitium Contractum inductæ sunt, tunc Contractus talis non invalidatur, quia eo ipso, quod ex connotationibus Patris sui Contractui Pignoratitio inseri curaverit, & non ipsi, sed Patri ejus Summæ illæ persolutæ fuerint, jam in ipsum tamquam facti Paterni haud conscium, fraus, & dolus non cadit, quia item residuæ in Contractu specificatæ, & effective datæ Summæ vim, & efficaciam Contractus sustinent, & ideo cassatis ejusmodi Summis indebite insertis, Contractus ad suam legalitatem reducitur. *Utraque Tabula.*

(XV.)

Ad Invalidationem Facti Magistratus.

Acta Magistratus vi officii procedentis Actoratu privatorum invalidationi nullatenus subsunt, cum illa in fide officii publicafundentur, atque adeo error ille, qui intercessit, Lite contra privatos, substantiæ videlicet possessores suscitanda, vel beneficio Noviremederi debet. *Utraque Tabula.*

(XVI.)

Ad Transumpta Literarum.

(Dec. 1.) Dum Fæminæ contra Masculos ad obtinenda Transumpta Literarum Bona utriusque Sexui deservientia, tangentium, procedunt,

cedunt, in ordine ad fortiendum Actoratum nihil aliud docere tenentur, quam nexum Sanguinis, quo edocto, etiam si probare non possint, quod Bona per Masculos possessa in toto, vel in parte utrumque Sexum sequantur, iisdem Transumpta applacidantur, cum enim æqualitas Juris ex Literis Acquisitionalibus erui debeat, hinc utique exigere nequit, ut Fæminæ omni Literarum adminiculo destitutæ, eandem probent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si plures sint Fratres, non requiritur, ut omnes Juramentum deponant, verum sufficit, si Frater natu major Literas Transumendas sub Juramento revelet, nisi forte doceri possit, quod nonnullæ Literæ etiam ad manus aliorum Fratrum devenerint, quia Fratri natu majori de Lege competit Literarum Familiæ conservatio, per consequens supponi debet, quod ille circumstantialem earundem notitiam habens, adæquatam revelationem præstiturus sit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Actor ad obtinenda Transumpta Processum coram Tabula Regia suscitans, Actionem suam ita stilifet, quod velit acquirere Literas, vel vero non communes Familiæ Literas, sed privatas requirat, tali in casu Judicatus condescendit, quia præmissa sapiunt repetitionem Literarum, hæc vero ad Forum Comitatenſe pertinet. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si in Causa Transumptionali Incattus hoc petat, ut etiam Actor Literas præ manibus suis habitas revelet, & ad transummendum exhibeat, tale petitum eidem denegari solet, quia hoc saperet reactionem, quæ hoc Instituto locum non habet. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Filio, vivente Patre ad petenda Transumpta Literarum Bona Paterno-Avitica tangentium Actoratus non competit, quemadmodum enim successio, & devolutio Bonorum ordine generaturæ vadit, ita quidem ut Filius vivente Patre ad revindicationem Bonorum Aviticorum agere non possit, ita etiam Literæ velut Bonorum accessoria eodem ordine tractari debent. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Eadem est ratio, si Tutor Prolium suarum ex defuncta Coniuge susceptarum, vivente Avia Materna earundem Prolium ad obtinenda Transumpta Literarum Bona Uxoris suæ Avitica respicientium Actionem moveat. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Tutricibus Prolium ad petenda Transumpta Literarum Bona earundem Prolium Paterno-Avitica concernentium Actio non competit, cum enim Viduæ Tutrices respectu similibus Bonorum sint dumtaxat usu fructuariæ, & cum mutatione votorum statim dandis rationibus obnoxientur, idcirco tum ratione ex prævia, tum vero propter imbecillitatem Sexus, accedente etiam paritate a Tutoribus Dativis ex Articulo 68. 1715. desumpta investigatio Jurium Pupillarum, & Literarum tractatio eisdem tute concedi non potest. — *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Etiam si quisquam Bona sua perennaliter in Consanguineum suum transferat, per hoc tamen eidem Actoratus ad petenda Transumpta denegari non potest, quia recte ideo solent peti

Transumpta, ut adminiculo illorum Bona actualiter possessa, firmari, & contra impetitiones aliorum defendi, ab alienata vero reivindicari possint. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Si Actor ad Transumptionem procedens, Actionem suam principaliter in Articulo 43. 1659. fundet, Institutum condescendere solet, quia præcitatus Articulus sonat de repetitione Literarum, hæc autem ad distinctum Forum, & Institutum pertinet. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Transumpta Literarum citra discussionem, aut approbationem valoris earundem intrinseci decerni solent, sæpe enim fit, ut Literæ quæpiam quoad formam extrinsecam omni suspicionem careant, & tamen quoad valorem intrinsecum non subsistant, & alioquin Transumptio tantum ideo per Leges adinventæ est, ut Paribus Literarum legalis authentia concilietur, adeoque ex indole sua præcise extrinseci earundem valoris discussionem pro objecto habet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 11.) Quamvis in Causis Transumptionalibus Incatto ante depositum Juramentum, & Revelationem revelandorum Appellata admitti non solet. *Tabula Regia.*

(Dec. 12.) Si tamen Partes circa nexum adinvicem convenire non possint, & Tabula Regia Actoratu ex ratione edocti nexus stabilito, Incatto Juramentalem Literarum Transummendarum Revelationem imponat, ille vero post depositum Juramentum, sed ante Literarum exhibitionem appellet, ejusmodi Appellata admittitur, interest enim, ut antequam Litteræ communicentur, & transummantur, quæstiones circa nexum Sanguinis intercedentes, in Supremo Foro revideantur, & decidantur, si etenim ibi nexus non stabiliretur, tunc præhabita jam Literarum communicatione, & Transumptione, ejusmodi Sententia destitueretur omni effectum. *Utraque Tabula.*

(XVII.)

Ad Reluitionem Fignorum in diversis Comitatus existentium.

(Dec. 1.) Si Actor Actionem suam in Admonitione fundet, & tamen nec cum Minori, nec cum integrali Summa illam peragere curet, Actio condescendit, Actio enim in Admonitione fundata fuit, illa igitur intermissa, merito pro defectuosa reputatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si tamen Actio absque ulla ad legalem Admonitionem provocatione, sed præmissa tamen amica requisitione instituta fit, tunc licet Incattus obvertat, Admonitionem juxta Titulum 24. 2^{dæ} præmittendam fuisse, & ex hoc defectu condescensionem petat, tamen Actio condescensionem non obnoxietur; præmissæ enim Admonitionis tantum ille est effectus, quod si Possessor legalem non remissionis causam coram Jure assignare nequeat, inhærentes Summas amittat, adeoque nisi forte in Literis Pignoratitiis præmittendæ Admonitionis necessitas pactata sit, ab arbitrio agentis

tis dependet, an si ad amicam requisitionem Bona non remittantur, Pignoratitium Possessorem etiam Judiciaria Admonitione urgere, vel simpliciter in Jus vocare velit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Bona Pignoratitia in duobus Comitatus sita, certis Annorum conditionibus involuta sint, Actio autem ad invalidationem conditionum erecta non est, Actor penes ejusmodi Actionem nihil consequi potest, obstant enim conditiones Pignoris resolutioni, quæ Actione ad hunc finem non directa penes simplex Pignoratitium Institutum invalidari non possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si Actor ad reluitionem Bonorum in pluribus Comitatus situatorum, & una eademque occasione impignoratorum procedat, quamvis ejusmodi in Literis Pignoratitiis colligata Bona, subsequē inter Successores, sive Pignus recipientes, sive vero inter sub Hypothecarios ita dispartita, & segregata sint, ut nullus actualium Possessorum ex Bonis fundamentali illi Pignori involutis, in duobus Comitatus sita, teneat; Portiones tamen hoc non obstante coram Tabula Regia, qua Judice Pignorum in duobus Comitatus existentium, reluere potest, illiusque subsistit Judicatus, fundamentum namque Actionis in primævis Literis Pignoratitiis situm est, jam vero ibi Bona in pluribus Comitatus sita colligata erant. Nec obstat, quod actualium Possessorum nullus Portiones in duobus Comitatus sitas possideat, per subsequēnamque colligatorum Bonorum separationem tantum Possessorium, non vero præcedentis Pignoris indoles, & ratio mutata esse videtur. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si tamen Oppignorans vigore unius, ejusdemque Pignoratitiæ Literæ Bona in uno Comitatu sita, Pignus recipienti realiter tradat, in alio vero Comitatu existentia Jure suo reluendi facultatem tribuat, interim cessio hæc in effectum deducta non est, casu in isto tametsi in Pignoratitiis Literis specificata Bona in duobus Comitatus sint, Judicatus Tabulæ Regiæ non subsistit, sed discussio Causæ ad Forum Comitatus pertinet. Pignus enim ab illo repeti non potest, qui illud non possidet, jam vero juxta præmissa cessio in effectum non ivit, igitur illud a Parte I. requiri non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 6.) Licet Actor probet, quod Bona illa, quæ Incattus ad se Jure Sanguinis recepit in diversis Comitatus sita, si tamen eadem per Antenatos Actoris distincto tempore, & per partes absque ulla colligatione Bonorum in diversis Comitatus existentium impignorata, & per Incattum etiam separatim a Pignoratitiis Possessoribus reluta sint, tunc Actor ad Forum Comitatus relegatur; fundamentum namque Tabularis Judicatus est colligatio Bonorum in diversis Comitatus existentium, quæ non ex Sanguinis jure, verum ex Literis Pignoratitiis repeti, atque ideo simultanea, Bonorum inoneratione non eveniente, Institutum condescendere debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Actor ad reluitionem Pignoris procedens, Pignus quod pro fundamento Actionis assumit, sibi applicare debet, ita ut si Pignus Antenatorum suorum esse prætendat, tunc gradualem

suam ab Impignorante descendantiam, si vero Extraneorum, & nullam Sanguinis, aut Juris communionem secum foventium revindicare contendit, tunc Juris eorum in se translationem docere tenetur, secus ab Actoratu removetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Tametsi Actor Pignus, & suam ab Impignorante descendantiam probet, nisi tamen Pignoris ad eum, a quo Bona ejusmodi revindicare intendit, devolutionem doceat, & ita acquisitionem suam possessorio Incatti applicet, via Pignoris consequi nihil potest, Titulus enim §2. 1^{mæ} probam devolutionis Actori imponit, quæ eo magis necessaria est, quod innuente eodem Titulo multæ præcipue vero antiquæ Pignoratitiæ Literæ, præsertim in Locis Credibilibus ubi olim Pignoratitiæ Falsiones celebrari solebant, reperibiles sint, quæ tamen pridem resolutæ sunt, sed etiam contingere potest, quod absque effectu manserint; unde patet, quod ex Literis Pignoratitiis realitas pignoris sine proba devolutionis inferri non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Non tantum occasione primitivæ Impignorationis confectis Literis, sed & Auctionalibus, quibus ad Bona jam prius inonerata ampliores Summæ levantur, Cessionalibus item super attributa reluendi facultate, dummodo effectus earundem prodeat, si videlicet ejusmodi Cessionem obtinens possessorium Bonorum successive adeat, Pignus sufficienter probatur, & ideo si is, vel Successor ejus, qui auctionem levavit ad reluitionem agat, nisi Incattus per se, vel Prædecessorem suum erronee factam auctionis solutionem sive ex primitivis alterius Familiæ Pignoratitiis, sive ex distincto titulo adepti possessorio sufficienter comprobet, Bona remittere debet, quia jam facto suo per datam auctionem se illius, vel Antenatorum ejus Pignoratitium esse agnovit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Licet Actor respectu Bonorum, quæ revindicare intendit, primitivam Pignoratitiarum Literarum expeditionem exhibere nequeat, sed penes Transumptum Capitulare ea cum declaratione expeditum: quod Pignoratitiæ illæ inter authenticas Falsionum minutas reinventæ sint, procedat, tamen Literæ ejusmodi eousque donec Incattus contrarium possessorii titulum opponat, ad probam Pignoris sufficiunt; ejusmodi namque scriptum pro simplici Pari, suffragante eidem præmissa Capitulari recognitione, haberi non potest, verum illo Incattus ita gravatur, ut nisi illius vim elidat, Bona remittere teneatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Dum Actor ad reluitionem communium indivisorum Bonorum contra Extraneum agit, esto Incattus Congenerationalium Actoris, qui cum ipso unum, idemque jus fovent, Literas exhibeat, quibus hi ratas suas præ manibus Incatti se ultro relicturos declarant, ac ita acquisitionem Actoris ad ratam ejus propriam restringere conetur, ejusmodi tamen Literæ ad restringendam Actoris acquisitionem non sufficiunt, cum Actio ad totum commune, & indivisum Bonum extensa in communiione Juris fundetur, adeoque Actor ad Bona talia jus præ Extraneo habens, nec Condivisionalium facto hoc Legis beneficio privari possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.)

(Dec. 12.) Si Actor pro fundamento Actionis suæ assummat, quod Parens suus Avita hæreditaria Bona sub privatis Sigillis perennali titulo inscripserit, adeoque ad eorundem qua Aviticorum hæreditariorum revindicationem ex defectu solennitatis Sigilli via Pignoratitii Processus agat, Incattus vero in obversum remonstret, Antenatos ejus titulo temporaneo possessorium ejusmodi Bonorum obtinuisse, tunc Actor ab acquisitione removetur, eo ipso enim, quod Bona ejusmodi temporaneo dumtaxat titulo per Vendentem possessa fuerint, jam ad dispositionem Tituli 59. 1^{mæ} & Articuli 47. 1723. ita facta alienatio reduci non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Licet Condivisionalis ad reluitionem Bonorum jure communi se concernentium procedens, Impignorationes per suos Congenerationales factas, confirmet, si tamen ejusmodi confirmatio in genere tantum, & absque specifica ad initos Contractus, & Annorum condiciones facta fuit, tunc Incattus condiciones Contractibus Condivisionalium inscriptas Actori obvertere nequit, quia ex simplici in abstracto facta Pignoratitii possessorii confirmatione, conditionis quoque Annorum confirmatio inferri haud potest, præcipue cum nemo id, quod ignoravit, confirmare voluisse præsummi possit, ejusmodi vero condiciones Annorum ignorasse, ipsa in abstracto absque ulla ad específicos Contractus, tanto minus in obligatos Annos reflexione procurata confirmatio manifestat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si Masculus ad reluitionem Bonorum per Masculos Familiæ suæ in distincta tamen Linea stantes, & in Sexu Masculino deficientes, oppignoratorum, contra Lineæ illius, qui impignorationem fecit, Sexus Fæminei descendentes, & Bona eadem jure suo revindicantes, procedat, licet probet Sexui dumtaxat Masculino collata, adeoque velut per eos oppignorata privato eorum possessorio subjecta fuisse, nihilominus si Incattus in obversum remonstret, præhabitum in iisdem Bonis Sexus Fæminei antiquum possessorium, tunc Actor a præensione hac Lite Pignoratitia quæsitâ, removetur, quia jam hic potius Juris, quam Pignoris quæstio subvertatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Dum Actor ad reluitionem communis, & indivisi Boni Litem suscitât, quamvis occasione illa Possessor adhuc condiciones Annorum nondum evolutas, per Condivisionales Actoris super ratis ipsos in iisdem Bonis concernentibus, inscriptas habeat, si tamen illæ antequam eatenus Incattus absolutoriam obtineat Sententiam, elabantur, tunc etiam Portiones Condivisionalium Actori adjudicari solent; quia Actio ad totius Boni communis, & indivisi reluitionem directa, adeoque juri Sanguinis innixa, cessantibus Annorum conditionibus, jus Actori ad revindicationem tribuit, neque congruum foret, ut ideo ad novam Litem Pars A. relegetur, atque inanibus expensis, & fatigiis gravetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Licet Actor condiciones Annorum per Fratrem suum Bonis communibus, & indivisis inscriptas ipso jure nullas esse prætendat, & hoc titulo ad revindicationem ejusmodi Bonorum agat, si tamen Possessor per subsequam Conventionem inter Actorem, & Impignorantem initam probet, ipsum Actorem totum, & omne

Jus, quod Bonis in iisdem habere poterat, in Fratrem suum, illum videlicet a quo Possessor conditiones Annorum obligatas habet, salvo unice legalis Successionis jure transtulisse; tunc Actor ab acquisitione sua removetur, quia jam tunc dum Jus suum, adeoque plenum Dominium in Fratrem transtulit, titulus communis & indivisi Status esse desit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Pignoratitius Possessor conditiones Annorum obligatas habens, esto post incaminatam ex prælatione Litem per Impignorantis Congenerationalem ante effluxum Annorum contractualiter obligatorum Bonum Proprietario remittat, nisi tamen Actor probet, remissionem simulatam, & dumtaxat in elusionem Actoris esse procuratam, utut Actor non solum contra ejusmodi Pignus remittentem, sed & Proprietarium, ad eandem Litem successive evocatum Causam continuet, Bonorum tamen remissionem consequi non potest; cum enim prætenfus Pignoratitius jam extra possessorium Bonorum sit, amplius ab illo nihil adjudicari, contra vero Proprietarium Actio per Actorem ex neglecta præmonitione, sive prælatione assumpta locum habere nequit, prout enim Contractus mutuo Partium consensu iniri, ita pari etiam consensu dissolvi possunt, præcipue cum Proprietarius per impignorationem non Jus, sed dumtaxat usum fructum tradat, quem licite Pignoratitius dummodo simulate, adeoque in elusionem Actoris non fiat, reddere non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Actor ad reluitionem Bonorum per Antenatos suos oppignoratorum, contra talem procedens, cujus Antenatis complures Portiones oppignoratae erant, & jam circa unius dumtaxat Sessionis, vel particulæ, velut ad distinctam Familiam pertinentis, cum qua videlicet nexus Incatti doceri nequit, impignoratae devolutionem quæstio sit, esto illius de manu ad manum devolutionem, adeoque taliter factam ad Incattum deventionem probare nequeat, si tamen Pignoratitiis Literis doceat, quod Sessioni huic ab Inhabitatore Nomen adhæserit, insuper falsionibus Testium remonstret, quod non solum ejus in specie Nominis Sessionem Incattus possideat, sed & quod nulla alia ejusdem Nominis Sessio in illa Possessione existat, & neque ad memoriam provectoræ ætatis Testium præexistat, & hæc, quæ sub Incatti possessorio est, Nomen illud ab antiquo retinuerit; tunc nisi Incattus probas Actoris sive possessorio Antenatorum suorum in ejusmodi Sessione ante Pignus Actoris præhabito, sive vero edoctione possessorii distincto titulo adepti elidat, Sessio talis Actori adjudicatur, his enim adminiculus Pignus Antenatorum suorum ad possessorium Incatti sufficienter applicatur, adeoque in ejusmodi circumstantiis Incattus ita gravatur, ut applicationem hanc non alias, quam ante prætenfum pignus præhabito, vel distincto titulo adepti possessorii edoctione elidere possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Si Regia Majestas Bona aliqua pro certa Summa ita inscribat, ut Emptor usque vires Summæ libere de iis disponere possit, reservata nihilominus pro Successoribus Sacræ Coronæ reluendi facultate; esto ejusmodi temporaneus Aquisitor Bona hæc cum aliis suis Bonis leget Filio, ejusque Successoribus, ac tandem Regia Majestas Testamentum ejus confirmet, ac pro perpetuo valituro

turo declaret, tamen per ejusmodi confirmationem Pignoratitii possessorii in perennem facta transmutatio prætendi nequit, Aquisitor enim restrictam quoad Summam dumtaxat disponendi facultatem habuit, itaque cum in Testamento in genere tantum nulla ad proprietatem facta reflexione disposuerit, confirmatio, & consensus Testamento superinductus juxta originales acquisitionales intelligendus est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Quamvis Tutor ad Bona Tutelatum suum respicientia, quæ Antenati adhuc ejus impignoraverant, condiciones Annorum pro actuali Possessore obliget, si tamen condiciones illæ sine legali, adeoque necessaria causa, & commodo Tutelati inscriptæ sint, simpliciter seponuntur, Tutores enim vi assumptæ obligationis suæ juxta præscriptum Articuli 24. 1655. utilitatem, & commodum Tutelatorum subrum procurare tenentur, jam vero in ejusmodi inscriptionibus Annorum legalis necessitatis causa disquiri debet, qua sufficienter non probata, merito, velut Tutelato, & Successoribus damnosa, & præjudiciosa simpliciter seponitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si Tutor ad Bona communia, utpote Tutelatum suum, & reliquos illius Condicionales concernentia, auctionem levando, majori Summa oneravit, quam per communem Patrem Pignori locata erant, occasione reluitionis ejusmodi Bonorum (nisi remonstrari possit alium Tutelato providendi modum non superfuisse) tantum onera per communem Patrem superinducta deponuntur, quoad reliquum vero Pignoratitius Possessor ad Tutorem sine sufficienti, & legali causa communia Bona onerantem, adeoque contra commodum Tutelati agentem, relegatur. Tutores enim Bona Pupillaria sine sufficienti causa, minus vero in illorum damnum, atque eorum etiam, quos successio respicit, præjudicium, onerare non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Esto Actor ad communium, & indivisorum Bonorum reluitionem procedat, si tamen Bona eadem, five per subin hypothecationem Pignoratitii, five per remissionem uni ex Successoribus Impignorantis factam sub possessorem illius, quem Bonorum eorundem proprietates æque respicit devoluta sint, tunc Actor non integra ejusmodi Bona, sed dumtaxat ipsum, & eorum quorum Nomine agit, concernens rata adjudicari solet, cum enim idem jus fovens Sanguis in possessorio sit, utique jam titulus ille communia Bona revindicandi in illa parte cessavit, non tantum contra Extraneos, & ad illa Bona non æquale jus habentes locum obtinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Quamvis Falsiones de Bonis communibus, & indivisis celebratas, velut ipso facto, & jure nullas, Articulus 47. 1723. per Pedaneos etiam Judices seponendas statuat, tamen si Falsio illi, quem Bona ejusmodi communia æque concernunt, de rata dumtaxat Fatentem concernente, celebretur, seponi non potest, quia præcitatus Articulus Falsiones Extraneis nullam Juris, & Sanguinis communionem Bona ad eadem foventibus, celebratas damnat, seponendasque præscribit, ideo quod hac ratione ejusmodi communium Bonorum distractores Bona a Familia abalienare contendunt; jam vero ubi Falsio idem Jus foventi, & de rata dum-

taxat Fatentem respiciente celebratur, cessat ratio, & censura citati Articuli, ac ideo si quid eatenus Actor sperat, distincta ad invalidationem suscitanda Actione agere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Si Actor cum integrali Summa in Pignoratitiis Literis specificata Possessorem præmoneri curat, ac tandem ob intermissam remissionem Actionem suam in modo prævio peracta Admonitione fundet, quamvis Incattus majorem Summam cum accessu auctionalis Summæ, quam Impignorans, vel descendentes ejus successive levarunt, Bonis iisdem inhærare remonstrat, Actio tamen in ejusmodi Admonitione fundata, non condescendit, quia sufficit, quod cum specifica Pignoratitiæ Summæ oblatione Admonitio præmissa exstiterit, & alioquin obligationis Incatti fuisset, si majorem Summam investitam habuit, occasione peractæ Admonitionis declarare. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Proprietarius ad reluitionem Pignoris procedens, si probet, occasione impignorationis Bonorum necessaria, & utilia ædificia adfuisse, nova vero ponendi facultatem Pignoratitio Possessori attributam haud esse; tunc illa, quæ Pignoratitius noviter erexit, refundere non tenetur; quia alias si ad ejusmodi ædificiorum pro arbitrio Pignoratitii possessoris positorum refusionem Proprietarii cogentur, daretur campus potentioribus præcipue Pignoratitiis Possessoribus Bona ita onerandi, ut sumptuum ejusmodi refusio ipsum Bonorum valorem excederet, adeoque conatu tali Proprietarius a reluitione suæ hæreditatis in perpetuum etiam facile arceretur, in potestate nihilominus Pignoratitii Possessoris consistit noviter posita in quantum citra detrimentum, & ruinam aliorum occasione impignorationis præexistentium fieri poterit, auferri curare, suosque in usus convertere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Licet Pignoratitio possessori casum in eum, si Oppignorans Bona eadem alteri vel in majori Summa, vel ad plures Annos impignorare vellet, jus prælationis Contractu mediante obligatum sit, tamen si Bona ejusmodi perennaliter in alium transferat, & Fassionarius ad reluitionem talium Bonorum agat, acquisitionem ejus prætextu obligatæ prælationis sistere nequit, quia Contractus ad casum futuræ oppignorationis restrictus, jus prælationis ad aquirendam hæreditatem non tribuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Actor ex jure vicinitatis contra Pignoratitium Possessorem procedens, quamvis probet, post consummatum Contractum protestationem, & contradictionem per se interpositam fuisse, quin imo si etiam doceat, quod nondum consummata venditione, protestationem interposuerit, taliterque jus sibi qua vicino competens, sustentaverit, tamen nisi remonstrat se ad emptionem cum effectiva Summæ illius quam Emptor promittebat oblatione ingressisse, Emptorem in possessorio constitutum jure vicinitatis excutere nequit, cum Titulus 60. 1^{mæ} Vicinis jus prælationis ea ratione tribuat, si ante consummatam venditionem se declarent, & eandem Summam, quam alter obtulit, effective deponere velint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.) Si Pignoratitius Possessor integram Summam Bonis inhærentem occasione præmissæ erga se Admonitionis levet,

remis-

remissionem tamen oppignorati Boni in parte diferat, aut plane negligat, tum ob prætenſive dubium Pignoratitii Contractus reſpectu ejusdem particulæ intellectum, tum vero quod Familia ejus reſpectu attactæ portionis jam a longo tempore prætenſionem formet, tunc eodem ipſo Proceſſu, quo remiſſio ejusmodi particulæ Bonorum decernitur, una etiam fructus non remiſſæ Portionis a tempore levatæ inhærentis Summæ Actori adjudicantur; quia levata integrali inhærente Summa, jam poſſeſſorium Boni ad illum pertinet, qui Summas renumeravit, fructus vero legitimo Poſſeſſori, adeoque illi, qui pro legali per renumeratorem inveſtitæ Summæ reputatur, cedunt. *Utræque Tabula in hac quæſtione Juris.*

(Dec. 29.) In Fundamentali Proceſſu per Contumaciam, five neglectam deſſenſam in amiſſione Summæ convictus, ſi beneficio Novi Cauſam reſuſcitet, ſufficientemque intermiſſæ deſſenſæ rationem reddat, tunc Summarum abjudicatis ejusmodi Bonis pignoratitiis legitime inveſtitarum adjudicationem obtinet, quia beneficio Novi jam Incattus ad ſtatum illum deſſenſæ reponitur, qui ipſi occasione prioris Litis competiſſet. *Utræque Tabula.*

(Dec. 30.) Si pro Bonis Pignori locatis Aurei, vel Talleri fuerunt depoſiti, & Literis Pignoratitiis hæc conditio inſerta ſit, ut occasione reluitionis iterum Aurei, vel Talleri in ſpecie renumerentur, tunc licet tempore illo, quo impignoratio facta eſt, valor Aureorum ſubſtiterit in florenis tribus, Tallerorum vero in Groſſis triginta, ſi attamen tempore reluitionis valor Aureorum jam aſcendit ad florenos quatuor, Tallerorum vero ad florenos duos, Pignoratitius Poſſeſſor non tenetur loco unius Aurei tres florenos, loco Talleri vero triginta Groſſos acceptare, ſed poteſt prætenſere, ut in conformitate Literarum Pignoratitiarum ſibi Aurei, & Talleri in ſpecie deponantur, quia pacta paciſcentibus Legem ponunt; præterea quemadmodum in caſu illo, quo valor Aureorum poſt impignorationem infra florenos tres decreviſſet, eo non obſtante Poſſeſſor Pignoratitius occasione reluitionis cum damno ſuo Aureos in ſpecie levare deberet, ita a convertibili eidem negari nequit, ut valore Monetæ medio tempore elevato, ſtipulatam Monetam in ſpecie repetere, taliterque lucro felicitate temporum pro ſe enato, frui poſſit, quamprimum etenim Partes non ſecundum valorem, ſed ſecundum ſpeciem Monetæ pactarunt, jam in lucrum, vel damnum ex publica diſpoſitione emergibile, conſenſiſſe videntur. *Utræque Tabula.*

(Dec. 31.) Quodſi Colonus in Pignore exiſtens, ex appertinentiis Seſſionalibus quempiam fundum abalienet, & Poſſeſſor Pignoratitius talismodi fundum reluat, Hæreditarius non tenetur illi Summam eatenus erogatam compenſare, cum enim Ruſticus in Bonis Domini ſui præter mercedem laboris nihil habeat, atque adeo fundos ſuos Seſſionales invito Domino onerare non poſſit, hinc caſu in præmiſſo Poſſeſſor Pignoratitius Summam inveſtitam incaute depoſuit, per conſequens, ſi exinde aliquod damnum ſentit, id culpæ ſuæ imputandum habet. *Utræque Tabula.*

(Dec. 32.) Quando in Literis Pignoratitiis exponitur, quod per Pignus recipientem depoſiti ſint Talleri abſque ullo additamento

an fuerint Imperiales, vel alterius fortis, tunc unus Tallerus solet reduci ad unum florenum Rhenensem & 50. denarios. *Utraque Tabula.*

(Dec. 33.) Si Pignore in certa Summa pro una Persona celebrato, subsequenter Bonum Pignoratitium ad diversos Possessores devolvatur, tunc occasione reluitionis Summa pignoratitia inter Possessores a proportione actualis possessorii distribui solet, quia etiam naturali æquitati congruit, ut qui Hæreditario plus ex Bono restituit, etiam ex Summa inhærente plus tollat, qui autem minus resignat, etiam minorem Summam percipiat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Dum in Literis Pignoratitiis hoc exponitur, quod Pignus recipiens deposuerit florenos, absque expressione an Rhenenses, vel Hungaricales fuerint, tunc spectandus est usus illarum partium, quibus Bona pignoratitia adjacent, & quales floreni ibi communiter usuantur, ad tales reducenda est Summa Pignoratitia. *Utraque Tabula.*

(Dec. 35.) Si una Litera, & una Summa plura Bona colligata, & pignori locata sint, & Bona illa per plures possideantur, Actor vero tantum unum, alterumve Bonum in Actionem deducat, tunc ad hoc, ut resciri possit, quantum uni, vel alteri Bono a proportione inhæreat, Actori imponi solet, ut omnes talismodi colligati Pignoris Possessores in consortium Litis evocet, secus enim Possessoribus injuria inferretur, si sine illis de illis repartitio Summæ pignoratitiæ perageretur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 36.) Quod si vero Actor ad prævertenda dispendia in Processu declaret, quod Incatto tametsi dumtaxat aliquam Bonorum partem possidenti, totam Investituram etiam reliquis colligatis Bonis incumbentem deponere velit, tunc ad evocandos residuos Possessores stringi non potest; quia in præmissis circumstantiis jam cessat ratio appropportionandæ Summæ propter quam iidem Possessores citari, & audiri debuissent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 37.) Tametsi cumulatae Actiones in Jure locum non habeant, si nihilominus Actio principaliter instituat ad reluitionem Pignorum in diversis Comitatus existentium, accessorialiter vero ad invalidationem Conditionum illegalium, quibus eadem Bona nefors involuta sunt, talis Actio subsistit, quia præmissi duo Actionis tituli tam ratione objecti, quam vero ratione finis non sunt incompatibiles, quin imo ad eundem finem, resolutionem videlicet Pignoris tendunt, adeoque nihil obstat, quominus in unam Actionem assummi possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 38.) Si Possessor Pignoratitius in Bonis per se titulo pignoris possessis authore Judice proportionem inducat, Proprietarius tenetur illi occasione reluitionis expensas in talismodi Processum erogatas, refundere; tametsi enim per similem proportionem nefors redditus Bonorum aucti non sint, sufficit tamen quod eadem Bona ad legalem ordinem, & regularem possessorii statum redacta habeantur. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(XVIII.)

Novæ Divisionis.

(Dec. 1.) Si Testator universa Bona sua Avita, & acquisita in unam Massam redigat, & ex tali Massa Prolibus pro commoditate cujusvis Testamentaliter certas portiones deputet, ea conditione, ut si quæ Prolium dispositione eatenus facta, non contentaretur, & ex Avitis portionem sibi de lege competentem excipere vellet, casu in eo, unicuique illud, quod per sequestrationem Avitorum ex rata Testamentaria decesserit, ex acquisitis compensetur, Proles autem in conformitate Testamenti Paterni Portionem sibi ordinatam apprehendant, subsequenter nihilominus una ex illis Processum ad Novam divisionem suscitet, casu in hoc nova Divisio non decernitur, verum Actor intuitu obtinendæ adjustmentis, ad suam competentiam, seu ad implementum Testamenti Paterni relegatur, cum enim Massa Bonorum dividendorum ex Avitis, & acquisitis constet; quoad acquisita vero dispositio hominis alteret dispositionem Legis, idcirco eousque donec Testamentum eatenus invalidetur, æqualis ex Lege divisio decerni nequit. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si sub prætextu Novæ Divisionis aliæ diversi generis prætensiones in Actionem deducantur, vel vero Actio ita confusa sit, ut nec sciri possit, qualisnam Divisio alterari petatur, talis actio condescendere solet, tum quod cumulatae Actiones non admittantur, tum vero quod Actio debeat esse ita clara, & determinata, ut Judex ex illa congruum Judicium ferre possit. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Nova Divisio essentialiter præsupponit læsionem in prima Divisione interventam, per consequens si prima Divisio in conformitate Testamenti per primum Bonorum Actionalium Acquisitorem conditi, peracta sit, tali in casu Nova Divisio non habet locum, quia ubi Successio ex libero Testatoris arbitrio dependet, & divisio ad mentem illius peragitur, ibi nulla læsio subversari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Tametsi Articuli 54. 1655. & 36. 1729. admittant, ut intra Annos Præscriptionis non obstante accorda, aut vinculo ad Rectificationem, vel Novam Divisionem procedi possit, si nihilominus exempli causa adhuc inter Avos Partium Divisionalis accomodatio facta est, Filii vero illorum eandem confirmarunt, & doceri non possit, quod unus Fratrum cæteris potentior evadens, post talismodi accomodationem ex portione alterius Fratris quidpiam violenter abstraxerit, Nepotibus ad Novam Divisionem Actio non conceditur, quia casus iste directe cadit sub dispositionem Titulorum 45. & 46. 1^{mæ} in similibus circumstantiis alterationem primitivæ Divisionis non admittentium, quos Titulos etiam præcitatus Articulus 36. eatenus confirmat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Ad Processum Novæ Divisionis debent omnes illi evocari, qui ad primam Divisionem concurrerunt, quin imo si Bona Actionalia dumtaxat ad Sexum Masculinum regulata sint, licet uno Fratrum deficiente, Vidua illius tantum jure Viduali Bonis Maritalibus immanferit, tamen ad Processum Novæ Divisionis

etiam illa citari debet, quia talis Actio est rei persecutoria, atque adeo omnes substrati Actionalis Possessores ferit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si inter Vitricum, & Privignos circa prætenfiones ab utrinque habitas, accomodatio fiat, subsequenter vero Privigni se per ejusmodi accomodationem læsos esse quærulantes contra Vitricum Processum ad Novam Divisionem instituant, talis Actio condescendit, quia prærecensitæ Personæ censentur pro Extraneis, adeoque remedium læsionis per alterutram Partem prætenfæ, ad Processum Novæ Divisionis soli Condivisionali Sanguini suffragantis, non pertinet. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Si duo, vel plures Extranei in Bonis per se coimpe-tratis Divisionem ineant, & una, alterave Partium se per talismodi Divisionem læsam esse reputans, subsequenter ad Novam Divisionem procedat, tale Institutum condescendere solet, quia ut immediate præmissum est, Processus Novæ Divisionis præcise in beneficium illorum, qui ex communione Sanguinis Divisionem ineunt, per Leges introductus est. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Actio ad Novam Divisionem in rebus pure Mobilibus non admittitur, quia causæ Novarum Divisionum per Leges pure ad Bona, Juraque Possessionaria restrictæ sunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 9.) Illa, quæ Condivisionales ante, vel extra primam Divisionem in Complationem prætenfionum sibi invicem cedunt, aut quæ ex prima Divisione penitus exmissa sunt, sub Actionem, & Institutum Novæ Divisionis pertrahi non possunt; quia Nova Divisio tendit ad primam Divisionem in ipsis substantialibus alterandam, adeoque talia, quæ extra primam acta, vel eandem ingressa non sunt, pro objecto Novæ Divisionis assummi non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Soror contra Fratrem suum ad obtinendam in Bonis Paterno Aviticis Juris æqualitatem procedat, postea vero ex dubio Litis eventu per aversionem pro certa Summa pecunia-ria cum illo tranfigat, totumque Jus suum, quod sperandum haberet, in eundem transferat, subsequenter porro ad Novam Divisionem procedat, tale Institutum condescendere solet; cum enim Sexus Fæmineus primo ad consequendam Juris æqualitatem Processum moverit, & nonnisi hac evicta accessum ad primam Divisionem habere potuisset, idcirco Transactio illa non sapit primam Divisionem, der consequens, nec Novam Divisionem recipit. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Dum Nova Divisio decernitur, pretium ædificiorum a tempore primæ Divisionis per alterutrum Condividentium exstructorum occasione Executionis eruendum, non secus, & Merces laboris in Terras extirpatitias impensi, præterea Meliorationes, & Impopulationes, in quantum sive sumptibus, seu vero per concessos libertationis Annos cum dispendio proventuum actualis Possessoris procuratæ sunt, ac demum fatigia, & expensæ in Metales, aut alios Processus, vel alias etiam in defensionem Jurium communium erogatæ per Judicium conscientiose limitandæ, compensari, & adjustari solent, quia familia cedunt in commune Condividentium emolumentum. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.)

(Dec. 12.) Si Parentes pro antevertendis inter Proles suas dis-
fidiis, vita comite Portionem Filiæ suæ excindant, hæc vero ejus-
modi portionem acceptando, semet sub vinculo obliget, quod
nec viventibus, nec demortuis Parentibus titulo successione quid-
piam amplius prætere vellet, eo tamen non obstante adhuc
viventibus illis contra Fratres suos Processum ad Novam Divisio-
nem suscitet, Actoratus illius condescendere solet, quemadmo-
dum enim viventis nulla est Successio, & Proles Parentes suos ex-
tra casus Lege definitos, ad ineundam Divisionem cogere non pos-
sunt, ita nec Divisionem per eosdem ex pura benevolentia factam
vita illorum comite alterandi facultatem habent. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Si in immediate præmissis, vel alio confimili casu,
ubi Actoratus Prolium propter superstites Parentes condescendit,
paulo post condescensum Actoratum Parentes moriantur, taliter-
que remoto Sententiæ obice, Actor Incattos ad continuationem
Processus citari faciat, in tali casu Institutum condescendit; quia
Processus per condescensionem Actoratus terminatus, continuatio-
nem non recipit. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Quodsi Actor in Processu Novæ Divisionis accesso-
rialiter etiam aliquos minus substantiales errores, qui seu occasio-
ne conscriptionis, seu vero occasione primæ Divisionis contige-
runt, emendari, & suppleri postulet, eatenus ad suam competen-
tiam relegari solet; quia correctio talismodi errorum de recto or-
dine pertinet ad rectificationem Divisionis, hæc autem pro ratio-
ne substrati Comitatus, vel Tabulis Districtualibus dijudicanda
competit. *Tabula Regia.*

(Dec. 15.) Si alteruter Condidendum ideo ad Novam Divisio-
nem procedat, quod eidem certa Bona Avitica, quæ ex indultu
communis Patris ante primam Divisionem ab Extraneis revindica-
vit, occasione præmissæ Divisionis per reliquos Condidentes erga
oblationem Investiturarum in portionem imputata sint, Actoratus
ejusdem condescendere solet; cum enim ejusmodi Bona sub liberam
Parentum dispositionem non cadant, per consequens a communi
Massa abstrahi non possint, hinc utique per subsequam imputa-
tionem nulla Actori injuria facta est. *Tabula Regia.*

(Dec. 16.) In Causis Novarum Divisionum tenentur Partes I. to-
talem Actionatam Mobilem, & Immobilem substantiam, non secus,
& universas Literas talismodi substantiam concernentes sub Jura-
mento revelare, ad cujusmodi revelationem non tantum ipsi Con-
divisionales, sed etiam Tutor, vel Curator unius, alteriusve Condi-
dientis, qui Bona, Juraque, & Literas Familiæ tractavit obli-
gatur, quia sine præmissis adminiculis constitutum Massæ Divi-
sionalis erui non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) In Causa Novæ Divisionis Actoratus non concedi-
tur, antequam Actor læsionem sui in primitiva divisione factam
doceat, speciem vero læsionis constituit etiam illud, si alicui Con-
didendum nulla Bona Immobilia, vel nulla hæreditaria, sed me-
ra Pignora obtingant, reliqui autem in portionem suam vel in to-
to, vel potiori in parte hæreditaria accipiant, quia Pignorum cum
Hæreditatibus nulla est comparatio. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Nova Divisio non secus, quam erga redintegrationem Massæ Divisionalis in primitiva Divisione erutæ, decerni solet, nihilominus a præmissa redintegratione eximuntur talia Mobilia, quæ ipso usu, & tempore atteruntur, ac consumuntur, servandoque servari non possunt, quodsi vero una, alterave Partium in primitiva Divisione ex Mobilibus servando servabilibus plus accipit, quam quod eidem ex Nova Divisione obtingere deberet, ejusmodi superfluum ad pretium occasione Executionis currens, reduci, & eatenus a proportionem reliquis Condivisionalibus congrua adjustatio fieri debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 19.) Si post celebratam primam Divisionem status Bonorum Novæ Divisioni substernendorum, ita alteratus sit, ut Massa Divisionalis neque ex Juramentali Partium revelatione amplius cognosci possit, tunc Nova Divisio non admittitur; quia in præmissis circumstantiis læsio erui nequit, hac autem non probata, Actio ad Novam Divisionem non competit, cum videlicet ipsa læsio fundamentum Novæ Divisionis constituat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Si duo Condividentes pro commoditate sua Portiones adinvicem cambient, & unus pro portione alterius in loco A. sita, cedat, portionem sibi ex Bono quopiam communi in loco B. existente obvenire debentem, superaddita etiam pro adjustatione æquivalentiæ, certa Summa pecuniaria, subsequenter porro tertius condividens Actionem ad Novam Divisionem instituat, in hoc casu ejusmodi cambiata Portio erga proportionatam præscriptæ superadditæ Summæ bonificationem communi Massæ adjicitur, quia Cambium sapit naturam cambiati, quemadmodum itaque Cambium fuit commune, ita etiam Cambiatum debet esse tale, pecunia vero superaddita paritate Tituli 21. 1^{mæ} solum pro appendice reputatur, quæ substantiam rei non alterat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si Mater sive sub Viduitate sua, seu vero mutatis votis, sub secundo Matrimonio ex fructibus Bonorum tam priorum, quam vero primi Mariti acquisitiones faciat, & Mater talis Bona Prolium primi Matrimonii Paterna absque ullo Inventario apprehendens, nullasque post mutata vota desuper rationes Tutelares reddens, de similibus aquisitis in favorem alterutrius Prolii Testamentum condat, illud fundamento coacquisitionis tantum in medietate subsistere potest, altera vero medietas ad communem Massam reponi debet, quia in præmissis circumstantiis radix acquisitionis fuerunt etiam Bona communis Patris, & acquisitio facta est per Tutricem, quæ cum Bona Pupillorum Paterna absque ullo Inventario apprehenderit, nullasque de fructibus post mutata vota exinde perceptis, rationes reddiderit, idcirco præmissa medietas in compensationem quoque prædictorum fructuum cedere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) In Causis Novarum Divisionum ædificia, præsertim si ampla & sumptuosa sint, tum propter commoditatem, tum vero propter avertendum dispendium actuali Possessori relinquuntur, reliquis vero Condividentibus in conformitate Legis alter similis fundus pro ædificiis ponendis assignatur, præterea quemadmodum Meliorationum, ita etiam deteriorationis mutua compensatio fieri assolet, hæc

hæc enim sunt correlativa, correlativorum autem eadem est ratio-
Utraque Tabula.

(Dec. 23.) In Causis Novarum Divisionum fructus non solent
adjudicari, quilibet enim Condividentium portionem suam funda-
mento primitivæ divisionis, adeoque bona fide possidet, Possessor
autem bonæ fidei fructus facit suos. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Si Masculus a Fæmina Novam Divisionis petens,
pro læsione hoc alleget, quod Parens, vel Avus ejusdem certum
Avitum Familiæ Bonum, quod ipsemet in expositione coram Prin-
cipe facta a prima acquisitionis radice, ad Sexum dumtaxat Ma-
sculinum regulatum fuisse recognovit, titulo Novæ Donationis in-
active ad utrumque Sexum impetravit, per consequens vigore ta-
lismodi impetrationis subsequenter factas Boni ejusmodi inter
utrumque Sexum divisiones, Sexui Masculino nimium quantum læ-
sivas, & præjudiciosas esse subinferat, motivum hoc pro decernen-
da Nova Divisione non sufficit, cum enim Successores Impetrato-
ris per iteratas Boni inter utrumque Sexum divisiones præattactam
Novam Donationem ratificaverint, & Sexus Fæmineus virtute il-
lius actuale Bonorum possessorium adiverit, idcirco Instituto No-
væ Divisionis ex illis excludi non potest, verum Masculus ex inæ-
qualitate juris ad exclusionem Sexus Fæminei agere deberet. *Utra-
que Tabula.*

(Dec. 25.) Si Patre in favorem unius Proles Testamentum con-
dente, altera Proles, cui Testamento minus relictum fuit, respe-
ctu successionis suæ cum eadem coram Jure tranligat, & talismo-
di Transactionem tam per apprehensionem, & possessionem Bono-
rum sibi excisorum, quam vero novam rursus in privato initam
conventionem usuroboret, & ratificet, amplius ad Novam Divisio-
nem procedere non potest, quia similis Transactio non sapit simpli-
cem Divisionem, absque hac vero Nova Divisio decerni nequit. *Utra-
que Tabula.*

(Dec. 26.) Si Actor contra Viduam, qua Proles suæ Tutricem,
ad Novam Divisionem agat, interim Proles illa sub Lite moriatur,
& Vidua I. ad secunda vota transeat, Actor vero eodem Processu
per defectum præfatæ Proles successionem petat, in præmissis cir-
cumstantiis Institutum condescendere solet; quia per mortem Pro-
lis, & Viduæ ad secunda vota transitum, Tutela eo facto cessat,
adeoque Pars I. respectu substrati Actionalis pro Extranea reputa-
tur, prætensio vero successionalis ad distinctum Processum perti-
net. *Tabula Regia.*

(Dec. 27.) In Causis Novæ Divisionis fructus Bonorum usque
divisionem per unum ex Condividentibus percepti, pro Massa No-
væ Divisionis assummi non possunt, hoc enim non ad Novam Divi-
sionem, sed potius rectificationem Divisionis spectat; Nova nam-
que Divisio substantialem alterationem Portionum primitivæ Divi-
sionis pro objecto habet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(XIX.)

Ad obtinendam Successionem coram Tabula Regia.

(Dec. 1.) Illi, qui successionem prætendunt, Genealogiam suam, five gradualement ab illo, cujus jure successionem prætendunt, descendentiã probare debent, qui si contra deficientis Masculi Viduam agant, & Sanguinis cum deficiente nexum remonstrant, tunc Vidua universas Literas factum Maritalium Bonorum tangentes, sub Juramento revelare debet, quia eo ipso, quod ex dispositione Legis Sexus Masculinus Literarum Conservator fit, jam præsumitur Vidua cum defectu ejus Literas Bona eadem tangentes, sub suum redegisse possessorium. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Actione ad obtinendam antiquam Successionem erecta, si prætensæ Successioni Pars Incatta perennalem Fassionem per Actricis Lineam respectu eorundem Bonorum Lineæ suæ celebratam, opponat, quamvis Causæ invalidationis Fassionum ad Forum Tabulare pertineant, tamen Lite ad obtinendam Successionem mota invalidari non potest, quia Causæ Successionum natura sua distinctæ sunt ab invalidatoriis, adeoque prætensiones hæ naturæ suæ cohærente Actione quæri debent. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Licet Tituli 93. 94. 96. 97. 98. 104. & 105. Imæ ac reliquæ Leges de Dote dumtaxat Mulieribus competente, earumque excontentatione disponant, si tamen Contractu Matrimoniali mediante per Sponsam Sponso contra dos obligata est, & hæc post consummatum Matrimonium nullis directis Successoribus relictis Marito præmoriatur, tunc Condivisionales ejus, quos videlicet Successio Avitæ Substantiæ respicit, non alias Massam successionalem a Marito defunctæ, vel Legatariis ejus repetere possunt, quam excontentata contractualiter obligata Contra Dote; quia Successio cum onere vadit, Contractus vero stricti Juris sunt, & Successores etiam obligant, præcipue in ejusmodi casibus, dum Sorori Actorum legali Dote non contentæ ad Contractualem condescendere placuit; jam vero Marito quoque mutuum, & reciprocum in casum defectus Uxoris recompensam acceptare licuit, quæ quidem contractualis Uxoris Dos, velut in casu eo, ubi Maritum præmoris Consanguineorum cessisset, ita secuto contrario eventu ex identitate rationis Marito æque, ac iis, qui ipsum per Testamentum repræsentant, ex Contractu competit, acquisitionis nihilominus Uxoræ fundo superexistente Jura Successionalia Contra-Dote gravari nequeunt, cum onera præferenter ex aquisitis depurari debeant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Dum quis ad consequendam præmortuæ Genitricis suæ Successionem contra Patrem, aut Vitricum respectu Mobilium, & Immobilium durante Matrimonio comparatorum procedit, licet probet acquisitionibus Literis Nomen Genitricis suæ insertum esse, Successionem tamen in his, five vita durante Patris, aut Vitrici, five illo decedente, si de his secus disponderet, obtinere nequit, cum Maritus eo ipso pro principali acquiretore reputetur, quod Titulus 98. Imæ in Mobilibus etiam tunc solum Successionem Uxori defe-

déferat, si Maritus ab intestato decedat, Titulus vero 102. Imæ ejusmodi Nominis Uxorei acquisitionalibus Literis insertionem ad complacentiam dumtaxat Mariti referat, adeoque Uxor in acquisitionis jus dumtaxat a morte Mariti dependens obtinere soleat. *Utraque Tabula.*

(XX.)

Ad Actum Majoris Potentiæ.

(Dec. 1.) Si Filius perfectam ætatem attingens, nihilominus a Patre indivisus, adeoque a potestate Patria nondum emancipatus verberetur, & Pater injuriam hanc vindicaturus contra verberantem Nomine proprio ad Actum Majoris Potentiæ procedat, Actoratus ejusdem condescendere solet, quia talis Filius jam est litigandi capax, per consequens præmissam injuriam tamquam pure personalem Nomine proprio vindicare debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si Pater verberetur, & antequam eatenus Processum suscitet, moriatur, post fata vero ejusdem Filii propter talismodi verberationem ad Actum Majoris Potentiæ Actionem moveant, talis Actio condescendit; quia Actiones personales, & pœnales solum tunc, quando jam sub Litis pendentia constituuntur, & Pars I. Litem contestata fuit, in hæredes Actoris transire solent, secus autem cum persona injuriati extinguuntur. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Si Actor respectu cujuscumque Curia litigans, triumphet, & Executionem effective peragi faciat, Incatto Jus suum nullo Juridico remedio sustentante, nihilominus idem Incattus ultro quoque titulo precario possessorio Curia immaneat, subsequenter porro ad requisitionem Triumphantis ejusmodi possessorio cedere nollens, via facti ejiciatur, proptereaque Processum ad actum Majoris Potentiæ suscitet, talis Actio condescendere solet; cum enim in proprio nemo sit violentus, idcirco Proprietarius jure suo utens, precario Possessori injuriam fecisse non censetur. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Conventionato Servo etiam si Nobilis sit, ob verberationem non datur Actio contra Herum suum ad actum Majoris Potentiæ, quia per acceptationem conventionis statum, & obligationem servilem amplectendo, semet potestati Domini sui plene subjecit, adeoque in præmissis circumstantiis eidem prærogativæ Nobilitares non suffragantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Quando propter invasionem, & occupationem Curia Nobilitaris Processus ad actum Majoris Potentiæ movetur, tunc Incattus non solum in legali Actus Majoris Potentiæ pœna, sed etiam in restitutione occupatæ Curia, fructuum item medio tempore perceptorum, damnorumque occasione Executionis eruendorum, & expensarum refusione convinci solet, quin imo si defectus fundi apud Succumbentem subversetur, tunc Exequens authorisatur, ut etiam Personam illius Triumphanti assignare possit, quia ipsa naturalis æquitas exigit, ut spoliatus in integrum reponatur, & tales, qui sub fiducia illa, quod pauperes sint, adeoque nihil amittere possint, infontes divexant, iisdemque damna inferunt, etiam cum detentione Personarum suarum ad præstandam satisfactionem compellantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Talibus, quorum Nobilitas in loco illo, in quo degunt, ignota est, non solet concedi Actio ad actum Majoris Potentiæ, quia dispositio Legum de pœna actus Majoris Potentiæ sancitarum, ad illos dumtaxat, quorum Nobilitas publice constat, restricta est, & alioquin rationabiliter supponi nequit, ut patrator actus Actionalis semet tam gravi pœnæ innodare voluisset, si injuriati Nobilitas eidem constitisset. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Si in Processu ex binaria oppositione ad actum Majoris Potentiæ promotus, Processus oppositionalis deperditus sit, adeoque produci nequeat, tunc etiam si factum binariæ oppositionis ex Testimonialibus super attentata Executione elargitis eveniat, tamen pœna Actus Majoris Potentiæ dictari non potest; verum Processus Fundamentalis pro denuo intentanda latæ in Partibus Sententiæ Executione remitti solet, quia ex ratione deperditi Processus Oppositionalis legalitas, vel illegalitas interpositæ oppositionis cognosci, & dijudicari nequit, adeoque ad primordia regredendum est. *Tabula Regia.*

(Dec. 8.) Si quispiam alterum in usu, & possessorio Bonorum suorum via facti turbet, Possessor vero ejusmodi injustum aggressorem verberet, tali verberato non datur Actio ad actum Majoris Potentiæ, quia vim vi repellere Jure Naturæ concessum est, & legitimus Possessor in defensione Bonorum suorum constitutus, violentum Aggressorem tamquam in actu illicito versantem, sensu Tituli 22. 3^{tiæ} etiam cum notabili ejusdem incommodo, ex Bonis suis ejicere potest, idem obtinet a paritate rationis etiam in casu illo, quo aliquis Personam alterius sine justa causa aggreditur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Tametsi Leges solum veris Nobilibus Actionem ad actum Majoris Potentiæ tribuant, si nihilominus Viduam talem, quæ de se Nobilis quidem non est, verum indubitato Nobili nupsit, verberet, & Curiam Mariti ejusdem, cui jure Viduali immanfit, invadat, Actoratum illius ad infligendam Majoris Potentiæ pœnam assumptum impugnare non potest, quia Uxor sequitur conditionem Mariti, & Vidua Nomen Mariti sui gerens, Bonisque Maritalibus immanens repræsentat ipsum Maritum, quemadmodum itaque non obstante sua Ignobilitate jure repræsentationis Bona Mariti possidere, ita contra injustos aggressores eodem, quo Maritus Processu uti potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Si in Cauſa ex binaria oppositione ad actum Majoris Potentiæ promotus, Incattus sufficientem binariæ oppositionis rationem assignet, non tantum ab impetitione Actorea absolvitur, sed insuper Actor in refusione expensarum convinci solet; quem admodum enim in casu eo, quo Incattus in danda oppositionis ratione defecisset, sensu Articuli 31. 1681. in expensis convictus fuisset, ita a convertibili data sufficienti oppositionis ratione bonificationem expensarum de justo recipere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si Actor Ignobilis coram Magistratu Oppidano contra Personam Nobilem in eodem Oppido degentem ad acquisitionem rerum Mobilium procedat, & Incattus non obstante eo, quod

quod contra Judicatum exceperit, convincatur, postea vero semet binis vicibus opponat, proptereaque ad actum Majoris Potentiæ evocetur, in tali casu Incattus absolvi solet, cum enim sensu Articuli 93. 1647. Nobiles in Civitatibus, vel Oppidis degentes quoad Personam, & res Mobiles a jurisdictione Civili eximantur, & Comitatu subfint, hinc in prædeducto casu manifesta Judicatus incompetencia subversante, oppositio licite interponi potuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si Curia Regia Processum quempiam appellatum revideat, eundemque in nonnullis punctis pro uberiori enucleatione, & continuatione remittat, quin imo etiam modum procedendi præscribat, interim Judex primæ Instantiæ Partibus amplius accessum ad Processum non admittat, verum ea, quæ prævia inter illas concertatione adhuc in Processu decidi deberent, in Executione Summarie adjustare velit, proptereaque Incattus ad binariam oppositionem prolabatur, talis oppositio subsistit; quia in præmisso casu Pars I. sufficienter audita, & legali Juris ordine convicta non fuit, per consequens vi etiam defensionæ naturalis semet licite opponere potuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Partes sub decursu Litis inter se accordent, Judex vero ejusmodi accordæ ignarus, post illam in favorem Actoris Sententiam ferat, iste porro non obstante præmissa accorda penes talem Sententiam Executionem tentet, Incattus eatenus binaria oppositione utens nullo onere gravari potest, quia Partes per accordam a rigore Juris recesserunt, per consequens tam Sententia contra intentionem Partium subsequenter lata, quam vero vigore illius tentata Executio pro nullis reputari debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Quamvis Titulus 67. 2^{dæ} Articuli item 15. Mathiæ Decreti 6. & 56. Uladislai Decreti 1. inter quinque casus Majoris Potentiæ etiam occupationem Possessionum Nobilitarium, earumdemque appertinentiarum recenseant; nihilominus cujusvis minutæ particulæ ad Possessionem Nobilitarem pertinentis occupatio, non importat actum Majoris Potentiæ, quia ipse præcitatus Titulus 67. 2^{dæ} & Articulus 127. 1649. ejusmodi particularum occupationes ad actum Minoris Potentiæ referunt, per consequens prærecensitæ Leges secus conciliari non possunt, quamsi hoc statuatur, quod occupatio Possessionum, & appertinentiarum copulative, non verò Appertinentiarum disjunctive actum Majoris Potentiæ constituat, præsertim cum posterior Lex Novellaris Articulus videlicet 10. 1723. præmissos quinque casus recensens, ab appertinentiis simpliciter abstrahat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Ille, qui durante Diæta, particulam Bonorum cujuspiam Ablegati occupat, vel eidem damna infert sub prætextu violati salvi conductus, in pœna actus Majoris Potentiæ convinci non potest, tametsi enim Articulus 10. 1723. violatores salvi conductus præmissæ pœnæ subjiciat, cum nihilominus idem Articulus ut ex combinatione contextus ejusdem patet, solum violationem Personalem pro objecto habeat, alter vero Articulus 39. 1567. velut potissimum contra Officiales, & personas Militares conditus, ad propositum casum non deserviat, sed & alias tamquam invasionem Domuum, & Bonorum Nobilitarium vetans, ob improportionem

quoque inter delictum, & pœnam subversantem, ad quasvis minutas Bonorum particulas extendi non possit, idcirco in hac ambiguitate potius benigna interpretatione utendum est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Dum quispiam actum Majoris Potentiæ incurrit, vincitur quidem in amissione universorum Bonorum suorum Mobilium, & Immobilium, illorum simpliciter, horum vero communi æstimatione mediante redemptibiliter, sed talium dumtaxat, quæ ad propriam ejusdem portionem obtingunt, per consequens Jura, & portiones Uxoris, ac Prolium in universis Avitis, & aquis Mobilibus, ac Immobilibus in salvo reliquuntur, præterea vincitur etiam in Emenda Capitis 200. florenos faciente, verum hæc quoque Summa ex propria dumtaxat convicti portione deduci debet, si etenim juxta Articulum 9. 1723. etiam in casu Notæ infidelitatis universa Jura, & portiones Uxoris, ac Prolium in salvo manere debent, quanto magis id ipsum in actu Majoris Potentiæ observandum veniet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 17.) Si Triumphans non obstante eo, quod Succumbens occasione Executionis jam sufficientem fundum denominaverit, contra iteratas ejusdem protestationes cum Judice Exequente, sine Lege præscripto sufficienti Vicinorum, & Commetaneorum testimonio, Domum, & Aream Incatti semet pro renittente declarantis, sine peragenda Executionis ingredi tentet, & abinde verbera reportet, non habet Actionem ad actum Majoris Potentiæ; quia in similibus circumstantiis Succumbens in licito defensionis actu versans, violentis Partis A. ausibus etiam cum notabili ejusdem incommodo resistere impune potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) In Causis ex binaria oppositione ad actum Majoris Potentiæ promotis personalis Actoratus, seu Nobilitas, & litigandi activitas in quæstionem vocari non potest, præsertim si in Processu Fundamentali eatenus nulla difficultas posita fuit, quia per oppositionem principaliter læditur auctoritas Judicis, in ordine autem ad vindicandum auctoritatis Judiciariæ vilipendium perinde est, si Actor sit Nobilis, si non, & alioquin Articulus 34. 1729. in similibus Causis nihil aliud, quam edoctionem binariæ oppositionis requirit. *Tabula Regia.*

(Dec. 19.) Si in Processu Fundamentali Succumbens Executionem non turbet, verum talis se opponat, qui in Processu non egit, & oppositionem hanc Exequens Judex acceptet, subsequere porro ad dandam oppositionis rationem citatus, & per non venit convictus, Executioni rursus attentatæ non tantum ille, sed etiam Incattus in Fundamentali Processu succumbens, prior quidem quoad pœnas oppositionales, posterior autem quoad substratum primitivi Processus oppositionem adhibeat, neuter præmissorum binariæ oppositionis, & exinde dictandæ actus Majoris Potentiæ pœnæ obnoxius erit, Incattus Fundamentalis Processus ideo non, quia Executionem primo tentatam non impedivit, per consequens tantum semel oppositione usus est; alter vero ideo non, quia licet semet bis opposuerit, utraque tamen oppositio distinctum finem, & objectum habuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.)

(Dec. 20.) In Causis ex binaria oppositione ad actum Majoris Potentiæ promotis Actori triumphanti etiam expensæ adjudicari solent; si enim juxta Articulum 31. 1681. in casu simplicis oppositionis expensæ locum habent, quanto magis locum habebunt, dum binaria oppositio intercedit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si Privigni Novercam suam Bona illorum Materna indebite, & sine ullo juris titulo usurpantem sæpius amice requirant, ut ipsis ea Bona resignet, illa vero ejusmodi requisitione non curata, Bonis cedere nolit, proptereaque Privigni eandem licet reluctantem per homines suos ex Domo exportari, curru imponi, & aliorum transvehi curent, atque ita ex Bonis excludant, tale factum actum Majoris Potentiæ non importat, tum quod juxta Titulum 67. 1^{mæ} legitimi hæredes, & Successores Bona sua successionalia absque ullo Processu Juris, etiam propria auctoritate apprehendendi facultatem habeant, tum vero, quod actus in præviis circumstantiis ad Leges de actu Majoris Potentiæ conditas, reduci non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Si Judex Actorem coram se litigantem in pœna Calumniæ convincat, & Advocatum ejus Nobilitari prærogativa gaudentem usque effectivam Summæ convictitiæ persolutionem ad Arrestum poni curet, taliterque eundem via facti detineat, tunc si ejusmodi Advocatus ad pœnam actus Majoris Potentiæ contra detineri curantem procedat, esto se id vi officii tamquam procedens Judex fecisse prætextuet, ac ideo se ab onere Actionis immunem prætendat, tamen in pœna Actus Majoris Potentiæ convinci debet; quia præterquam quod Advocati detentio propter convictionem Principalis regulariter locum obtinere nequeat, actus ejusmodi ad Judicarium actum nullo titulo revocari potest, talis enim Lege vetitus actus nullum cum rebus ad officium Judicis pertinentibus nexum habet, igitur qua separatus culposus hominis, non Judicis actus considerari debet. *Utraque Tabula.*

(XXI.)

A d p œ n a m L a r v æ.

(Dec. 1.) Si Donatarius ex defectu alicujus Familiæ Bona impetrans, contra talem, qui Cognomen deficientis Familiæ sibi vendicat, ex Articulo 46. 1723. agat ad dictandam pœnam ideo, quod ad Nomen illius nonnullæ Testium fassiones collectæ sint, super eo, quod Parens, vel Avus ejus fuerit Frater Germanus Patris, vel Avi deficientis illius, ex cujus defectu Donatarius impetrationem fecit, esto Actor doceat illum etiam defecisse, ad quem nexus ejusmodi prætenditur, tamen si Incattus fidedigno testimonio probet, Inquisitiones illas absque scitu, & concursu suo peractas fuisse, seque ad impetrata ejusmodi Bona nullam prætensionem formare velle coram Judicio declaret, tunc ab impetitione Actoris absolvitur; nam præcitatus Articulus illum pœnæ subjicit, qui directe Larvam assumit, seque in Familiam alterius ingerere dolose attentavit, talis vero, qui ejusmodi Inquisitiones facto suo nullatenus procuravit, pro Larvam assumente, tanto vero minus pro dolose in alterius Familiam se ingerente reputari potest: sed alioquin cum

præcitatus Articulus directis illius ad cuius Familiam se quis dolose ingerere attentaret descendentibus Actionem tribuit, jam vero Donatarius jus deficientis impetrans Extraneus est, igitur hanc Sanguini competentem Actionem usurpare nequit. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Dum quis contra talem, qui Cognomen, & prædicatum Actoris sibi vendicat, ad sublationem usurpati Cognominis, & prædicati, una vero ad dictandam ex Articulo 46. 1723. poenam procedit, licet probet, quod Antenati sui prope a prima origine Cognomine, & prædicato illo continua serie usi, Incattorum vero Antenati interdum Cognomine sine prædicato, aliquando vero prædicatum sine Cognomine, quandoque Cognomen cum prædicato usurpaverint, adeoque ex hac usus difformitate eosdem pro Larvatis prætendat, si tamen Incattus antiquum Antenatorum suorum, esse pro ratione temporis, & possessorii Familiæ suæ alteratum, continuo tamen Boni ejusdem, unde prædicatum sumplerant, possessorio firmatum usum remonstrat, non solum ab impetitione Actoris absolvitur, sed & ejusmodi Actor in causatarum Litis expensarum refusione convincitur, quia eo ipso, quod adeo antiquus, & quidem cum possessorio conjunctus usus probetur, Pars I. ab omni assumptæ Larvæ suspitione immunis est, adeoque æquum est, ut Actor causatas sine fundamento expensas, tamquam temerarius alieni Nominis aggressor, refundat. *Utraque Tabula.*

(XXII.)

Ob non obtemperacionem Judiciariis Mandatis.

(Dec. 1.) Quoniam Judiciaria Mandata pro salutari Justitiæ administratione, & acceleratione, Causantiumque sublevamine per Leges constituta sunt, & iis, ac talibus, quæ per Ordinarios etiam Regni Judices, eorumque Magistros Protho-Notarius legitime expediuntur, adeoque, quæ in justis, & legalibus rationibus, ac motivis fundantur, inferiores Judices obtemperare debent; illi vero, qui ejusmodi Mandatis obtemperare renuunt, in Curiam Regiam evocati, si facti sui sufficientem, & legalem rationem assignare non possint, in poena Articulorum 78. 1563. 53. 1655. statuta convincendi veniunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si tamen Judex Mandatum legitimæ Superioritatis suæ, tanto autem magis Regiæ Majestatis ex legalibus rationibus contrarium præcipientis, obtineat, in poena legali convinci non poterit; sufficientem enim rationem non effectuat prioris Mandati assignat, cum se Regiæ Majestatis, aut legitimæ Superioritatis Mandato legitimat. *Tabula Regia.*

(XXIII.)

Ad dandam rationem Oppositionis, Reoccupationis.

(Dec. 1.) Si Judex per Insinuatorias suas, Executionem ad Possessionem A. præfigat, Incattus vero, cui denominatio fundi competit, oppositione quidem non utatur, nihilominus nec ibidem, nec alibi fundum pro Executione denominet, altera porro die Exequens cum Triumphante ad Possessionem B. in qua Succumbens æque posses-

possessionatus est, divertat, ibidemque citra ullam novam insinuationem erga denominationem Triumphantis Executionem peragat, subsequenter autem Succumbens Bona modo prævio in Executionem sumpta reoccupet, ad legitimandam talismadi reoccupationem non sufficit ratio illa, quod præmissa Executio absque nova Insinuatione, adeoque prætenfive clancularie peracta fuerit; sufficit enim quod Terminus Executionis semel legaliter præfixus, & Succumbenti debite insinuatus exstiterit, cum proinde eotum fundum denominare neglexerit, idcirco Exequens nihil aliud facere poterat, quam beneficium denominationis fundi Triumphanti deferre, & erga denominationem illius Executionem effectui mancipare.

Utraque Tabula in hac questione Juris.

(Dec. 2.) Si Actor in Processu Fundamentalibus triumphans, fundos sibi adjudicatos Incatto semet non opponente, in Executionem summi faciat, subsequenter vero Incattus ab ejusmodi fundis executis via facti Terragium desumat, & propterea ad dandam Reoccupationis rationem citetur, tale Institutum non subsistit, quia Incattus fundos executos non reoccupavit, vindictio autem violentæ Terragii desumptionis ad distinctum Processum pertinet.

Utraque Tabula.

(Dec. 3.) Si Creditor contra duos Con-Debitores Processum moveat, & quoad unum Actio ex quopiam defectu condescendat, altero in Processu perseverante, subsequenter porro defectu illo penes aliam Actionem, & novam illius cujus intuitu condescensio intercessit Citationem resanato, & ambobus Incattis Deliberative ad agendum monitis, sed tantum tergiversantibus, tandem uterque in rata oneris semet ferientis, convincatur, ille demum respectu cujus Actio non condescendit oppositione utatur, eandemque per hoc legitimare satagat, quod post condescensionem Actionis respectu alterius Co-Incatti pronunciatam, amplius citatus non fuerit, talis ratio non subsistit, sufficit enim quod jam ab initio in Processu steterit, per Judicium nulla ratione ex Processu exmissus sit, Actio præcite quoad alterum Incattum condescenderit, adeoque solum ille de novo citari debuerit, ac demum post novam quoque hujus citationem opponens ad agendum monitus nihil egerit.

Utraque Tabula in hac questione Juris.

(Dec. 4.) Si Incatto per Forum Subalternum Juramentum Litis decisorium adjudicetur, ille vero ante, & citra depositionem ejusdem appellet, non admitta dein appellata, oppositione utatur, etiam si in Foris Superrevisoriis Juramentum applacidatum esse adinveniat, tamen oppositio subsistit; quia hoc & id utrum Juramentum competenter, vel incompetenter adjudicatum sit, Foris Revisoriis dijudicandum competit, per consequens Appellata ante, & citra depositionem illius semper admitti debet, nihilominus in præmissis circumstantiis, si in Foris Revisoriis Juramentum competenter adjudicatum esse adinveniat, Incatto ratione ex præmissa ab oneribus oppositionalibus absoluto, Processus Fundamentalibus, pro depositione Juramenti, & continuatione ad Partes remitti solet.

Utraque Tabula.

(Dec. 5.) Si Judex Exequens Executionem ita præcipitet, ut Succumbens tantum circa illud tempus, quo jam Executio peragi deberet, Infiuatorias percipiat, taliterque modum, & tempus congruas circa Executionem dispositiones faciendi non habens, semet opponat, talis oppositio acceptatur, quia ad valorem Executionis de Lege, & Praxi requiritur, ut Terminus Executionalis Succumbenti tempestive infinuatur, per consequens hoc prætermisso, Executio suapte nulla evadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si in Causa Liquidi Debiti Succumbens paratam pecuniam præ manibus cujuscumque depositam pro fundo Executionis assignet, Triumphans vero ejusmodi denominatione non contentus, Executione ibi nec tentata, Bona immobilia Debitoris exequi velit, tunc Succumbens semet impune opponit, tum quod Articulus 31. 1659. Executiones non nisi in defectu paratarum pecuniarum ex Bonis immobilibus peragendas esse innuat, tum vero quod alter Articulus 32. 1723. beneficium denominationis fundi Succumbentibus deferat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Judex Pedaneus ad discussionem, vel sepositionem conditionum talis Contractus, qui de Bonis quidem communibus, & indivisis initus est, sed ante conditum Articulum 47. 1723. emanavit, semet immittat, Pars Succumbens potest se licite opponere, quia præcitatus Articulus Contractus antea celebratos, in salvo relinquit, per consequens Judex Pedaneus præscripto etiam Articulorum 28. 1715. & 31. 1723. de illo, vel contra illum judicandi activitatem non habuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) In Processu ad dandam Reoccupationis rationem promotum, non sufficit Actori hoc docere, quod Bonum Actionale olim sibi adjudicatum fuerit, modo vero per Incattum possideatur, sed probari debet, quod Executio in eodem Bono effective, & quidem modo, ac forma Lege præscriptis, peracta sit, nam si Executio effective peracta non est, tunc Reoccupatio fieri non potuit, si vero ad præscriptum Legis peracta non est, Reoccupatio pœnalis non evadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Incattus in Fundamentali Processu contra Judicatum excipiat, verum exceptione seposita, subsequenter in Merito vincatur, & non appellet, verum Executionem oppositione impediatur, in Processu vero Oppositionali ad legitimandum oppositionis factum, illas ipsas rationes adducat, quas in Processu Fundamentali contra Judicatum obvertit, licet tales rationes alias nefors attendi deberent, in præmissis tamen circumstantiis nullam reflexionem subeunt, quia opponens appellatam in Processu Fundamentali negligendo, in Judicatum consensisse censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Licet quispiam semet Executioni Sententiæ per Forum Revisorium latae, opponat, tamen non coram illo, verum coram Judice primæ Instantiæ ad dandam Oppositionis rationem conveniri debet; quia Forum Revisorium Sententiam Judicis primæ Instantiæ revidendo, quasi vices illius in judicando subit, per consequens quemadmodum Executio Sententiæ per Forum Revisorium latae,

latae, ita etiam vindicatio turbatae eatenus Executionis ad officium primae Instantiae Judicis pertinet. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Si Plenipotentarius, qua talis, non vero Nomine proprio semet opponat, tunc non ille, sed Principalis ejus ad dandam Oppositionis rationem citandus est, quia Plenipotentarius repraesentat personam Plenipotentiantis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Cum in Processu Oppositionali productio Processus Fundamentalibus de recepta praxi Judiciaria Parti Triumphanti incumbat, idcirco si erga postulatum Partis I. non producat, verum eadem Pars I. in pœnis Oppositionalibus vincatur, & deinde Processus via Appellatae ad Curiam Regiam deducatur, tunc Tabula Regia Judicium in Merito suspendere, & Processum Oppositionalem sine praemissae productionis, & ulterioris continuationis praevia Re-exequendorum, re-executione ad Partes remittere solet, quia Causa Oppositionalis eousque pro terminata, adeoque in Merito revisibili censi non potest, donec ea, quae ad integritatem illius pertinent, & quidem per illum, cui ex Lege, vel Praxi incumbit, non exhibeantur. *Tabula Regia.*

(Dec. 13.) Si quispiam Principis, aut Reipublicae causa in exteris oris constitutus, ad tam brevem, & incompetentem Terminum citetur, ut congruas circa Comparitionem, & deffensam dispositiones facere non possit, talis, latae contra se ex Contumacia Sententiae semet licite opponere potest, quia in Jure perinde est aliquem non citare, vel ad talem incompetentem Terminum citare. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si manifesta Judicis in Partibus procedentis interestentia ex actis Processualibus eveniat, tunc Oppositio contra Sententiam illius interposita subsistit, quia in tali casu Judicatus incompetencia subversatur, haec autem de recepta Praxi pro ratione Oppositionis sufficit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Succumbens sub certis conditionibus Executionem admittat, Triumphans vero illas conditiones amplectatur, interim peracta Executione, conditiones non impleat, tunc Succumbens Bona executata impune reoccupat; quia non impletis conditionibus pacta quoque in vanum recidunt, adeoque omnia ad Statum ante Executionalem redire debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Si Actor Processum non prosequatur, Incattus vero eundem ad continuationem Litis evocet, taliterque semet Actorem efficiendo Causam prosequatur, & contra Partem suam convinci faciat, illa se impune opponere potest, quia tale Institutum caret Actione, citatio autem, absque Actione subsistere nequit, in Jure vero perinde est, seu Citatio simpliciter omittatur, seu suapte nulla fit. *Tabula Regia.*

(Dec. 17.) Oppositio, vel Reoccupatio in Fundis Civilibus ex Statutis Sedis Tavernicalis simpliciter non admittitur, & ideo eatenus nulla pœna dicitur, sed tantum Triumphans cum refusione expensarum in possessorium introducit. *Utraque Tabula.*

(XXIV.)

Ad Renovationem Sententiarum Curialium.

(Dec. 1.) Cum Sententiæ Judiciariæ intra Anni revolutionem in executionem summi neglectæ renovari, ac ita defectus, qui ex intermissa effectuatione evenit, sufferri solet, hinc si Actor sine Renovationis Sententiæ, procurandæque Executionis Litem contra illos, qui in priori Processu convicti sunt, Successoresque ejus suscitet, tunc Sententia in priori Processu lata contra illos dumtaxat, qui ad illam Litem citati, ibidemque convicti sunt, Successoresque eorum in quantum in possessorio adjudicatorum Bonorum constituuntur, renovari, & nova pro Executione exmissio decerni solet, quia ad hoc ut Sententia contra illos, qui intermedio tempore possessorium Boni illius obtinuerunt, ferri valeat, sua forma Citatio præmitti debet; cum nemo Nobilium, nisi legitime citatus, & Juris ordine convictus, in Persona, vel Bonis damnificari valeat. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Si tamen is, pro quo adjudicatio facta est, actualem Possessorem, qui a tempore latæ in priori Processu Sententiæ possessorium adjudicatorum Bonorum adiit, evocari curet, & ita renovationem Sententiæ petat; tunc illa renovatur, & novus Possessor convincitur, Executioque decernitur, quia ita per suam debitam formam Citationem jam dispositio Legis adimpletur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si is ad renovationem Sententiæ, adeoque procurandam Executionem agat, qui ad Processum per Fratrem suum motum se ingressit, licet Ingressio illius stabilita fuerit, si tamen jam pro Fratre ejus, qui videlicet Actor erat, respectu totius substrati Executio tentata quidem, sed respectu totius substrati Repulsione impedita est, tunc Institutum ad renovationem Sententiæ erectum condescendit; quia Ingerens se cum Actore connectens, in Jure pro una, eademque Persona reputatur, adeoque Executione jam pro Actore principali respectu totius substrati tentata, impedimentum illud, quod Incattus per Repulsionem posuit, sua legali via sufferri debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Esto is, qui in Processu Novæ Divisionis triumphavit, ad renovationem Sententiæ, adeoque ad procurandam Executionem, sive effectuationem Novæ Divisionis agat, tamen si Incattus probare possit, quod tam Bona illa, quæ occasione primæ Divisionis eidem obtigerant, quam, & quæ ex Nova Divisione sperare poterat, jam in Extraneum transtulerit, tunc Actoratus ejus condescendit, quia jam se beneficio illo, quod ipsi ex Sententia competeabat, per factam in alium translationem privavit. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Sententiæ, quæ intra Annum executioni non mancipantur, expirant quidem, nihilominus non tantum per Novam Citationem, sed etiam per Mandatum Renovatorio Executionale resuscitari, & animari possunt, cum enim tali Sententiæ nihil amplius addi, vel demi possit, idcirco sufficit, si per Mandatum vigor illius resuscitetur, & Succumbenti Executio intimetur. *Utraque Tabula.*

(XXV.)

(XXV.)

Ad Correctionem Executionis.

(Dec. 1.) Si Partes Collitigantes post peractam Executionem facto proprio substratum Processuale ita alterent, ut in statu latae per Judicium Sententiæ non permaneat, eo tamen non obstante, ad correctionem Executionis procedant, tale Institutum concedit, quia Executio deberet conformari Sententiis, hoc autem propter alterationem negotii facto Partium inductam, amplius fieri non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 2.) Processu Executionis correctorio talia corrigi, vel sufferri non possunt, quæ Incattus non fundamento Executionis, verum facto proprio, adeoque extra, vel ultra sensum Executionum usurpavit; Nam Processus Correctorius factum Judicarium pro objecto habet, adeoque ex indole sua ultra correctionem errorum per ipsum Exequentem in Executione commissorum, extendi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis ad correctionem Executionis procedens doceat, quod in Fundamentali Processu non omne id, quod ipsi competiisset adjudicatum sit, exempli causa: quod a Summa adjudicata Interfusurium quoque ipsum concernat, tamen Processu ad correctionem Executionis moto, illud, quod in Fundamentali Processu adjudicatum non est, acquirere nullatenus potest, quia Exequens Sententiam ad Literam in executionem summere debet; jam vero eo ipso, quod respectu Interfusurii adjudicatio facta non sit, error Executionis doceri non potest, per consequens via Novi ad suppleendum prioris Processus defectum agere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si actualis Bonorum Possessor inscriptos per priores Possessores in iisdem Bonis fundos cum appertinentiis redimat, tunc si Bona eadem occasione Novæ Divisionis alteri Fratri obtingant, illa dumtaxat, ædificia, quæ integra, adeoque desolata non sunt, æstimari debent, cum enim desolata pro inutilibus reputentur, & supportatio ex his promanantis damni illum, qui desolari permisit, maneat, bonificatio prætendi nequit. *Utraque Tabula.*

(XXVI.)

Ad Sublationem Beneficiorum Curialium.

(Dec. 1.) In casu illo, quo Dominus Terrestris ad sublationem Educilli per Nobiles in Bonis suis degentes, usurpati, procedit, non sufficit Incatto Fassionem reliqua inter etiam super jure Educillandi sibi celebratam, producere, sed insuper Jus Educillare Fatientis legitimare debet, cum enim juxta Articulum 35. 1598. beneficium Educilli præcise illis Curiis competat, quæ ab antiquo peculiaribus superinde Privilegiis dotatae sunt, idcirco quemadmodum Fatens, si adhuc in possessorio esset, ejusmodi Privilegium producere, taliterque Jus Educillandi legitimare teneretur, ita id ipsum præstare debet Fassionarius, tamquam Jura ejusdem representans. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet juxta Articulum 35. 1598. beneficium Educilli Curialis peculiari superinde Privilegio dotatis, competat, nihilominus Nova Donatio superinde elargita non sufficit, nisi Donatarius usum Educilli ante ejusmodi Novam Donationem præhabuit, legitime, quia anima Novæ Donationis est præhabitus usus, hoc proinde non edocto suapte inefficax evadit, atque adeo nullum effectum producere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Cum præcitatus Articulus 35. 1598. præcise educillationem Vini pro objecto habeat, idcirco usus Braxatorii, vel etiam vasatim fienda Vinorum distractio, sub sensum ejusdem Legis non cadit, quia omnia Jura Possessori favent, & odia potius restringi, quam ampliari convenit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Dominis Terrestribus ad sublationem Macelli in Bonis suis per Curialistas usurpati, Actio non competit, quia eatenus nulla positiva Lex existat, nam Articulus 35. 1598. præcise Educilla pro objecto habet, Actio autem sine Lege subsistere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Oppidis Privilegiatis, Educillum, Macellum, Venatio, Piscatio, Aucupium, aliaque idgenus Jura Regalia non competunt, nisi expresse Privilegiis inserta sint, & penes talismodi Privilegia in usu eorundem beneficiorum præexisterint, quia similia beneficia tamquam immediate ad eminentius Jus Terrestrale pertinentia, a Dominis Terrestribus abstrahi non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

(S E C T I O S E C U N D A .)

De Actionibus ad Tabulas Districtuales pertinentibus.

(I .)

Divisionis, Successionis, Rectificationis in uno, vel diversis Comitibus.

(Dec. 1.) Si Pater Bonum quodpiam partim pro fidelibus Servitiis, partim vero pro Summa pecuniaria per se acquisita, Fessione mediante ad liberam dispositionem comparet, subsequenter vero Fessione illi Consensum Regium, cum annexo Jure Regio superinducatur, & in consensu illo Successio ad Sexum dumtaxat Masculinum regulatur, tunc filiæ ejusdem nec ex Summa illa, quæ modo prævio in comparationem Boni conversa est, portiones prætere possunt; nam quilibet de acquisitis suis liberam disponendi facultatem habet, cum proinde ipsemet Pater acquistor Consensum Regium Fessione superinducens, Bona ita regulata habere voluerit, ut Sexui Masculino privative deserviant, idcirco etiam Summas Bonis investitas Filiis suis donare voluisse censi debet, præsertim si de iisdem Summis nihil in contrarium disposuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Bona Avitica eousque onere quopiam gravari non possunt, donec existent acquisita, quia ejusmodi Bona tamquam vim fidei

fidei commissi imbuentia, quoad fieri potest, ab oneribus præservari, & in Statu libero ad illos, quibus Successio ex Lege competit, transmitti debent, & ideo juxta Articulum 49. 1723. eousque nemo pro Aquisitore censi potest, donec Avita distracta redintegret. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Mater Filiam elocans, eidem titulo Paraphernalia Mobilia tradat, quæ in ordine ad devolutionem adhuc per Antenatos suos, tamquam primos Aquisitores Testamentaliter, vel aliter quoque regulata sunt, subsequenter autem Filia illa deficiat, tunc præattacta Mobilia non ad superstitem Maritum, verum ad illos, ad quos ex præmissa regulatione pertinent, devolvi debent, tametsi enim res Paraphernales juxta Titulum 100. 1^{mæ} & Articulum 11. 1687. Successioni Maritorum deserviant, casu tamen in præmissis regulatio hominis alterat dispositionem Legis, quæ quidem regulatio eousque subsistere debet, donec sua legali via infringatur. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 4.) Quamvis juxta Articulum 31. 1723. in casu illo, quo Bona Divisioni, vel Successioni obnoxia in diversis Districtibus situantur, illa Tabula Districtualis Judicatum exercere debeat, cujus Districtui caput, vel potior pars Bonorum adjacet, si nihilominus Caput Bonorum solum in uno Comitatu situetur, reliqua vero Bona omnia extra Regnum jaceant, tunc Judicatus Tabulæ Districtualis cujus Districtui Caput Bonorum ingremiatur, non subsistit, quia Bona sub jurisdictione Hungarica sita, reliquorum enim nulla reflexio haberi potest, tantum uni Comitatu adjacent, juxta Articulum vero 28. 1715. Tabulæ Districtuales Causas Successionis, & Divisionis Bonorum uni dumtaxat Comitatu ingremiatorum, judicare non possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 5.) Si Bona per primum Aquisitorem Donatione Mixta pro Sexu dumtaxat Masculino absque ulla investitæ Summæ regulatione aquirantur, & postea in plures Lineas dividantur, subsequenter vero una Linea in Sexu Masculino deficiat, tunc superstiti alterius Lineæ Masculino enascitur quidem successio in portione deficientis, nihilominus Filia ejusdem non obstante eo, quod juxta Titulum 21. 1^{mæ} illis ex Summa investita æqualis portio competat, Jure Capillari eousque præscriptis Bonis immanent, donec vel statui convenienter emaritentur, vel decedant, per consequens usque præmissum eventum Masculi Bona realiter apprehendere non possunt, verum illuc usque Executio suspendi debet, per hoc enim, quod Filia ex Investituris ratas petendi jus habeant, Jure Capillari sibi per Leges attributo, privari non possunt. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 6.) Si Pater aquisitor, quodpiam Bonum Donatione Mixta ita aquirat, ut illud Sexui Masculino perennaliter, Fæmineo autem in Summa investita, post defectum Sexus Masculini per Fiscum Regium deponenda, per Principem conferatur, in hoc casu Patre ab intestato decedente, Filiabus in Summis investitis præsentanea Successio non enascitur, verum usque eventum defectus Sexus Masculini præstolari debent: tametsi enim ductu Tituli 21. 1^{mæ} Filia in casu illo, quo Bona partim pro Servitiis, partim vero pro Summa

pecuniaria per Aquifitorem superaddita comparantur, ex talismodi Investituris competentes portiones prætere possint, cum nihilominus casu in præmissis Aquifitor exolutionem Filiarum ad casum defectus Masculorum suspenderit, idcirco regulationi ejusdem standum est. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 7.) Si Pater Filiabus pro meliori subsistentia certam Summam ex Massa proventuum suorum quotannis percipiendam deputet, eodem vero decedente, Filiae in substantia Paterna, & ejusdem fructibus æqualiter succedant, tunc deputatum illud per mortem Patris statim cessat, vel si Filiae post obitum Patris eatenus quidpiam perceperunt, illud ipsis in portionem imputatur; quia per æqualem in substantia Paterna successionem titulus melioris substantiæ propter quem Summa illa deputata fuit, jam cessavit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Fructus Bonorum Sexui dumtaxat Masculino deservientium ab obitu communis Patris provenientes, non secus & Meliorationes, ac ædificia in similibus Bonis per communem Patrem posita, cedunt solis Masculis; quia hæc tamquam accessoria indolem sui principalis imbuunt, & cedunt solo, accedente potissimum eo, quod Pater ita ædificans, & subseque nullam desuper dispositionem faciens, rationabiliter pro Filiis suis, quos utpote Bonum illud a radice acquisitionis concernit, ædificasse censerit debeat. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 9.) Restantiæ in Bonis ad Sexum dumtaxat Masculinum regulatis, vivente communi Patre accumulatae, & occasione mortis ejusdem inexolutæ hærentes, æquali utriusque Sexus successioni deserviunt, quia tales fictione Juris ita considerari debent, ac si illas Pater incassasset, in casu autem illo utique tamquam res Mobiles utrumque Sexum secutæ fuissent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Quando Sexus Fæmineus contra Masculos ad Divisionem agit, & Actioni etiam talia Bona includit, quæ Masculi semet private concernere prætendunt, si Fæminæ in illis præhabitam divisionem docere non possint, tunc Sexus Masculinus Lite-ras ejusmodi Bona concernentes, sub Juramento revelare, & cum Sexu Fæmineo communicare non tenetur; quia Fora Subalterna præcise ex usu judicare possunt, atque adeo usu Fæminarum in præmissis casu non eveniente, Masculi ad propalanda privata Juris sua stringi non possunt, quin imo eatenus nec Actio, nec Judicatus in Foro Pedaneo subsistit. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Uxor Coaquifitrix Marito ab intestato præmortuo, plena, & absoluta de coaquifitis disponendi facultate pollet, quod si vero Maritus talem dispositionem faciat, ut post obitum suum Consortis sua in universis Bonis usque ad dies vitæ permaneat, ita tamen ut ex illis nihil distrahere audeat, verum post fata ejusdem præscripta Bona in sua integritate in Legatarios per se constitutos devolvantur, eo tamen non obstante Uxor de prærepetitis Bonis Testamentum condat, illud pro inactivo reputari debet, concomitanter Testamento Mariti standum erit, quia Uxorum de coaquifitis disponendi activitas dependet a nutu Maritorum, tamquam principalium.

prium aquifitorum, proinde regulationi illorum, modo proviforio factæ, contravenire non poffunt. *Utraque Tabula in hac quæftione Juris.*

(Dec. 12.) Si duo Fratres ab una, partibus vero ab altera Soror illorum Contractum Divisionalem ineuntes, Fratres Sororem pecunia exolvant, ipfi vero totam Bonorum Maffam retineant, nihilominus Contrahentes abutrinque tam mutuam Evictionem, quam vero in casu defectus alicujus Partis mutuam, & reciprocam legalem Successionem refervent, fubfequenter dein unus Fratrum Contrahentium deficiat, in hoc casu Sorori per defectum illius fucceffio denegari non potest; tametsi enim fucceffio modo prævio in defectu unius Partis refervata, nonnifi per defectum utriusque Fratris tamquam fimul unam Partem contrahentem repræfentantium pro Sorore enafci poffe videatur, cum nihilominus Partes mutuam, & reciprocam legalem fucceffionem, cum mutua Evictione conjunctam refervaverint, Lex vero in defectu cujusvis Convidentium individui fupervitibus fucceffionem deferat; hinc quemadmodum Sorori onus mutue Evictionis refpectu utriusque Fratris fingillative incumbemat, ita etiam beneficium fucceffionis ex defectu utriusque capere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Expensæ per Viduam post fata Mariti in redemptionem Bonorum ejusdem Aviticorum, adeoque taliter procuratam Meliorationem erogatæ, debent ipfi per Successores bonificari, quia tales expensæ cedunt in lucrum hæreditatis, e converso Summæ, quas Uxores Maritis in comparationem Naturalium, seu Victualium durante adhuc Matrimonio cum Marito fimul confumptorum ex propria substantia dederunt, compenfari non folent, quia exinde nullum in Successores emolumentum redundat, præterea neque sumptus per Viduam Bonis immanentem in feptulturam Mariti erogatos, Successores refundere tenentur, quia tales expensæ debent ex fructibus Bonorum supportari. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si aliquis Bona fucceffionalia titulo Investiturarum poffideat, etiamfi Investituræ illæ exiguæ fint, & fructus Bonorum incomparabiliter majores effe comperiantur, quam Interufurium præfcriptarum Investiturarum exportet, tamen talis Poffeffor ad refufionem fructuum fupervitæ perceptorum stringi non potest, quia illucque, donec ipfi Investituræ deponantur, Bona remittere non tenebatur, per confequens fuit Poffeffor bonæ fidei, Poffeffor autem bonæ fidei refufioni fructuum non obnoxiat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si duo Fratres dividant, & uni mera hæreditaria Bona, alteri vero hæreditaria pignoratitiis mixta obtingant, fubfequenter autem præattacta Pignora per Proprietarios reluantur, tunc ifte Posterior habet Actionem contra Fratrem fuum ad rectificationem Divisionis, quia Portio illius per ejusmodi redemptionem, & avulfionem minor, & inutilior evafit, quam Fratris fui, cæterum in præmiſſo casu rectificatio practice ita peragitur, quod Frater mera hæreditaria poffidens, ratam medietatem Summæ pignoratitiæ alteri Fratri pro redemptione præallegatarum Portionum depositæ, ad fe recipiat, & ad vires illius Summæ ex Bonis hæreditariis Fratri fuo portionem excindat, expensas autem Processuales uterque Frater æqualiter supportat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Si in Processu Divisionali, vel Successionali coram Tabula Districtuali suscitato, Incattus remonstrat, quod Bona Actionalia titulo Pignoris possideat, tunc Judicatus condescendere solet, quia realis Divisio illucisque institui non potest, donec Pignus resolvatur, hujus autem resolutio ad distinctum Forum, & Institutum pertinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Si aliqua Filiarum adstruat, quod per defunctos Genitores suos competenter emaritata non sit, proptereaque a reliquis Congenerationalibus suis ex communi Massa compensationem petat, hæc illi denegatur, quia in Emaritatione per Leges nulla proportio præscripta est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) In Causis Successionalibus, ubi Successio est valde antiqua, confusa, variis involutionibus irretita, & diversis obstaculis obruta, fructus adjudicari non solent, quia in similibus circumstantiis Possessor legitimam Causam habuit Jure experiendi, utrum Actori Successio competat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Si Privignus contra Novercam Viduam ad acquisitionem Jurium suorum Maternorum procedat, & allaturam Matris suæ, ejusdemque in Bona Maritalia investitionem sufficienter legitimet, tunc universa Mariti Bona sive per ipsum solum, seu vero cum posteriore Coniuge sua acquisita, ad vires ejusdem allaturæ Executioni obnoxiantur, per consequens posterior Consortis eousque nec in coacquisitis succedere potest, donec Allatura illa depuretur, quia allatura tamquam per Leges specialiter privilegiata, omnes alias prætensiones antecedit, & alioquin successio non nisi deducto jure alieno, locum habet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Sexus Fæmineus in utensilibus talis Domus, quæ Sexum Masculinum privative concernit, successionem prætere non potest, quia illæ velut accessoria ipsi Domui adhærent, & naturam ejusdem imbuunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) In Causis ordinariæ, & puræ successionis expensæ Processuales non currunt, fructus tamen erui, & communi Massæ adjici solent, quia successio radicatur in communi Juris, & Sanguinis, quod autem commune est, illud omnibus Cointeressatis æqualiter fructificare debet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 22.) Licet juxta Titulos 19. & 102. 1mæ Pecuniæ inter res Mobiles computentur, adeoque velut fluxæ, & lubricæ ita conservari non possint, sicut Bona Immobilia, eo tamen non obstante, si semel Divisionem ingrediantur, amplius liberæ dispositioni non subsunt, verum uno ex Condividentibus deficiente ad instar Bonorum immobilium in superstitibus Condivisionales devolvi debent, cum enim Articulus 49. 1723. Avita sive sint mobilia, sive immobilia distrahi vetet, distracta vero ex acquisitis distrahentis redintegranda præcipiat, idcirco vel ex hinc inferri potest, Leges eo colimare, ut Avita etiam Mobilia mutuæ Condividentium successionem subserviant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Si Maritus decedens, Debita post se relinquat, Vidua ejusdem etiam in coacquisitis eousque succedere nequit, donec talia

lia debita depurentur; licet enim Uxor per insertionem Nominis jus quæsitum in Bonis coaquisitis obtinuisse videatur, quia tamen successio Uxorum in coaquisitis dependet a nutu, & dispositione Maritorum, ideo Debita illorum primum, & ante omnia deduci, & illud dumtaxat, quod a depuratione onerum Maritalium supernat, successioni Uxoreæ substerni potest, potissimum siquidem ductu Articuli 49. 1723. Avita, exstante aquisitorum fundo, onerari non possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Si primus Aquisitor in Bonis privilegialiter ad utrumque Sexum aquisitis, solum Filium suum hæredem instituat, Filias vero exhæredet, de eo attamen nihil disponat, utrum relate ad posterios antelati Filii sui successio in præscriptis Bonis ad solos Masculos restringi, vel ad utrumque Sexum extendi debeat, e contra Filius modo præmissis hæres institutus, in favorem Successorum suorum utriusque Sexus Testamentum condat, in his circumstantiis successio utrique Sexui deferenda est, quia primus Aquisitor præscindendo a Successoribus Filii sui negotium in Statu Legis, & privilegialis regulationis reliquisse censetur, hæc autem ad utrumque Sexum extensa est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Quamvis Nomine Hæredis in sensu Juridico a potiori Filii intelligantur, si nihilominus Aquisitor de meris Mobilibus Testamentum condat, & illa cuiuspiam ex Consanguineis suis Masculo leget, interim successione ex præattacto Legatario descendendum expresse ad solum Sexum Masculinum non restringat, licet in Testamento suo quampiam Hæredis mentionem faciat, eo tamen non obstante in præmissis circumstantiis Sexus Fæmineus a successione in prænuncupato Legato obtinenda, excludi non potest, quia juxta Titulos 17. 22. & 73. 1^{mæ} quando Bona controversa manifeste utrumque Sexum concernunt, Nomine Hæredis etiam Filie veniunt, consequenter sensu earundem Legum quodocunque quæstio de eo occurrit, utrum sub Nomine Hæredis solus Masculinus, vel uterque Sexus intelligi debeat, semper vel ad radicem acquisitionis recurri, vel vero natura Bonorum spectari debet, cum igitur præscripto Titulorum 19. & 102. 1^{mæ} Mobilia ex indole sua utrique Sexui deserviant, idcirco casu in præmissis Testamentum ad solos Masculos restringi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Quodsi nihilominus Testator universa aquisita sua Mobilia, & Immobilia bifariam dividenda ordinet, & unam portionem Filie, ac Genero suis, illorumque hæredibus, & posteritatibus utriusque Sexus universis, alteram vero partem, & signanter certam Summam pecuniariam cujuspiam Consanguinei sui hæredibus leget, ita quidem, ut iisdem hæredibus in Semine deficientibus, hoc quoque legatum ad liberam Filie suæ dispositionem recidat, in his circumstantiis posteriore isto Legatario in Sexu Masculino deficiente, Sexus ejusdem Fæmineus in præexposita Summa sibi successione vindicare nequit, quia licet superius ex Titulo 17. 1^{mæ} insinuatum fuerit, quod interdum, quando videlicet Bona seu ex radice acquisitionis, seu vero ex indole sua manifeste utrumque Sexum concernunt, suo Nomine Hæredis etiam Filie intelligi possint, pecunia autem, de qua hic quæstio vertitur, inter res Mobiles ex natura sua utrique Sexui deservientes, computetur, cum nihilo-

minus in prædeducto casu Testator legata partiendo, eodem Testamenti tenore uni quidem Legatario substantiam legatam ad Hæredes, & Posteritates, cum additamento utriusque Sexus, alteri vero simpliciter ad Hæredes sine ullo additamento ordinaverit; idcirco rationabiliter supponi debet, eundem præmissas clausulationes in stricto sensu Tituli 17. 1^{mæ} intellectas habere voluisse, ita videlicet, ut prior Legatarius, Filia videlicet sua tamquam immediate ex Lumbis suis descendens, adeoque majori Juris, & Sanguinis prærogativa pollens, in utroque sexu, posterior autem velut alioquin remotior sub ly hæredibus in Sexu dumtaxat Masculino successionem obtineat, taliterque hoc posteriore in Masculis deficiente, rursus totum legatum ad directos descendentes suos redevolvatur, quod ipsum vel exinde etiam adhuc luculentius erui potest, cum utpote in casu defectus Seminis posterioris Legatarii, etiam in parte eidem legata priori successionem detulerit, per Semen autem juxta Titulum 22. 1^{mæ} solum Virilis Sexus intelligatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Licet Bona Avitica liberæ dispositioni non subsint, nec tamen principium hoc tam rigorose summi debet, ut Testator in defectu aqvisitorum, etiam de Bonis Avitis pro Summo Terræ Principe, vel ad pia legata nihil ordinare possit, si etenim indultu Tituli 59. 1^{mæ} ex causis rationabilibus Bona Avitica etiam perennaliter abalienare licet, eo magis præmissis Titulis talismodi salutarem, & rationabilem dispositionem facere licebit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.) Si Condivisionales sub pœna Vinculari in contraveniente desumenda Divisionem ineant, subsequenter vero alteruter illorum semet læsum, & damnificatum esse reputans, ad Novam Divisionem, vel rectificationem Divisionis procedat, propterea pœnam vinculari non incurrit, cum enim Articulus 54. 1655. Divisiones cum, vel sine pœna initas, ex rationibus in Titulis 45. & 46. 1^{mæ} declaratis, alterari posse admittat, idcirco casu præcitorum Titulorum emergente, vinculum Contractuale pro non adjecto censeretur debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.) Si quispiam per defectum Fratris sui Religionem tenendorum Bonorum capacem ingredientis, & ibidem obeuntis, ad consequendam in substantia occasione ingressus in Religionem eisdem per Condividentes, vel Parentes excisa successionem, Processum suscitetur, Actoratus illius condescendere solet; quia talis substantia naturam Doni imbuat, adeoque sub mutuum Condividentium successionem non cadit, verum ut ex Articulo quoque 71. 1715. deduci potest, Religioni cedit. *Tabula Regia.*

(Dec. 30.) Si Maritus, & Uxor Bonum quodpiam Jure perennali simul aquirant, & Nomen Uxoris Literis aqvisitionalibus per expressum inseratur, subsequenter vero Uxore sine Testamento Marito præmortua, & Marito quoque absque ulla dispositione obeunte, inter duplicis Matrimonii Proles de successionem in præallegato Bono Lis oriatur, in hoc casu medietas Boni Prolibus Uxoris Coaqvisitricis adjudicatur, altera vero medietas ad ratam Coaqvisitoris Patris cadens, inter Proles utriusque Matrimonii æqualiter divi-

dividitur; quia cum supervivens Maritus velut principalis Aquifitor sine Testamento decesserit, taliterque regulationem Boni controversi in primævo aquifitionalium statu reliquerit, idcirco etiam successiōnem inter Proles in conformitate illarum observatam, habere voluisse censi debet. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 31.) Licet Pignora ductu Tituli 102. 1^{mæ} inter res Mobiles computentur, adeoque utrique Sexui deserviant, si nihilominus Genitores a Collateralibus suis Masculis titulo Pignoris tales portiones comparent, in quibus Sexus Fæmineus ejusdem Familiæ neque in superioribus Generationibus unquam æqualiter divisit, tunc similia Pignora nec inter Proles Aquirentium successiōni utriusque Sexus substerni possunt, verum dumtaxat Investituræ æquali divisiōni obnoxiantur, cum enim præscripta Bona ab origine, & radice soli Sexui Masculino deserviant, idcirco ad evitandas quoque Jurium convulsiōnes, etiam in Linea aquirentium solis Masculis relinqui debent. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 32.) Quamvis Testamenta de Avitis condita sint inactiva, si nihilominus unus Frater de Avitis Testamentum faciat, & alter illud subscribat, tunc talis Subscribens per defectum Testatoris ex Lege Collateralem successiōnem petere non potest; quia Testamentum Fratris subscribendo, illud ratificasse, adeoque ab ordinaria legali successiōne recessisse censetur. *Utraque Tabula in hac quæstione Juris.*

(Dec. 33.) Quamvis cumulatæ Actiones in Jure locum non habeant, si nihilominus quispiam Actionem formet, partim ad correctionem errorum in primitiva Divisiōne intervenientium, partim vero ad simplicem Divisiōnem illorum, quæ eorum adhuc indivise relicta sunt, ejusmodi Actio admittitur, quia præmissæ duæ Causarum species non sunt ita incompatibiles, ut una alteram excludat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Si Mater Vidua, Bona tam Sexus Masculini privata, quam vero communia, & propria quoque allaturalia in una Massa possidens, ex fructibus illorum Filiam emaritet, eidemque præmisso titulo erga Quietantiam certam Summam pecuniariam exolvat, etiam si deinde Testamentum condat, & circa imputationem præattactæ Summæ nihil disponat, tamen Summa talis pro Dono reputari nequit, adeoque prædicta Filia sub prætextu illo, quod præmissa Emaritatio non fuerit statui Bonorum approporcionata, & alioquin Summa sibi exoluta Donum sapiat, eandem communi Massæ subtrahere, & citra imputationem retinere non potest, præsertim si post fata Genitorum ex Mobilibus, & Bonorum fructibus æqualiter cum reliquis Prolibus participet; tum quod Leges Regni circa proportionem Emaritationis nullam idæam præscribant, tum vero quod in præmisso casu prætenfa improporcionata per fructus Bonorum, & Mobilia sufficienter compensata sit. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 35.) Licet in casu tali, quando Fæminæ contra Masculos ad Divisiōnem agunt, Masculi dumtaxat Literas Bona utrumque Sexum æqualiter tangentia concernentes, sub Juramento revelare teneantur, si nihilominus inter Bona Actionalia etiam sint

talia, in quibus Fæminæ virtualement, & eventualement successionem habent, vel talia, ex quorum Investituris Fæminæ participare deberent; tunc etiam similia Jura concernentes Literas obligantur Masculi sub Juramento pandere, & cum Sexu Fæminæo communicare, cum enim Fæminæ eatenus certo respectu cum Masculis communionem foveant, idcirco justum est, ut per communicationem Literarum circa competentiam suam debite capacitentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 36.) Si primus Aquisitor Bona quæpiam ad Sexum dumtaxat Masculinum impetret, postea vero eadem Bona Testamento mediante inter Proles suas utriusque Sexus æqualiter dividenda ordinet, talis dispositio eousque donec defectus Sexus Masculini enascatur, taliterque successio Fisci Regii emergat, subsistit; tum quod primus Aquisitor indultu Titulorum 5. & 57. 1^{mæ} inter Successores suos de propriis aquisitis liberam disponendi facultatem habeat, tum vero quod Fisco Regio eousque donec illi per defectum Sexus Masculini successio enascatur, perinde sit, sive Bona impetrata uterque Sexus Donatarii, seu vero solus Sexus Masculinus possideat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 37.) Siquidem Successio Fisci Civici in defectibus per Articulum 16. 1649. ad Bona dumtaxat Civilia restricta esset, idcirco eveniente alicujus liberæ in Civitate degentis, sed nulla Bona Civilia possidentis Personæ defectu, ex Articulo 62. 1715. in substantia deficientis nullam successionem prætereptere potest, verum Fisco Regio immediata successio competit; quia præcitatus Articulus 62. habet pro objecto liberæ Personæ in fundis Rusticanis degentes, sub istam vero classem fundi Civiles non cadunt, cum itaque circa successionem Fisci Civici post superius citatum Articulum 16. 1649. nihil novi per Leges statutum sit, ideo illa ultra sensum ejusdem Articuli extendi nequit, & præcise exinde repeti debet. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 38.) Etiam si aliqua Civitas tale Privilegium habeat, ut Cives in illa degentes, de Bonis etiam Avitis libere disponere possint, tamen in casu defectus cujuscumque Personæ Civilis in tali Civitate degentis, superstiti Condividenti Actio ad consequendam in substantia deficientis ex Lege Collateralem successionem denegari non potest, quia juxta Titulos 8. 9. & 11. 2^{dæ} Privilegium tamquam Lex privata, Juri publico derogare non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 39.) Licet Maritus tamquam principalis Aquisitor absolutam, & independentem etiam contra nutum Uxoris de coaquisitis disponendi facultatem habeat, nihilominus si occasione contracti Matrimonii, vel sub ipso Matrimonio Uxori per Contractum eatenus initum admittit, ut illa de medietate coaquisitorum libere disponere possit, eademque hac concessione utatur, & disponat, tunc Maritus dispositionem illius amplius per Testamentum suum alterare non potest, quia pacta Paciscentibus Legem ponunt, & quod semel placuit, amplius displicere nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 40.) Si Mulier quæpiam cum primo Marito fundos Civiles immobiles comparet, & postea in secundo Matrimonio sine Proli-
bus, & Testamento decedat, taliterque inter secundum ejusdem
Mari-

Maritum, & Matrem deficientis de successione Lis oriatur, tunc in rebus ejusdem Mobilibus superstes Maritus, vi mutuæ Conjugalis successione ex Articulo II. 1687. succedit, in fundis tamen immobilibus successio Matri præ Marito defertur, tum quod præcitus Articulo II. mutuam Conjugum successione tantum ad Mobilia restringat, tum vero quod juxta Titulum 53. 1^{mæ} Parentes Prohibis, & Proles Parentibus Jure Naturæ aquirant. *Tabula Septem. Viralis.*

(Dec. 41.) Si Sexus Fæmineus in Bonis Avitis Paternis, quæ per acquisitionales Literas pro Sexu dumtaxat Masculino regulata sunt, æqualem portionem excindendam ideo urgeat, quod in possessorio talium Bonorum Patris, vel Fratris sui Sorores actu præ-existent, adeoque ex præhabito ejusmodi Sexus utriusque, usu se ad æqualem Divisionem admitti petat; interim si Masculi remonstrent, Sexum Fæmineum Patris videlicet, vel Fratris non ex Divisione, sed via indirecta, sive per oppignorationes Masculorum Fæminis factas, sive ex relictione Portionum per Masculos oppignoratarum possessorium obtinuisse, tunc a Divisione talium Bonorum removentur; quia ejusmodi jure Masculorum inchoatus Sexus Fæminei usus, jus ad obtinendam ex usu Divisionem non tribuit, & eo ipso, quod quæstio æqualitatis, vel inæqualitatis Juris veit Privilegiorum, & Jurium radicalium productionem, ac disquisitionem prærequirens, subvertetur, jam Sexus Fæmineus extra possessorium constitutus, Foro Tabulari quo Privilegiorum discussio pertinet, agere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 42.) Sexus Fæmineus ad obtinendam successione procedens, esto probet Antenatos suos occasione Statutionis penes Novam Donationem pro Sexu Masculino peractæ, contradixisse, adeoque Jus sustentasse, Sexum præterea Fæmineum in alia linea stantem in actuali eorundem Bonorum possessorio esse; tamen si Masculi Bona eadem pro Sexu dumtaxat Masculino regulata, ac in linea sua Sexum Fæmineum ad Divisionem admissum nequitquam esse opponant, tunc Sexus Fæmineus prætersam ratam coram Foro Comitateni consequi nequit; quia Contradictio Statutioni extra Dominium opposita usum non tribuit, sed jus dumtaxat sustentat, admissio præterea unius Lineæ universalem Sexus Fæminei successione non inducit, cum factum lineæ unius alteram obligare nequeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 43.) Quamvis Fæminæ juxta Titulum 102. 1^{mæ} in Bonis Pignoratitiis successione habeant, si tamen Bona quæpiam Pignoris titulo ita inscripta sint, ut Pignus recipiens, & Filii ejus usque effluxum obligatorum Annorum Bona eadem possideant, & Pignoratitius iste aqisitor absque Testamentaria dispositione decedat, tunc Filiæ non ex Bonis, sed ex investitis dumtaxat Summis ratam obtinent, quia Pater aqisitor quoad possessorium Bonorum jam tunc disposuit, dum illud per acquisitionales Literas pro Filiis ordinavit, quoad Summam vero ideo easdem excludere voluisse præsummi non potest, cum alioquin Bona Pignoratitia utrumque Sexum sequantur, Masculis itaque beneficium tantum usus fructus usque ad tempus Inscriptionis reservare voluit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 44.) Si ex duplici Thoro genitæ Proles ad Divisionem Paternæ substantiæ agant, & ex prima Coniuge genitæ Proles virtute Testamenti Materni per Patrem subscripti, adeoque consensu eius firmati, certam Summam sibi in specifico legatam esse remonstrent, quamvis Proles secundi Matrimonii non solum Patrem totius remansæ, adeoque occasione primi etiam Matrimonii comparatæ substantiæ principalem aquirentem fuisse, illumque per subsequens Testamentum de tota substantia disposuisse doceant, tamen Summa illa privative cuilibet Proli per Genitricem legata, communi cum Fratribus, & Sororibus ex secundo Thoro genitis, divisioni subterni nequit; Pater enim per subscriptionem Testamenti Coniugis suæ, jam in quantum illa de coaquisitis disposuit, prærogativæ, quam qua principalis Aquirens habuit, renunciavit, & jus eatenus disponendi in Uxorem transfudit, facto proinde suo contravenire amplius non potuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 45.) In Causis ad ineundam Divisionem suscitatis, expensæ Litis ex communi Massa adjudicantur, quia Causa talis inter omnes Convidentes communis est, adeoque ex Juris, & Sanguinis communi omnes pro Actoribus reputantur, cum cuilibet Partium prætensiones suas mutuo promovere ex natura Causæ concessum sit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 46.) Si Bona per Antenatos oppignorata, ac tandem per unum ex Successoribus oppignorantis reluta sint, tunc reliqui Fratres ad ejusmodi Bonorum Divisionem non secus agere possunt, quam si una Actionem etiam ad reversionem talium Bonorum extensam habeant, quia esto actualis Possessor qua Sanguis Bona eadem reluerit, respectu tamen Investituræ suæ Pignoratitiis Possessoribus depositæ, ipsos Pignoratitios repræsentat, & ideo primum Pignus per Sententiam resolvi, ac ita Massa ab onere libera, Lite eadem Divisioni subterni debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 47.) Si Incattus ad liquidationem inhærentis oneris, ac ad instituendam Divisionem admonitus, Summas levare, ac ratam Actoris se extradare velle declaret, Actor nihilominus non quartam exempli causa Bonorum partem, quam Incattus eidem se extradaturum offert, sed medietatem Bonorum prætendat, ac ob intermissam remissionem ad ineundam Divisionem agat; esto tam Pignoratitii, quam & Divisionales Processus expensarum restitutionem exigant, tamen si Incattus remonstret, quod competentia Actoris non in medietate, sed quartalitate dumtaxat Bonorum, quam Incattus obtulit, subsistat, quod item reliquorum Congenerationalium ratas titulo Pignoris cum Annorum conditione sibi inscriptas habeat, tunc expensæ Actoris bonificari non solent, quia culpa illius evenit, quod oblatam competentem ratam acceptare noluerit, merito igitur inaniter profusas expensas tolerare debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 48.) Si Bona quæpiam, sive per dispositionem Aquirentis, sive per Contractum inter Fratres, vel Sorores initum uni ex ipsis ea conditione relicta sunt, ut ex Investituris reliquos excontentare teneatur, & is impositæ sibi ejusmodi obligationi satisfacere negligat, tunc in Divisionali Lite per Fratres suscitata, etiam
in

in Interfurio Capitalis Summæ a tempore adepti, ac a morte Genitorum continuati possessorii convincitur, quia Summa talis pro ratione ratæ cujuslibet ad Fratres pertinet, adeoque illis fructificare debet, fructuum vero refugio illum manere solet, qui rem alienam indebite, adeoque sine omni legali titulo detinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 49.) Filia, esto cum consensu, imo ex voluntate Patris Nuptui tradita sint, nec tamen paritate Tituli 54. Partis 1^{mæ} Patrem, licet Bona utrumque Sexum concernant, ad ineundam Divisionem cogere possunt, quia Tituli hujus dispositio ad Filios dumtaxat restricta est, qui quoniam Uxores suas intertenere debent, merito Pater ex præstito ad ineundum Matrimonium consensu Filii necessitates domesticas per excisionem ratæ sublevare debet, Filia autem cum elocari, adeoque ad Lares Mariti non solum traduci soleant, sed & interteneri debeant, earum intuitu ratio Legis cessat, & ideo Actoratus denegatur. *Tabula Regia.*

(Dec. 50.) Si quis nullam Juris, & Sanguinis communionem cum Incatto fovens in Bonis, quæ jam inter Prædecessores eorum quoad Colonos, fundosque Dominales separata, adeoque per eos distinctim possessa sunt, beneficia, ac pertinentias in confuso, ac indiviso statu prætendens, fundamento Titulorum 40. 45. 1^{mæ} & Articuli 36. 1729. realiter subdividi, & segregari petat, ejusmodi Actio condescendit, quia Leges pro fundamento Actionis assumptæ, partim primitivam, partim Novam Divisionem, partim denique Rectificationem involvunt, quæ præterquam quod Juris, & Sanguinis communionem pro objecto habent, insuper ejusmodi prætenso diversas, & Lege distinctas species involvit, quæ in uno, eodemque Instituto subsistere non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 51.) Si Extraneus penes Falsionem talem, qua Fatens non solum ratam sibi occasione Divisionis excisam, sed & quæ eandem ex portionibus per Genitricem actualiter possessis respiceret, in ipsum transtulit, contra Condivisionales Fatentis, qui cum decessu Genitricis reale, & privatum possessorium Bonorum Maternorum obtinuerunt, ad ineundam Divisionem fundamento Titulorum 40. 41. 43. & 45. 1^{mæ} procedat, Actoratus condescendit, quia præcitati Tituli Fratribus dumtaxat, & Sororibus, qui Juris, & Sanguinis communionem fovent, activitatem Divisionem exigendi, adeoque illam ineundi, tribuunt, Titulus præterea 27. 1^{mæ} per expressum statuit, ne ejusmodi communium, & indivisorum Bonorum Extranei Emptores nomine proprio in Judicio contendere possint, & ideo nec ex prætenso repræsentationis jure Actoratus prætendi potest, cum Jura Sanguinis nonnisi is, qui Juris, & Sanguinis communionem fovet repræsentare valeat. *Tabula Regia.*

(Dec. 52.) Si tamen Socrus Nurui suæ, qua Prolium ex eadem genitarum, adeoque Nepotum suorum Tutrici, & Curatrici super revindicatione, & exquisitione Jurium se respicientium, Cessionem tribuat, tunc illa Successionali, & Divisionali Processu contra Congenerationales Socrus suæ agere potest, quia ejusmodi Actrix, cum Jus, & ratam Socrus, adeoque Filios suos ex Cessione jam

immediate respicientem Lite requirat, per consequens pro ipsis agat, non pro Extranea, sed tali, qui Juris, & Sanguinis communionem in Socru, & filiis suis fovet, reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 53.) Incattus in Lite per Condivisionales ad Divisionem Curiae, appertinentiarumque ejus promotus, ab inscriptione Materna, qua Curia eadem in ipsum translata erat, recedens, ac ita Investituris dumtaxat suis inhærens, quamvis probet, quod non solum antiqua ædificia restaurata, sed & fiducia Inscriptionis, nova per ipsum posita casu fortuito, incendio quippe conflagrata sint, & ita novis sumptibus moderna erigi debuerint, adeoque in ejusmodi noviter constructa ædificia factas erogationes juxta Aufzugales refundi petat, tamen pretium ejusmodi ædificiorum per condivisionales non juxta Aufzugales, sed in statu, quo occasione Divisionis comperientur, juxta condignam æstimationem bonificari debent; præterquam enim, quod liquidatio quoad ædificia ex Aufzugalibus nec Lege, nec usu recepta sit, Proprietarius cum illius tantum, & in eo, quo alter ei tradit statu utilitatem obtineat, per consequens resignans non aliud, quam ejus, quod resignat, condignam æstimationem exigere potest. *Utraque Tabula.*

Emanet { (Dec. 54.) Licet Bona per Patrem Lite agentium Partium pro Sexu dumtaxat Masculino acquisita sint, & Testamentum Patris, quo Filiabus æqualis successio in iisdem Bonis delata est, Solennitatibus Articuli 27. 1715. munitum non sit, tamen si Filiae duorum Testium omni tamen exceptione majorum falsionibus remonstrent, Patris sui ultimam voluntatem illam fuisse, ut Filii, & Filiae æqualiter succedant, jam æqualem cum Fratribus successione obtinent, præterquam enim, quod in scriptum redactum Testamentum utut solennitatibus destitutum de illa Patris voluntate firmam præsumptionem faciat, jam in his circumstantiis duorum Testium morte authenticatorum falsio cum Testamento in scriptum redacto junctim sumpta plenam Nuncupativi Testamenti, quam velut inter Proles privilegiatam Articulus 27. 1715. ab ordinariis solennitatibus exemptam habere voluit, probam constituit. *Tabula Regia.*

(Dec. 55.) Esto prætenso Actoris ex successione ad Liquidum nihilominus Debitum successive reducta, originem trahat, si tamen illam Actor non a Debitore, qui videlicet Summam eandem obligavit, vel directis ejus Successoribus, sed Extraneis ad quos videlicet substantia Debitoris pervenit, requirat, tandem derelicto ejusmodi Processu, Partes in Arbitros ita compromittant, ut hi tam respectu Capitalis Summæ illius, quam vero aliarum successione quaqua ratione nunc, vel in futurum tangentium prætensiones ac differentias decident, ac nulla in ejusmodi Compromisso de inter-usurio, & expensis reservata posita sit, tunc quamvis Capitalis ejusmodi obligata Summa Actori adjudicetur, Interusurium tamen, & expensæ adjudicari non possunt; jam enim eo ipso, quod Partes ab ordinaria Juris via abstraxerint, & per Compromissum prætensionem illam cum quæstionibus circa successione vigentibus, conjunxerint, naturam Causæ, & acquisitionis mutarunt, ideoque paritate Articuli 30. 1729. ob intermissam in Compromisso reservatam, Interusurium, & expensæ adjudicari amplius non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 56.)

(Dec. 56.) Si Lis ex parte Orphanorum ad obtinendam Paternam, vel Maternam successionem, contra Vitricum suscitata sit, tunc expensæ etiam adjudicari solent; quia ejusmodi causa contra Extraneum, & jus communionis ad ejusmodi substantiam non foventem, promotæ, sub classem privilegiatarum Causarum cadit, quæ natura sua refusionem expensarum exposcunt, quin imo eo magis refusioni expensarum Vitricus obnoxius est, quod Paterna quasi obligatione ad Jura Orphani augenda, & tuenda obstrictus sit, & tamen studiose sibi appropriare, & ita Orphanum ad suscitandam Litem provocare contendat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 57.) Si Aquisitor per Testamentum Filiis Bona ad Sexum tantum Masculinum gubernanda leget, Filiabus vero certam pecuniæ Summam relinquat, postea unus Filiorum nullo Masculo, verum Filia relicta decedat, licet Bona pro Sexu Masculino regulata fuerint, tamen huic Filix legatum per Aquisitorem Filiabus destinatum negari non potest, Testator enim Filiabus expressis Testamenti verbis providendo, Nemptem ex Filio, eveniente illius in Sexu Masculino defectu; excludere voluisse censi non potest, nam ejusmodi Neptis in illo casu unam Filiarum repræsentat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 58.) Esto Filius ex Testamento Patris, quo universa Substantia eidem legata est, ad obtinendam successionem contra Vitricum substantiam eandem ex Testamento, vel Falsione Matris suæ possidentem agat, si nihilominus ex Testamento pro fundamento Actionis assumpto eveniat, quod ipse Testator substantiam illam adjutorio, & coacquisitione Uxoris suæ partam esse recognoverit, & acquisitionibus Literis Nomen Uxoris insertum sit, ac insuper prodeat Testatorem ante initum Matrimonium facultatibus destitutum fuisse, ac adminiculo substantiæ Uxoreæ, quam ipsa ante adhuc contractum Matrimonium comparaverat, de statu Coloniali manumissum, & nobilitatum, ac sic sensim pro congestione aquisitorum substantia Uxorea adjutum fuisse, hanc vero debito tempore per interpositam contradictionem ejusmodi Testamentariæ dispositioni reclamasse; tunc Actor in dimidietate dumtaxat ejusmodi coacquisitionis substantiæ successionem obtinere potest; cum enim substantia Uxorea, radix, & fundamentum acquisitionis fuerit, ac ipse Testator jus coacquisitionis in Testamento agnoverit, jam Maritus pro principali aquisitore his in circumstantiis reputari nequit, adeoque de rata medietate coacquisitionum in præjudicium Uxoris disponere non potuit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 59.) Ignobilis ad obtinendam successionem Materno Avitam procedens, esto Bona illa, in quibus successionem præterdit, Juris utriusque Sexus esse doceat, tamen Actio ei denegatur, quia Ignobilibus ad primitivam Jurium possessionariorum acquisitionem Actio non competit, cum Bona tantum Materno jure tenta retinendi activitas iisdem ex dispositione Articulorum 70. 1659. & 18. 1687. concessa sit, si tamen ad revindicationem talium successionalium Jurium, quæ ipsis, vel Antenatis eorum Divisione mediante obtigerant, adeoque Pignoris reuitionem agant, quoniam in ejusmodi circumstantiis non ad primitivam acquisitionem, sed receptionem dumtaxat procedunt, cum Impignorans usum fructum dumtaxat Bonorum transferre soleat, adeoque fictione Juris ejusmodi

Ignobiles, pro Possessoribus talium Bonorum jure Materno eosdem concernentium, reputentur Actio competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 60.) Dum Frater fundamento initæ inter se, & Fratrem suum Divisionis ab obtinendam ex defectu ejus successionem contra Uxorem jam ad secunda vota transeuntem, procedit, esto tertius Frater, qui occasione Divisionis ob subversantes de eo quaestiones num pro legitima prole reputari valeat, exmissus sit, se ad Litem ingerat, seque legitimum esse probare tentet, ac ita ex portione deficientis ratam excindi petat, ab accessu nihilominus removeatur, quia Actio Actoris Divisioni inter se, & deficientem initæ innixa est, & eo ipso quod ad ejusmodi Divisionem Ingerens non concurrerit, jam in Bonis quæ deficienti Divisione mediante obtigerant, successionem prætere nequit, cum juxta Titulum 47. 1^{mæ} his in circumstantiis mutua, & Fraternalis divisio successionem tribuat, & ideo si quid talis Ingerens se consequi posse sperat, primum fundamento descendentiæ suæ a communi Partium stipite ad Divisionem, ac hac obtenta, ad successionem ex defectu Fratris agere debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 61.) Si is, cujus Parens ante conditum Articulum 9. 1715. crimen læsæ Majestatis incurrit, successionem ex Bonis Collateralium Parentis partim ante, partim post incursum Notæ deficientium quærat, tunc ex illius, qui ante Notam defecerat, relate tantum ad Personam suam adeoque dempta portione, quæ abinde Patrem Notorium respiciebat, ex illius vero, qui post Notam defecit, nulla ad Notorium habita reflexione integra illa portio, quæ ipsum casu in eo, si etiam Genitor Notam non incurrisset respicere debebat adjudicatur, etenim citatus Articulus ad futuros tantum casus extenditur, jam vero quoniam juxta priorem Legem Articulum quippe 104. 1659. portiones Prolium ante Notam natarum pro ipsis in salvo relictæ, adeoque ab Executione propter Notam Parentis effectuari solita, exemptæ fuerint, successio in statu hujus Legis reflexe ad tempus Notæ Patris, quæ posteriorem Legem præcessit, assummi debet, nec officit, quod juxta Titulum 47. 1^{mæ} Nota Patris filium Genealogiæ abrumpat, quia ejusdem Tituli dispositio ad Proles tantum ex Notorio post incursum Notæ natas, refertur, per consequens proles prius natæ, & Paterno crimini non impliciæ, a successione Collateralium Patris post ejus Notam deficientium, removeri non possunt. *Utraque Tabula.*

(II.)

Ad Implementum Contractuum.

(Dec. 1.) Licet in Contractu hæc conditio ponatur, ut occasione relictionis Bonorum Summa contractualis in illa ipsa Monetæ specie, quæ ibi exprimitur, renumeretur, tamen sufficit, si Triumphans Succumbenti in quacunque corrente Aurea, vel Argentea Moneta juxta valorem illius temporis satisfaciatur, taliter enim Succumbenti nulla fit injuria; cæterum cum valor Thalerorum solum Anno 1693. ad florenos duos elevatus sit, idcirco quotiescunque in Contractibus ante prædictum Annum emanatis, mentio Thalerorum

lerorum fit, valor unius tantum in uno floreno, & triginta cruciferis assummi debet; valor autem Aureorum, si in specifico expositus non sit, in antiquis Contractibus a potiori assummitur in florenis tribus. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si quispiam in Contractu Vinum, vel huic simile aliquod naturale in certa quantitate obliget, & illud partim ex procreatione Annorum Contractualium, partim vero Annorum subsequorum in natura præstare velit, hoc illi admittitur, dummodo Vinum illud non sit defectuosum, verum facile in pecuniam convertibile, per consequens talis Contrahens ad compensationem in pecunia præstandam invitatus adigi nequit, quia Contractus sunt stricti Juris, adeoque juxta Articulum 31. 1723. quoad fieri potest, ad Literam observari debent. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 3.) In Causis Contractualibus fructus, & expensæ Processuales non currunt, nisi per expressum obligentur, cum enim fundamentum totius Instituti sit Contractus, idcirco extra illum nec Actor quidpiam petere, nec Judex adjudicare potest. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 4.) Quando ad implementum Testamenti agitur, illius implementum solum eatenus decerni potest, quatenus Testator de propriis acquisitis a redintegratione distractorum, vel inoneratorum Aviticorum supernatantibus, liberam disponendi facultatem habuit; cum enim Leges præcise de propriis acquisitis disponendi facultatem tribuant, nemo autem eousque pro Aquifitore censeris possit, donec distracta Avitica redintegret, idcirco tale Testamentum eatenus, quatenus explicite, vel implicite Avitica involvit, tamquam inactivum implementationem non recipit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si in Contractu Venditionali Emptor semet ad persolutionem stipulati pretii sub vinculo obliget, subsequenter vero de eodem pretio Venditori distinctam obligationem det, & in illa nullam vinculi obligationem injiciat, in hoc casu Venditori ad implementum primi Contractus procedenti Vinculum adjudicari non solet, cum enim in pœnalibus benigna interpretatione utendum sit, idcirco posteriore obligatione nullam vinculi mentionem continente, Partes ab illo recessisse præsummi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Si in Causa ad implementum Contractus vincularis promota, Incattus docere possit, quod Contractum implere paratus fuerit, verum Actor inter reliqua etiam tales prætensiones formaverit, quæ ad Contractum reduci, adeoque per Incattum acceptari non poterant, in tali casu Incattus a pœna vinculari absolvitur, quia bona fides eundem ab omni culpa, adeoque etiam pœna liberat, & alioquin Actor sibimet ipsi adscribendum habet, quod peregrinas prætensiones formando, ansam dederit, quominus Contractus adimpletus fuerit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si quispiam operam suam duobus obliget, exempli causa: quod utriusque par beneficium exoperari velit, & vicissim illi ambo sub certo vinculo remunerationem promittant, interim obligans ille operam suam tantum uni locet, is vero appromissam remunerationem non præstet, propterea ad implementum Con-

tractus, & desumptionem vinculi citetur, in hoc casu vinculum partitionem non recipit, verum totum Incatto persolvendum imponitur, cum enim totum beneficium, quod ex Contractu in duos redundare debuisset, solus perceperit, idcirco etiam totum onus eidem annexum solus ferre tenetur. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 8.) Si in Contractu bilateralis una pars obligationi contractualiter assumptæ, non satisfaciatur, propterea pars altera a Contractu resilire, & eundem pro nullo declarare non potest, ideo enim Processus ad implementum Contractuum per Leges introductus est, ut morosi ad satisfaciendum authore Judice compelli possint. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si respectu ejusdem substrati distinctis Personis duo Contractus celebrentur, tunc posterior seponitur, & prior stabilitur, quia quod semel uni contractualiter obligatum est, id amplius alteri active tradi nequit, nam unam, eandemque rem duo in solidum possidere non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Dominus Terrestris Jurisdictionato suo dumtaxat utile cujuscumque Prædii Dominium contractualiter obliget, per hanc obligationem Educillum, Macellum, Piscationem, Venationem, Molendina, aliaque idgenus Jura Regalia obligasse, & cedere voluisse censeri nequit, quia similia Jura Regalia velut directi Domini propria, adeoque magis principalia, sub sensum, & intellectum utilis Domini, quod videlicet præcise usum fructum Prædii, per Lignationem, Pascuationem, Glandinationem, & Terræ procreationem percipi solitum, involvit, per consequens minus principale est, pertrahi non possunt, nisi in Contractu expresse denominentur. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 11.) Si aliquis in Contractu semet ad persolutionem Censuum in certo numero Aureorum præstandam obliget, sed speciem Aureorum non exprimat, tunc satisfacit Contractui, si Aureos ordinarios deponat, vel in defectu Aureorum currentem illorum valorem in Argentea pecunia compenset, quia eo ipso, quod species Aureorum in Contractu expressa non sit, jam ab arbitrio obligantis dependet, hanc, vel illam Aureorum speciem eligere. *Utraque Tabula.*

(III.)

Ex Puritate Statutionis.

(Dec. 1.) Si Sexus Masculinus Bona per Sexum Fæmineum actualiter possessa titulo Novæ Donationis impetret, licet eatenus puram Statutionem obtineat, tamen ex puritate Statutionis Actionem non sortitur; quemadmodum enim Nova Donatio ad exclusionem Sexus Fæminei non sufficit, ita eo minus sufficit puritas Statutionis ex eadem Donatione profluentis, nam Fæminæ in possessorio existentes, præsidio Tituli 37. 1^{mæ} ita tutæ sunt, ut in hoc evidenti Legis casu contradictio illarum essentialiter non requiratur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.)

(Dec. 2.) Si in Possessione quapiam plures sint Compoffeffores, & unus ex illis Jus suum, quod ad totalitatem ejusdem Possessiones prætendit in tertium perennaliter transferat, hic vero Falsioni eatenus celebratæ Consensum Regium cum annexo Jure Regio superinducat, tametsi eatenus puram Statutionem obtineat, tamen ad ejiciendos actuales Possessores eidem Actoratus non conceditur, cum enim Consensus Regius, velut referens, ultra Falsionem tamquam relatum extendi non possit, hinc Falsione, quoad totalitatem solum jus sperativum pro objecto habente Compoffeffores intuitu actualis possessorii sui, ad quod utpote Statutio non extendebatur, contradicere non debebant. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Si Statuentes in Relatoriis suis hoc recognoscant, quod occasione Statutionis aliqui contradixerint, verum postea contradictionem suam revocaverint, interim Nomina illorum in Relatoriis specificè non exprimant, fundamento talis Statutionis ex puritate Actio non competit; cum enim eadem Statutio ex præmissis substantiali defectu sit illegalis, & vitiosa, hinc utique penes illam nihil aquiri potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si Donatarius quæpiam Bona impetret, & subsequenter eveniat, quod talia Bona ad aliquam Abbatiam pertineant, licet Sede Abbatiali vacante, semet pure Statui faciat, tamen fundamento talismodi puræ Statutionis Actionem non obtinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si Hypothecarius Possessor, Boni cujuscumque Statutioni per tertium in eodem Bono peractæ, contradicat, subsequenter vero talismodi contradictione affectum Bonum Proprietario remittat, deinde porro jam extra possessorium constitutus, ad dandam contradictionis rationem evocetur, & non compareat, per consequens contradictio illius cassetur, ac demum Donatarius Proprietarium ex puritate Statutionis impetat, in tali casu idem Proprietarius absolvi, & Donatarius ad Processum ex contradictione profequendum inviari solet; cum enim contradictio Hypothecarii sustentet etiam jus Proprietarii, & onus dandæ contradictionis rationis una cum remissione Boni in Proprietarium devolutum sit, hinc Donatario incubuisset illum evocare, quo nec citato, nec convicto contradictio semper in suo vigore permanfit, atque adeo Statutio pura non evasit. *Utraque Tabula.*

(IV.)

Ad revindicationem Bonorum contra contradictionem Statutioni oppositam occupatorum.

Actor ad revindicationem Bonorum titulo illo procedens, quod Bona eadem contra contradictionem occupata sint, esto falsionibus Testium in abstracto probet, Genitorem suum ante tempus Statutionis in possessorio fuisse, si tamen vicissim Incattus illum, cujus jura in se translata habet, æque in abstracto doceat, ante impetrationem in possessorio Bonorum existisse, tunc nisi Actor specificè remonstrat, Genitorem suum tempore Statutionis, vel hanc immediate præcedente, reale omnino possessorium impetratorum Bonorum tenuisse, Incattus absolvitur, præterquam enim quod his

in circumstantiis proba Actoreæ prætenſionis jam contraria Incati proba elidatur, inſuper pro natura cauſæ reſpectu illorum dumtaxat Bonorum Actoratus competit, quorum intuitu actuale, & reale poſſeſſorium occasione Statutionis præhabitu, Actor docere poteſt. *Utraque Tabula.*

(V.)

Liquidorum Debitorum.

(Dec. 1.) Inter Creditores illos, qui Intabulati ſunt, prælatio Debiti ad mentem Articuli 107. 1723. metienda eſt, a prioritæ Intabulationis, inter illos vero, qui Intabulati non ſunt, ab ætate contracti Debiti, ita quidem ut illi, pro quibus prioritas Judicialiter adinventæ fuerit, præ poſterioribus non tantum quoad Capitalem Summam ſed etiam quoad reſtans Interuſurium contentationem obtinere debeant, Interſe enim tamquam acceſſorium ſequitur ſuum principale, nempe Summam Capitalem. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si tota Familia cuiſpiam ex Familia digniori, & Succeſſoribus ejuſdem Maſculis ad magis congruam ſuſtentationem, adeoque præter, & ultra portionem ejuſdem certam Bonorum partem excindat, ille vero tanta Debita contrahat, ut totam ejuſdem ſubſtantiam abſorbeant, caſu in hoc etiam præmiſſa Bonorum particula pro fundo expunctionis Debitorum deſervire debet, neque obſtat, quod ſimilia Bona Debitori in portionem data non ſint, cum enim legalibus Majoratus, & Fidei Comiſſi requiſitis affecta non fuerint, idcirco licite onerari poterant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Debitor perſolutionem Debiti offerat, Creditor vero illud ſine legali cauſa levare detrectans, ad Litem prorumpat, nec Interuſurium a die oblationis, nec expenſæ Proceſſuales adjudicari ſolent; quia præmiſſa Creditoris in levando debito renitentia ſit ex motivo vexæ, vel Fænerationis, hæc autem Legibus damnata eſt, expenſæ vero ideo non currunt, quia Debitor in præmiſſis circumſtantiis pro moroſo reputari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si Uxor una cum Marito obligatorias ſubſcripſit, mortuo vero Marito, & Creditore perſolutionem Debiti urgente, Vidua illud ex integro perſolvendum appromittat, hac interim neglecta, ſubſequenter propterea in Jus vocetur, & eotum mediætem oneris ex ratione coobligationis in ſubſtantiam Maritalem derivari petat, iſtud non admittitur, verum ſola in perſolutione totius Debiti convincitur, quia per præmiſſam oblationem a favore, ſi quem etiam ex Obligatoriis depromere potuiſſet, facto proprio reſceſſit, quemadmodum vero contra factum proprium nemini datur Actio, ita etiam nulla ſuffragatur excuſatio. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Quamvis Articulus 28. 1715. Cauſas liquidorum Debitorum ſolum tunc Tabulis Diſtrictualibus dijudicandas deſſerat, quando Summa pure Capitalis Mille florenos excedit, cum nihilo minus ibidem immediate hoc ſubjiciatur, quod infra Mille florenos Judices Comitatenſes judicare debeant, idcirco in caſu illo, quo Summa pure Capitalis recte florenos Mille conſtituit, Judicatus Tabularum Diſtrictualium ſubſiſtit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.)

(Dec. 6.) Unus Creditor non habet Actionem contra alterum Creditorem ex prælatione Debiti, donec principalis Debitor adæquate excutiatur, & apud illum fundus contentationis penitus deficiat, quia obligatio principalis Debitoris illucisque non cessat, donec vel minimum fundum habeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Licet in Obligatoriiis Interusurium per expressum non obligetur, si nihilominus terminus solutionis per Debitorem positus fuit, vel intuitu persolvendi Debiti Admonitio Judicialia erga eundem præmissa existit, a termino appromissæ solutionis vel factæ Admonitionis Interusurium adjudicari solet, quia Debitor terminum solutionis ponens, ultra illum pecunias Creditoris sine fructu retinere non velle, & Creditor debitum suum Judicialiter repetens, idem apud Debitorem diutius sine Interusurio relinquere nolle censentur, sed & alias rem alienam contra Judicialiam repetitionem, vel Admonitionem retinens, sensu Tituli 71. 2^{dæ} censuram malæ fidei incurrit, talis vero ad lucri cessantis, & damni emergentis compensationem de omni Jure tenetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Quamvis Chartabianca omnes legales condiciones recipiat, si nihilominus in eadem conditio solvendi Interusurii expresse apposita non est, illud per Creditorem prætendi nequit, quia juxta Articulum 144. 1647. Interusurium non secus, quam si per expressum obligetur exigi potest, & in præmissis casu paritate Tituli 81. 1^{mæ} Creditor Debitori ex Christiana charitate Capitale sine Interusurio mutuare voluisse censi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Summa pure Capitalis solum Mille Hungaricales, non vero Rhenenses florenos adæquet, Causa eatenus suscitata, ad Judicatum Tabulæ Districtualis non pertinet, cum enim floreni Rhenenses per totum Regnum recepti sint, idcirco Articulus 28. 1715. de Rhenensibus conditus fuisse censi debet. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) In liquidis Debitis defectu fundi apud Debitorem subversante, potest unus Creditor extra possessorium constitutus contra alterum Bona Debitoris jure Executionali possidentem, ad superinscriptionem procedere, cujusmodi Superinscriptio ita discerni solet, ut vel prætendens Possessorem, vel e contra Possessor prætendentem exolvat, taliterque utrumque Debitum Bono Debitoris investiatur, quo facto, neutri sit injuria, quia uterque suum consequitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si quispiam Bona Debitoris jam prævie alicui Creditori pro speciali hypotheca obligata, bona fide perennaliter comparet, Creditor vero nec per Intabulationem debiti securitati suæ prospiciat, neque vero occasione præmissæ venditionis erga Emptorem inhibitionem peragi faciat, in tali casu debitum suum ex iisdem Bonis amplius requirere non potest, quia Emptor non tenebatur scire utrum præattacta Bona onere quopiam affecta sint, nec ne? verum Creditori incubuisset Emptorem eatenus edocere, & securitati suæ tempestive consulere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si quispiam alterum requirat, ut pro parte sua certam Summam ab aliis mutuo conquirat, eidemque desuper Chartabiancam transmittat, subsequenter vero post plures Annos talis

requisitus penes præattactam Chartabiancam ad desumptionem Debiti procedat, & occasione illa Incattus exceptionem non numeratæ pecuniæ obvertendo, eatenus etiam semiplenam probam præstet, in supplementum vero illius Juramentum offerat, e converso Actor realem pecuniæ numerationem docere non possit, in hoc casu Juramentum admittitur, atque adeo præensione Actoris per exceptionem non numeratæ pecuniæ elisa, Incattus absolvitur, quia in præmissis circumstantiis vigor Obligatoriarum ab eventu numerandæ, & per Incattum effective percipiendæ pecuniæ dependebat, hac proinde non eveniente, eadem Obligatoria nullum effectum producere possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si duo Creditores ex prioritate contracti Debiti de prælatione contendant, quantumvis unius Obligatoria prius emanaverint, quam alterius, si nihilominus ex Actis Processualibus eveniat, quod ille, qui priores Obligatorias habet, posterius numeraverit Debitori pecuniam, quam alter, tunc illi, qui posteriores Obligatorias habet, sed prius numeravit pecuniam, prælatio competit, quia Obligatoria primo tunc incipiunt vigorem habere, quando per effectivam pecuniæ numerationem Debitum realiter contrahitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si Debitor uni ex Creditoribus Bona sua per privatum Contractum pro resignatis declaret, nihilominus ejusmodi resignatio ex parte resignantis per formalem traditionem, ex parte vero recipientis per effectivam prout Titulus 24. I^{mæ} præscribit, in usum, & Dominium Boni pedum impositionem in realem effectum non deducatur, atque adeo in nuda charta subsistat, subsequenter vero alter Creditor semet ad eadem Bona modalitate Lege præscripta, Intabulari curet, in hoc casu iste præ altero prælationem obtinebit, quia resignatio illa, velut in privato facta, realique traditione, & apprehensione destituta, non æquipollet solenni, & publicæ Intabulationi. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Talis Creditor, qui respectu Debiti sui Litem movit, & Debitorem suum etiam convinci fecit, verum Executionem peragi non curavit, præfertur quidem Creditoribus non intabulatis, ante illos tamen, qui intabulati sunt, licet intabulatio eorumdem posterius intercesserit, prioritatem non obtinet, quia Intabulatio est solenne, & Lege publica introductum consequendæ prælationis medium, adeoque Litis motio, & Sententia per realem effectum, & Bonorum assignationem nondum consummata eidem comparari non possunt. *Septem-Viralis Tabula.*

(Dec. 16.) Si in Literis Obligatorii Interesse obligatum, & Terminus solutionis positus non est, sed neque Admonitio Judiciaria intuitu persolvendi Debiti præcesit, etiam si Creditor a Debitore iteratis vicibus debitum amice repetiit, tamen Interusurium non currit, quia actus privatæ repetitionis non potest ad illam efficaciam elevari, sicut actus Judiciariæ Admonitionis, per consequens neque similem effectum producere potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.)

(Dec. 17.) Si Creditor quodpiam Bonum Debitoris apprehendat, postea vero per alterum Creditorem ex prioritate juris excutiatur, interim Debitor idem Bonum majoris oneris ferendi capax esse prætendens, Creditori prævio modo excusso, superfluitatem fundi pro excontentatione offerat, iste autem oblatione hac repudiata, ad alia Debitoris Bona regressum summat, sed neque ibi contentationem obtineat, porro medio tempore Debitor Bonum illud, ex quo dictus Creditor excussus fuit, tertio perennaliter vendat, Emptorque Falsioni eatenus celebratæ Consensum Regium superinducat, ac insuper a Creditore tali, qui præ aliis prioritatem, & in prædeclaratis Bonis specialem hypothecam habebat jus, & prætensionem istam comparet, tunc Creditor ille excussus, amplius ad eadem Bona regredi non potest; quia per prædeducta incidentia Bona ita alterata sunt, ut in statu simplicis Crediti haud subsisterint, per consequens prætensionem Creditorum amplius subterni non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Si Debitor Creditori in sortem Debiti statim Bona resignet, ac insuper hanc conditionem adjiciat, ut in casu eo, quo idem Creditor per Hostiles incursiones ex possessorio eorundem Bonorum excluderetur, ex aliis Debitoris Bonis sibi satisfactionem procurare possit, hic autem casus eveniat, tunc Creditori non tantum Capitale, sed etiam Interusurium adjudicari solet, cum enim fructus Bonorum, qui vices Interusurii subibant, cessaverint, idcirco utique Interusurium iisdem substitui debet. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 19.) Si Dominus Terrestris apud Jurisdictionatum suum Debitum contrahat, iste vero profugiat, & postea Dominus ille Terrestris, sub cujus jurisdictionem se recepit, ad desumptionem præscripti Debiti Processum suscitet, in tali casu Actoratus eousque sistitur, donec profugus ille obligationi suæ secundum Leges de migratione Colonorum sancitas, satisfaciat, quia Leges solum veris, & legitimis Dominis Terrestribus Nomine Colonorum, vel Jurisdictionatorum suorum agendi facultatem tribuunt, talis autem, qui Colonum alterius profugum sub protectionem suam recipit, pro legitimo ejusdem Domino Terrestri reputari nequit, donec cum priorre Domino concordet. *Tabula Regia.*

(Dec. 20.) Si Debitor de persolvendo Debito admonitus, vel requisitus sufficientem in conformitate Legis fundum, signanter vero certa Mobilia denominet, verum Creditor illa acceptare detrectet, & ideo Debitor Capitali renunciando, præattacta Mobilia ad manus Judicarias resignet, tunc comperto eo, quod fundus ille sufficiens fuerit, Creditor non tantum Interusurium a die resignationis fundi, verum insuper ex resignatis Mobilibus portionem Judicariam, seu Vigesimalitatem amittit, quia in similibus circumstantiis Creditor Lege damnatam Usurariam pravitatem exercere, & Litem contra Debitorem ex puro vexandi studio persequi velle censetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si in Causa liquidi Debiti Incattus seu ob non probatam per Actorem Debiti realitatem, seu vero ex alio incidenti absolvatur, Actor propterea in refusione expensarum indebite cau-

satarum convinci non potest, dummodo eundem mala fide, & ex puro Partem I. vexandi studio egisse non eveniat; quia eatenus nulla Lex exstat, in odiosis vero, & pœnalibus nihil absque Lege statuendum est. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 22.) E converso si Debitor Creditorem per Quietantias, vel alias etiam de perfolutione Debiti sufficienter capacitet, eo tamen non obstante Creditor Litem temere prosequatur, in tali casu in expensis convinci solet, quia mala fide, & calumniose agit, adeoque nullum Juris favorem meretur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Idem fit, si Actor plane nihil probare possit, adeoque prætensum Debitorem ex puro vexandi studio impetat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Si quispiam Domum suam in Civitate habitam, vendat, & Emptor pretium non deponat, proptereaque in Litem vocetur, non potest pro fundo excontentationis rursus eandem Domum venditori obtrudere, licet Debitum inde promanaverit, tum quod Venditio jam plene consummata fit, tum vero quod juxta Articulum 31. 1659. Executio in liquidis Debitis debeat primum in paratis pecuniis, illis vero non exstantibus, in Juribus Possessionariis, ac demum in horum quoque defectu, in rebus mobilibus fructuosis, & facile in pecuniam convertibilibus peragi, fundi autem Civiles sub classem Jurium Possessionariorum non veniant. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 25.) Si Pater Debitis involutus, decedat, Filii vero nullam prorsus actualem Successionem post eundem obtineant, verum primo post fata illius quodpiam Avitum Bonum adhuc per Antenatos suos perennialiter abalienatum, requirant, tunc Bonum illud præattactis oneribus Paternis subjici non potest, cum enim Bonum hoc perennialiter a Familla abalienatum, adeoque revindicatio ejusdem dubia fuerit, idcirco Filii reacquisitionem illius immediatæ Successioni Paternæ adscribere non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Si Debitum Actionale fit ita dubium, & obscurum, ut Actor probas suas Juramento supplere debeat, quamvis Admonitio Judiciaria præcesserit, tamen Interesse non adjudicatur, quia Interfusurium dumtaxat in Liquidis Debitis currit, præmissum autem debitum non fuit in se liquidum, sed primo per Juramentum evasit tale, expensæ nihilominus etiam in prædicto casu adjudicari solent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Si in Fundamentali Liquidi Debiti Processu Actor triumphet, eidemque Capitale una cum restante Interfusurio, & Expensis adjudicetur, postea vero Succumbens contra illum novisset, interim Novisatus rursus triumphet, tunc illi denuo expensæ adjudicari solent, quia Novum est continuatio Processus Fundamentalis, quemadmodum itaque in illo ex natura Causæ expensæ adjudicari debebant, ita etiam in Novo. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.) Si Creditor erga præsentatam sibi sub Sigillo Communitatis Oppidanæ, & subscriptione Senatorum Obligationem ad communes Oppidi necessitates pecunias elocet, etiam si subsequen-

quenter eveniat, quod subscripti illi Senatores præattactum Mutuum non in publicas, sed privatas necessitates converterint, tamen Debitum hoc tota Communitas persolvere tenetur, salvo ejusdem ad subscribentes regressu, quia Creditor cum debitis præcautionibus pecuniam suam bona fide toti Communitati elocans, non tenebatur in id inquirere, quonam Summa illa subsequenter conversa fuerit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.) Si quispiam alteri Merces, vel alia idgenus Mobilia vendat, iste vero pretio non deposito easdem Merces rursus in tertium transferat, postea Venditor prætermisso primo Emptore, ad defumptionem pretii contra actuale Possessorem Actionem Liquidi Debiti suscitet, talis Actio non subsistit, quia Creditor contra illum agere debet, qui eidem immediate obligatus est. *Tabula Regia.*

(Dec. 30.) Si Creditor selectivam sibi obligatam habeat, tunc Debitore mortuo, & Successoribus ejusdem Bona Paterna dividendis, Creditor non tenetur omnes Successores in Litem vocare, sed tantum illum qui fundum pro excontentatione Debiti Selectum possidet; quia in præmissis casu Creditor vi selectus sibi attributi Debitum suum jam speciali fundo alligat, cum itaque res cum onere vadat, idcirco Possessor fundum illum substernere tenetur, salvo ejusdem ad reliquos Condivisionales suos regressu. *Utraque Tabula.*

(Dec. 31.) Creditor per realem Executionem sibi in Bonis Debitoris Satisfactionem procurans, licet Debitum illius intabulatum non sit, per alterum Creditorem post ejusmodi Executionem semet intabulari curantem, ex possessorio excuti non potest, quia Intabulatio solum contra illos Creditores, quos in petitorio deprehendit, prælationem conciliat, adeoque præcedens Executio tamquam publicus, solennis, & cum reali possessorio conjunctus actus, eidem præponderat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 32.) Si Mercator Debitis obrutus clam profugiat, & sub ipso profugio ab exteris Provinciis erga Creditum Merces accipiat, de quarum adventu ille nihil scit, verum eadem Merces per Sordalem ipsius apprehendantur, & in Fornicem reponantur, postea vero profugio ejus vulgato concursus Creditorum fiat, & Creditor ille, qui præattactas Merces submisit, easdem vel ex eo a massa Contentationi Creditorum destinata, eximi, sibi que in specie restitui petat, quod licet in Fornicem profugi repositæ fuerint, per ipsum attamen velut jam eorum profugum, & absentem apprehensæ non exstiterint, sed nec apprehendi potuerint, taliterque proprietas illarum, quæ non secus, quam per realem traditionem, apprehensionem, & usucapionem transferri consuevit in illum transderivata non sit, in hoc casu non obstantibus præmissis reflexionibus Merces illæ ad Massam Creditorum assummi debent, quia Principium illud: quod rerum proprietas per realem traditionem, apprehensionem, & usucapionem transferri soleat, dumtaxat quoad Bona Immobilia quæ brevi manu, non vero quoad Commercialia quæ longa manu tradi, & apprehendi consueverunt, militat, quin imo eo ipso quod prærepetitæ Merces ex longinquis oris ad fortunam, vel infortunium, idest ad periculum Mercatoris profugi

expeditæ fuerint, jam proprietas neminem alterum quam ipsum concernebat, nam cui periculum rei incumbit, ad illum etiam proprietas rei a primo motu pertinet, cum utpote res Domino suo perire consueverit; præterea in his circumstantiis sufficit, quod crebrofatae Merces per Sodalem, qui Herum suum, de cujus videlicet profugio adhuc eotum genuine non constabat, representavit, apprehensæ, & perceptæ existerint. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 33.) Intabulatio Debitorum coram Magistratu Oppidi privilegiati, vel vero coram Officiolatu Dominali facta, non tenet, quia Articulus 107. 1723. prærogativam hanc pure ad Comitatus, & Civitates restringit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Tametsi Titulus 27. 1^{mæ} innuat, quod sub Lite nihil innovari possit, si nihilominus plures Chirographarii contra debitorem Litem suscitent, & nonnulli sub ipsa Lite debitum suum intabulari curent, talis Intabulatio valet, quia Litis motio Legetenus ordinatum Intabulationis beneficium non suffert. *Utraque Tabula.*

(Dec. 35.) Si quispiam Vineam, vel alium similem fundum emat, & Pretium illius non deponat, verum superinde Venditori Obligatorias det, easdemque ita stiliset, ac si Summam illam mutuo levasset, subsequæ dein Venditor Emptorem penes tales Obligatorias in Jus attrahat, & convinci faciat, tunc Venditor non tenetur fundum venditum in illo pretio recipere, in quo eundem Emptori divendidit, verum in valore occasione Executionis per condignam æstimationem eruendo, sæpe enim fit, ut Emptor ex pretio affectionis pro aliquo Bono multo plus promittat, quam quod valet, sed & alias pretium antelati fundi sive propter circumstantias, aut fatalitates temporum, seu vero propter malam cultivationem poterat medio tempore decre-scere, & ideo Venditor similem fundum nonnisi in illo statu, & valore, in quo eundem Executio reperit, acceptare obligatur, per consequens si æstimatio illius Summam convictionalem non adæquet, tunc tenetur Emptor restantiam ex alio fundo supplere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 36.) Si apud debitorem defectus fundi subversetur, tunc primum, & ante omnia exolvuntur onera natura sua privilegiata, qualia sunt Onera Publica, & Contributionalia, Allatura Uxorea, si modalitate in Titulo 110. 1^{mæ} circumscripta legitimetur, Dos legalis, merces Fatigiorum, Medici, & Chyrurgi debitorem curantium, Servitorum item, & Mercenariorum, pretium Medicinæ, & Mercium pro sepultura debitoris requisitarum, aliæque expensæ Funebrales, item Fidei comissa, deposita, & commodata, non secus etiam expensæ pro conscriptione, in ordinem redactione, & conservatione Massæ Debitoralis erogatæ; post ista sequuntur Creditores præscripto Articuli 107. 1723. in Comitatibus, vel Civitatibus intabulati, juxta Seriem improtocolationis contentandi, nihilominus Intabulationes in Privilegiatis Oppidis, vel Sedibus Dominalibus ex eo; quod ibidem authentia Prothocollo non habeantur, nullam reflexionem subeunt; demum Intabulatis Creditibus succedunt simplices Chyrographarii juxta ætatem contracti debiti exolvendi, ad quorum classem etiam illi Creditores referuntur, qui Intabulati quidem sunt, verum Intabulatio illorum

ex quoquam incidenti pro illegali, & inoperosa reputatur, exempli causa si Intabulationes fiant post mortem Debitoris, dum jam Fallimentum ejusdem ad notitiam publicam devenit. Porro si plures Creditores uno, eodemque tempore intabulentur, adeoque unus ante alterum ex prioritare Intabulationis sibi prælationem vendicare non possit, tunc æque prioritas ab ætate contracti Debiti metienda venit; denique ad ultimam classem referuntur Auszugaliftæ, Dos autem scripta ad classem Debitorum pertinet, & pro ratione circumstantiarum videlicet habita reflexione ad Intabulationem, vel in defectu illius ad ætatem emanationis Contractus, aut Obligationis Dotalisticæ ita tractatur prout alia Debita. *Utraque Tabula.*

(VI.)

Ad acquisitionem Mobilium, Allaturæ, Dotum, & Paraphernorum.

(Dec. 1.) Dos scripta primum quidem ex aquisitis, illis vero non existentibus, vel non sufficientibus, si excessiva non sit, etiam ex Bonis Aviticis Maritorum Viduabus adjudicari solet, quia Avita eousque onere quoquam affici nequeunt, donec existant aquisita, Dos autem scripta subit vices Legalis, quemadmodum proinde hanc, ita etiam illam Mulieres ex Bonis Maritalibus repetendi jus habent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) In casu illo, quo Collaterales, vel Fiscus Regius per defectum cujuspiam successionem adeunt, tenentur Allaturam Viduæ deficientis persolvere, dummodo quantitas illius, & in Bona Maritalia facta investitio ad exigentiam Tituli 110. 1^{mæ} sufficienter doceri possit, quodsi vero investitio illius probari nequeat, præexistentia tamen, & deventio ad Maritum constet, casu in hoc Viduæ ad aquisita Mariti relegari solent, quia sæpe Mariti invitis Uxoribus Allaturam illarum pessumdant, justum proinde est, ut eatenus ex aquisitis eorundem compensatio fiat, nam alioquin consumpta solum eorum habentur pro consumptis, quando nullus redintegrationis fundus superest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Etiam si Mulier Maritum suum deserat, & extra Lares illius degens, usque obitum ipsius cum eodem non convivat, tamen si causa desertionis prævie per Forum Spirituale non cognoscatur, Juribus Vidualibus frustrari non potest, quia desertio eousque pro culposa non reputatur, donec in sua competentia pro tali declaretur. *Septem-Viralis Tabula.*

(Dec. 4.) Tametsi juxta Titulum 99. 1^{mæ} Vidua de rebus Mobilibus defuncti Mariti sui æqualem cum Prolibus portionem tollat, Vitricus tamen a paritate hujus Legis non potest prætere porem cum Privignis suis portionem ex mobilibus defunctæ Uxoris suæ, tum quod beneficia, quæ Viduabus propter afflictum earundem statum, & Sexus imbecillitatem per Leges concessa sunt, ad Viduos traduci non possint, tum vero quod Proles juxta Titulum 54. 1^{mæ} Bona semet Jure Materno concernentia cum Parente dividere non teneantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Uxores, vel Viduæ solum in tantum coaquisita prætere, vel de illis libere disponere possunt, in quantum per contrariam Maritorum dispositionem Jus coacquisitionis Uxoreæ non alteratur, cum enim juxta Titulum 18. 1^{mæ} Viri sint principalia acquisitionis Instrumenta, idcirco æquum est, ut illi de coaquisitis eminens, & independens disponendi Jus habeant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Maritus Uxore sine Prolibus decedente, non tantum Mobilia ejusdem aquisita præ manibus suis habita retinendi, sed etiam, si quæ per Genitores, vel Consanguineos illius apprehensa sunt, eadem repetendi jus habet, quo in casu similia Mobilia una cum Literalibus sub Juramento revelari, & eidem resignari debent, cum enim Mobilia, & Literæ facile occultari, & distrahi possint, idcirco juxta Articulum 138. 1647. jam in consuetudinem abiit, ut sub Juramento revelentur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Uxoribus juxta Titulum quoque 93. 1^{mæ} & receptam Praxim Judiciariam nonnisi post fata Maritorum ad acquisitionem Dotis Actio realis enascitur. Porro alia est ratio Dotis legalis, alia scriptæ, quoad priorem etiam si Uxor præmoriatur Marito, tamen propingvioribus ejusdem contra Successores Mariti Actio competit, e converso posterior tamquam inter res Mobiles computanda, Uxore sine Testamento præmorta, vi mutæ Conjugalibus Successionis in Articulo 11. 1687. fundatæ, ad Maritum recidit, quia Dos legalis est necessitatis, scripta vero est liberæ voluntatis ex nudo Maritorum Uxoribus complacendi studio promanans, jam vero hæc complacentia ita interpretari nequit, ut Maritus beneficio legalis in Articulo 11. 1687. fundatæ Successionis renunciare voluisse censeferi possit; præterea sensu Tituli 93. 1^{mæ} Viduæ præter Dotem usque mutationem votorum etiam subsistentiam, seu intertentionem Vidualem ex Bonis Maritalibus prætere, quia quousque Nomen Mariti gerunt, representant in Bonis ipsum Maritum. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Vidua præte, & Successores præmortui Mariti docere possint, quod similia coaquisita adhuc vivente ejusdem Marito consumpta fuerint, Successores ad talium compensationem non obligantur, quia in præmissis circumstantiis paritate etiam Tituli 110. 1^{mæ} consumpta, pro consumptis haberi debent. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 9.) Dos legalis suffertur per provisionem Dotis scriptæ, adeoque Vidua utramque prætere non potest, quia provisio hominis tollit provisionem Legis. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Sola recognitio Mariti ad probandam Allaturæ Uxoreæ quantitatem non sufficit, quia ut Titulus 110. 1^{mæ} habet eo admisso sæpe Mariti ex nimio, quo erga Uxores suas feruntur amore, iisdemque complacendi studio, Bona sua Avitica in præjudicium legitimorum Successorum excessivis oneribus involverent. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 11.) Si tam ex propria Mariti recognitione, quam vero ex aliis in adminiculum illius productis Instrumentis eveniat, quod Uxor ad Lares Mariti certam Summam pecuniariam attulerit, quodve

quodve Maritus illam ad manus suas receperit, & ex eadem Bona sua reluerit, melioraverit, aut Debita Paterna, Fraternalis, vel etiam propria ante initum Matrimonium contracta, & Avitas hæreditates suas afficientiã expunxerit, taliterque ejusmodi hæreditates suas exoneraverit, vel denique hæreditates Uxoris suæ vendendo Summam exinde perceptam in redemptionem, aut eliberationem priorum Bonorum ad publicam multorum notitiam converterit, hæc vero omnia citra ullam fraudis, & doli suspicionem prout Titulus 110. 1^{mæ} requirit, acta fuisse, ex rei gestæ serie, temporisque, & circumstantiarum combinatione eveniat, præsertim si etiam hæc circumstantia subversetur, quod Maritus ex tali Uxore Proles suscipiens, adeoque extra metum defectus constitutus eidem Uxori suæ ex puro complacendi studio in præjudicium Successorum suorum super quantitate, vel investitione Allaturæ ejusdem fictam recognitionem, vel obligationem dedisse rationaliter subsummi non possit, in præmissis inquam, & similibus circumstantiis Allatura Uxoris ex Bonis Maritalibus præferenter excindi debet, quia Allatura Bonis Maritalibus irradicata, tamquam speciali Legum privilegio gaudens, nullis Maritorum oneribus, vel involutionibus obnoxiiatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si ex Actis Processualibus eveniat, quod post fata Mariti Viduæ Bona Maritorum Avitica distraxerint, aut debitis oneraverint, vel culpa, & negligentia sua desolari, aut quidpiam ex illis avelli permiserint, tunc præscripto etiam Articulorum 61. 1618. & 67. 1622. tam Debita, quam vero deteriorationes, & avulsiones occasione Executionis comperiendæ, ex Allatura, & Juribus earundem Vidualibus deduci, & redintegrari solent; quemadmodum enim justum est, ne Viduæ Juribus suis Vidualibus frustrentur, ita e contra positivæ Legis est, ne Bona Avitica onerentur, aut distrahantur, verum in statu illo, in quo Divisionem ingressa sunt, ad Successores transmittantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si Maritus Uxori suæ titulo Parapherni certam Summam obliget, verum illam ad determinatum Bonum, absque ulla ad alia Bona Obligationis extensione restringat, subsequenter vero præattactum Bonum cum scitu, & citra ullam Uxoris reclamationem abalienet, tunc eatenus prætenso Uxoris cessat, quia per intermissam reclamationem sentu Tituli 12. 2^{dæ} tacitum in præmissam abalienationem consensum præbuisse censetur, volenti autem, & consentienti non fit injuria. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Si Vidua Allaturam suam meris privatis, & minus authenticis recognitionibus probare velit, & insuper pro edocenda tam quantitate, quam vero investitione ejusdem Juramentum offerat, tale Juramentum rejici solet, quia Titulus 110. 1^{mæ} eatenus modum, & formam probandi præscribens, Juramentum excludit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si Privigna contra Novercam suam in statu Viduali constitutam, ad obtinendam in Bonis Paternis, & Maternis Successionem Processum moveat, & tam Actrix Allaturam prædefunctæ Matris suæ, quam vero Incatta Vidua suam Allaturam repetant, & legitiment, tunc Allatura Actricis prius excindenda ordi-

natur, cum enim Mater illius ordine Matrimonii fuerit prior, & Allatura quoque ejusdem in Bona Maritalia prius investita sit, idcirco æquum est, ut etiam in adjustmente prælationem obtineat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Si Viduæ Dotem scriptam non habeant, tunc ordinatur illis Dos legalis, item Residentia Vidualis, & Statui competens subsistentia, seu intertentio. Residentia tamen, & intertentio solum usque mutationem votorum, aut mortem Viduæ durant, deinde vero ad Successores Mariti recidunt, pro Allatura autem Viduarum, si ad præscriptum Legis probetur, solet excindi pars Bonorum Maritalium titulo pignoris, videlicet usque depositionem ejusdem Allaturæ possidenda. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) In casu Divisionis inter Privignos, & Novercam Viduam instituendæ, Vidua tenetur universa Mobilia post obitum Mariti remansa, sub Juramento revelare, Literas Bona Maritalia concernentes, æque sub Juramento producere, & Privignis suis resignare, ex cujusmodi taliter revelatis Mobilibus primum, & ante omnia deducuntur expensæ Funerales, & Processuales, distracta in portionem distrahentis imputantur, & demum residua, demptis tamen illis, quæ uni, vel alteri Partium ex peculiari Lege private competunt, sensu Tituli 98. 1^{mæ} æqualiter dividuntur, nihilominus Annulus Paternus Sigillaris in signum Paternæ recordationis Filiis, vel Filiabus, Annulus vero Sponsalitiis Viduæ relinquatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Si Filia per Masculum citra adjustmentem Allaturæ, & Dotis Matris suæ competentium, ex Bonis Paternis via facti ejiciatur, tunc eidem Allatura Materna, si illam modalitate Lege præscripta legitimare possit, non secus etiam Dos Matris una cum fructibus tam hujus, quam illius a die ejectionis usque ad diem Executionis computandis, adjudicari, ipsa vero in Bona Paterna per alteram Partem sub Juramento revelanda, reponi, quin imo nisi peculiare circumstantiæ obstant, etiam fructus similium Bonorum Matri quidem Viduæ jure Viduali, Filiæ autem jure Capillari competentes, Filiæ ejectæ adjudicari solent, cum enim Leges spoliatos primum, & ante omnia in integrum reponendos præcipiant, idcirco eatenus præ omnibus aliis Viduabus, & Pupillis tamquam sub peculiari Legum protectione stantibus, succurrendum est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) Licet Jura Vidualia certo respectu privilegiata sint, si nihilominus Uxor cum Marito coobligata sit, tunc prætextu eorumdem Jurium Vidualium ante Creditores præcedentiam consequi non potest, quia per coobligationem jam Juribus suis Vidualibus derogavit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Dos Legalis velut speciali Legum privilegio gaudens, ante omnia alia Debita præferenter excindi debet, e converso Dos Contractualis, vel Inscriptio Conjugi per Maritum facta, naturam simplicium Debitorum imbuat, & ad classem illorum pertinet, adeoque prætextu privilegialitatis anterioribus debitis præferri nequit; quia anteriores Creditores jam habent jus quæsitum, & tacitam

tacitam hypothecam in Bonis Debitoris, quod jus sine concursu illorum per Contractum Dotaliticum inter Conjuges celebratum, tolli nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Quamvis Bona quæpiam per Donationem ita regulata sint, ut in casu defectus Sexus Masculini depositis per Fiscum Regium Sexui Fæmineo Investituris, rursus ad Sacram Regni Coronam recidant, si nihilominus ultimus Deficiens Viduam, & Filias in Capillis constitutas, post se relinquat, eadem Jure Viduali, & Capillari privari non possunt, per consequens talibus Bonis immanere debent, Vidua enim donec ad secunda vota transeat, defunctum Maritum, & Puellæ quousque in Capillis constituuntur, Parentem suum representant, adeoque sensu etiam Titulorum 29. 30. & 98. 1^{mæ} ex Bonis excludi non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 22.) Si Uxor ad acquisitionem Dotis scriptæ, vel Maritus ad defumptionem Contra Dotis, aut aliarum idgenus præensionum occasione contractorum Sponsalium pro, & contra obligatarum coram Judice Pedaneo procedant, tunc similes præensiones in defectu aquisitorum etiam ex Aviticis adjudicari, Causaque tali via Appellatæ ad Curiam Regiam deducta, ibi quoque applacidari solent, quia sensu Articulorum 28. 1715. & 31. 1723. Judices Pedanei verbali Contractuum, & Obligationum tenori allegati sunt, jam vero occasione revisionis Processus Appellati Curia Regia representat illum Judicem, qui in Partibus Causam definivit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Quamvis Tituli 98. & 103. 1^{mæ} Dotem Legalem adeo privilegiatam esse statuant, ut si Maritus Bona sua alteri impignoret, & alter fundus excontentationis non adesset, tunc illo decedente Vidua ejus ab illo etiam, qui defuncti Mariti ejus Bona in pignore tenet, Dotem suam requirere valeat, tamen si Filius vivente Patre Uxori suæ Contractualem Dotem obliget, & Pater ejusmodi Contractum non subscribat, ac ita Filius extra possessorium Bonorum constitutus, antequam videlicet Divisionem ineat, Patri præmoriatur, tunc Vidua, esto probet, quod Bona illa, quæ Socer possidet, Avita sint, tamen Contractualem Dotem a Socero suo acquirere non potest, quia præcicatorum Titulorum dispositio ad legalem dumtaxat Dotem restricta est, Filius vero vivente Patre de Bonis per Patrem possessis, nullum Contractum juxta Titulum 51. 1^{mæ} inire, per consequens nec illa onerare potest, Pater præterea in Bonis per se possessis Filio non succedit, adeoque nec solutioni Contractualis oneris subijci potest; Vidua igitur Filii Legali Dote quam præcitati Tituli privilegiatam, adeoque de Bonis etiam extra possessorium constitutis, jure tamen Successionis Maritum concernentibus, depurandam statuunt, contentari debet. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 24.) Quamvis Vestes Nuptiales occasione desponsationis per Sponsum Sponsæ datæ, juxta Titulum 93. 1^{mæ} naturam Paraphernalium redoleant, & illæ privative Sponsam concernant, si tamen non effective datæ, sed promissæ tantum sunt, adeoque eatenus per Maritum Obligatio data fuerit, Vidua vero in rebus

Mobilibus defuncti Mariti sui effective Successionem adipiscatur, tunc amplius excontentationem titulo Vestium Nuptialium obligatæ Summæ a Fratribus deficientis Mariti obtinere non potest; cum enim excontentatio talium juxta Titulum 95. 1^{mæ} reflexe ad præcitatum 93. ex Bonis, & rebus Mobilibus defuncti Mariti fieri debeat, in illis vero Vidua effective successerit, peculiaris ex Bonis Avitis depuratio sequi non potest, cum fundum, unde depuratio institui debuisset, Vidua possideat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) In Causis ad acquisitionem Dotum, Juriumque Vidualium promotis expensæ adjudicari non solent, quia expensarum in ejusmodi Causis refusionem nulla Lex imponit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Tametsi in casu eo, quo Vidua Deficientis ad secunda vota transeunte, Dos ejusdem Legalis in parato exolvitur, ejusmodi exolutio ex aquisitis Maritalibus fieri debeat, & nonnisi in defectu aquistorum ad Avita derivari possit, in casu tamen illo, quo Vidua statum suum non mutans, Bonis Maritalibus immanet, respectu Dotis suæ Legalis ad aquisita Mariti invita relegari nequit, quia in priori casu Vidua propter mutationem votorum jam ex Bonis Maritalibus emigrare debet, & ductu Tituli 95. 1^{mæ} Dotem suam nonnisi in pecuniis, aut rebus Mobilibus prætereundere potest, adeoque Dos Legalis in his circumstantiis dumtaxat per modum cujuscumque Debiti consideratur, jam vero sensu Articuli 49. 1723. Bona Avitica eousque nullis Debitis gravari possunt, donec existant aquisita; e converso in secundo casu, quo Vidua vota non mutat, taliterque Bonis Maritalibus immanet, Dos illius Bonis Mariti Aviticis irradicatur, quia juxta Titulum 98. 1^{mæ} a proportione ejusdem pars Bonorum Mariti, si Dotem longe excedant, pro intertentione Viduali juxta communem æstimationem excindi debet; hæc autem excisio dictamine ejusdem Tituli non ex aquisitis, verum ex Juribus Successionalibus, & hæreditariis, adeoque Aviticis Mariti Bonis fieri consuevit; unde manifeste conicitur, quod citata Lex in præmissis casu pro fundo Dotis Legalis omnino præcise Bona Avitica destinare voluerit. *Utraque Tabula.*

(VII.)

Ad acquisitionem Contra-Dotis.

Uxore sine Prolibus decedente, superstes ejusdem Maritus non solum in Mobilibus illius aquisitis succedit, sed insuper si defuncta Consors eidem Contra-Dotem obligavit, illamque alicui Fundo immobili aquisito, irradicavit, ille, qui in eodem fundo successit, tenetur ipsi ejusmodi Contra-Dotem exolvere, quia Mobilia competunt Marito ex Lege, Contra-Dos autem ex Contractu, adeoque unum cum altero confundi non potest. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(VIII.)

Ad exigendas Rationes Tutelares.

(Dec. 1.) Si Tutores Testamentarii, Dativi, & Legitimi per Pupillos jam perfectam ætatem attingentes, sine dandarum Rationum in Litem attrahantur, tenentur tam Inventarium occasione susce-

susceptæ Tutelæ confectum, quam vero alia universa Literalia, signaturas, & connotationes Bona Pupillaria quomodolibet concernentes, totam denique Pupilli Mobilem, & Immobilem substantiam sub Juramento revelare, & producere, si autem Partes circa formulam Juramenti convenire non possint, illam Judex manductione Articuli 30. 1729. ex Officio de visceribus causæ deponit, & Processui annectit, juxtaque illam Tutorem ad deponendum Juramentum stringit, Appellata per Tutorem ante, & citra depositionem talismodi Juramenti interposita, cum illud Revelatorium dumtaxat, non vero Litis Decisorium sit, non admissa. Porro onus reddendarum Rationum Tutelarium non tantum ipsis Tutoribus incumbit, sed etiam in Successores eorumdem, si Successio probari possit, redundat, quia Actio præmissa non est Personalis, sed rei persecutoria, adeoque sensu Articuli 40. 1729. eatenus Hæres factum defuncti præstare tenetur, si autem Tutor pro censura Rationum suarum tales adhibeat, qui ad exigentiam Articuli 68. 1715. per Comitatum deputati, & specialiter exmissi non fuerunt, vel vero etiam si Censura per taliter exmissos peragatur, nihilominus Comitatum non reportetur, ibidemque non revideatur, non obstante eo, quod Tutor per similem Censuram absolutus sit, adhuc tamen oneri dandarum Rationum obnoxiiabitur, præmissa vero omnia non tantum Tutores Dativos, Testamentarios, & Legitimos, sed etiam immisivos feriunt, & quia Tutores omnes Actiones suas præcise in commodum, & emolumentum Pupillorum dirigere tenentur, idcirco de omnibus damnis, & præjudiciis, quæ sive per dispendiosam Bonorum Pupillarium administrationem, sive vero aliter, qualitercunque culpa illorum Pupillis illata sunt, iisdem plenam, & adæquatam compensationem præstare obligantur, quin imo si malæ dispensationis rei comperiantur, vel ex Substantia Pupillari sibi quidpiam appropriarunt, ultra adæquatam eorumdem compensationem, in fructibus quoque, ex expensis convincuntur. Si nihilominus Pupilli ad perfectam ætatem pervenientes, Provisores, vel alios idgenus Subalternos Officiales sub Tutela œconomiam Pupillarem administrantes, insciis Tutoribus respectu aliquarum Positionum absolvant, eatenus amplius Tutores respondere non tenentur, quia Pupillus perfectam ætatem attingens, jam de rebus suis libere disponit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Cum Leges in genere quasvis damnosas Bonorum Pupillarium abalienationes, & involutiones vetent, idcirco etiam si similes abalienationes de fundis Civilibus, vel non liberis fiant, tamen annullantur, quia absque expressa Lege præsertim in odium Pupillorum, quibus cæteroquin omnia Jura favent, nihil statuum est. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 3.) Si Tutor absque prævio Inventario Bonorum Pupillarium administrationem suscipiat, tunc omnia ea, quæ Pupilli viventibus Parentibus suis præexistisse probabunt, & e converso Tutor per Genitores illorum distracta fuisse non remonstrabit, ipsis bonificare tenetur; cum enim Tutelam absque Inventario adiverit, taliterque expressæ Legis dispositioni prævaricatus sit, hinc damnum, quod exinde sentit, culpæ suæ imputandum habet, damnum vero, quod quis culpa sua sentit, sentire non videtur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Tutor a Summa ex pretio rerum Pupillarium servando non servabilium, vel secus quoque non fructificantium collecta eruto, Pupillo Interusurium solvere non tenetur, quia alioquin pro omni eventu ad varias Pupillorum personales æque ac reales necessitates semper aliquas pecunias debet reservare, quæ cum nullum profus fructum afferant, idcirco nec Pupillo eatenus quidpiam præstare obligatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si Tutores Dativi Testamentarii, & Legitimi Tutelam fideliter non gerant, tunc Sextalitas proventuum Bonorum Pupillarium illis denegatur, quia præmissa Sextalitas Tutoribus per Articulum 68. 1715. pure in mercedem fideliter gestæ Tutelæ deputata est, per consequens cessante causa, cessat etiam effectus. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Cum Leges abalienationem, inonationem, aut inolutionem Bonorum Pupillarium districtim vetent, idcirco illi, qui Bonis Pupillorum inhiantes, Matri Pupillorum tamquam Tutori præsertim contra publicam inhibitionem pecunias mutuunt, taliterque Bona Pupillaria ad se pertrahunt, similia Bona Pupillis sine ulla pecuniæ depositione restituere tenentur, quia tales in Jure pro Fœneratoribus, & malæ fidei Possessoribus reputantur, adeoque merito Investituram suam amittunt. *Septem-Viralis Tabula.*

(Dec. 7.) Titulo meliorationis Fundorum Pupillarium, nisi illa extraordinariis sumptibus, ita quidem ut legitima quoque gestæ Tutelæ merces, seu Sextalitas Tutorem concernens, eo conversa fuerit procuretur, propter nudum valoris, & pretii Fundorum, aliorumque beneficiorum, per naturalem propagationem incrementum, & nonnisi ex ordinaria Tutoris industria, solitisque expensis, ac cultura provenientes accessionem Tutores ex Massa Pupillari nihil subtrahere possunt, quia talismodi accessiones, nulla peculiari industria, aut expensis egent, per consequens neque compensationem, aut mercedem exigunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Tutores cum Pupillis bona fide agant, Ratiocinium non evitent, quin imo semet eidem sponte accingant, in tali casu etiam si Restantiarii maneant, tamen a solvendo pro restante Summa Interusurio, & expensis sublevantur, quia bona fides eisdem ab omni suspitione, nota, & censura liberat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Pupillus jam legitimam ætatem excedens, sibi Curatorem, & Plenipotentiarium eligat, eidemque pro fatigiis in negotiis suis exantlandis, certam Summam obliget, Curator vero talis, Pupillo fidelem operam locando, munere suo rite fungatur, & Pupillus etiam perfectam ætatem attingens, præmissam Obligationem non revocet, in hoc casu non tantum in persolutione obligati Capitalis tamquam Liquidum Debitum redolentis, sed etiam in expensarum refusione convincitur; tametsi enim Leges severe vetent, ne Tutores, & Curatores sibi ex Bonis Pupillaribus quidpiam appropriare audent, cum nihilominus casu in proposito Pupillus etiam post perfectam ætatem, dum videlicet jam extra Tutelam constitutus, de rebus suis libere disponere poterat, ad exigentiam Tituli 128. 1mæ Obligationem suam non revocaverit, idcirco

circo eidem tamquam vim perpetuæ cessionis, & consensus imbuenti, amplius refragari non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si quispiam qua Tutor, & Curator in Litem vocetur, & ille semet talem esse neget, Actor idipsum probare debet, nisi onus Tutelæ ex naturali Obligatione immediate Incatto incumbat, tum quod Actor expositionem suam Actionalem circumstantialiter legitimare teneatur, tum vero quod munus Tutelæ pluribus oneribus obnoxietur, Incatto autem erga simplicem Actoris expositionem onerosa quæpiam conditio imponi non possit. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Licet Titulus 128. 1^{mæ} de Falsionibus tantum respectu Bonorum, Juriumque Possessionariorum per Orphanos infra tempus perfectæ ætatis celebratis, differere, & illas, quæ ante adeptam perfectam ætatem per ipsos Orphanos in Locis Authenticis revocatæ fuerint, pro invigorosis declarare videatur, tamen Absolutionales etiam per Orphanos Tutoribus, & Curatoribus datæ, quibus ipsos ab omni gesti Officii ratione immunes, absolutosque reddunt, si illæ debito tempore ante videlicet perfectam ætatem revocatæ exsisterint, pro invigorosis reputantur, quia ratio præcitati Tituli eo magis Tutores gravat, & ad eos extensa esse censetur, quod horum potestati non res tantum, sed ipsa Orphanus persona subjecta sit, quodve hi juxta dispositionem Tituli 112. 1^{mæ} Orphanos a circumventionem tutari, adeoque ab omni rerum suarum involutione immunes conservare vi Officii sint obstricti, jam vero cum Tutores, qui absolutionem obtinere volunt, modum per Articulum 68. 1715. præscriptum habeant, nempe: quod coram Comitatenfibus Judicibus Tutelatorum, ac Curatulatorum Agnatis, & Cognatis præsentibus Rationes reddere, ac ita Absolutionales a Magistratu sollicitare debeant, ideo si viam hanc sequi intermittant, ipso facto non recte administratæ Tutelæ culpam incurrunt, adeoque ejusmodi indebite procuratæ Absolutionales, velut ante perfectam ætatem alioquin revocatæ, & sublata invalidatione non egent, sed per procedentes in Partibus Judices simpliciter seponi, per consequens Tutores ad dandas Rationes stringi debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Mater ad secunda vota transiens, si substantiam Orphanalem dispendiose administrasse comperta fuerit, non tantum a Tutela, & Curatela Actoratu Fisci Comitatus Magistratualis amovetur, sed insuper in refusione dispendiose, & ultra necessitatem erogatæ Substantiæ convincitur, quia juxta Articulum 68. 1715. naturalis Tutrix eousque dumtaxat a dandis rationibus respectu Bonorum Maritalium immunis est, donec in statu Viduali perseverat, adeoque Nomen prioris Mariti gesserit. *Utraque Tabula.*

(IX.)

Processus ad redintegrationem.

Si Fiscus, vel alii Bona Deficientis apprehendant, deinde vero moto per Executorem Testamenti ad Redintegrationem Massæ Deficientis Processu, talis Possessor in restitutione Bonorum unctum fructibus medio possessorii tempore perceptis, vincatur.

tales fructus non sunt metiendi a quantitate Summæ eidem Bono inhærentis, verum a proventibus ipsorum Bonorum, sæpe enim fit, ut Bona sive ex pretio affectionis, seu vero propter commoditatem, aliasque idgenus reflexiones tam elevato pretio comparentur, ut legale investitiæ Summæ Interusurium longe non importent. *Utraque Tabula.*

(X.)

Processus Computales.

Si duo Mercatores simultaneum quæstum exercent, & uno demortuo, superstes ejusdem Socius communes Merces absque ullo Inventario retineat, & distrahat, subsequenter vero respectu Debitorum per demortuum contractorum impetatur, in præmissis circumstantiis Incattus ad computum ratione præhabiti conquestus ineundum provocare, & sub prætextu illius Debitum Actionale a se amoliri non potest; quia fundamentum computus deberet esse fidedignum Inventarium super effectivo statu Mercium occasione Obitus Consocii remansarum, confectum, cum proinde Incattus talismodi Inventarium confici curare neglexerit, & Merces communes absque debita cautela apprehenderit, atque distraxerit, idcirco Debita Consocii sui exolvere tenetur, nam juxta Titulum 82. 2^{dæ} res cum onere vadit. *Utraque Tabula.*

(SECTIO SECUNDA.)

De Actionibus ad Forum Comitansæ spectantibus.

(I.)

Ad pœnam Violentiæ.

(Dec. 1.) Si Actor ad vindicationem actus violenti procedens, Actionem suam in commissione Incatti fundet, hanc docere debet, nec sufficit probare per homines, & jurisdictionatos Incatti actum perpetratum esse, quia eousque Incattus de facto eorum responderi non tenetur, donec probetur ex commissione ejus Violentiam patratam fuisse, ac ideo ex solo defectu adæquate non probatæ commissionis Incattus absolvi debet, cum Actor ita assumptam Actionem docere non possit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Quamvis juxta Articulum 56. 1655. ubi cum assumptis, vel medio Commissionatorum, aut Subordinatorum actus violentus patratatur, respectu talium, qui fixis Domiciliis destituuntur, vel ex ignotis partibus convocantur, sufficiat in Actione Numerum illorum declarare, si tamen Actor in Actione sua exponat, quod actus ejusmodi per Commissionatos, Familiares videlicet, & Jurisdictionatos Incatti ex vicinis Possessionibus assumptos, patratum sit, utut Numerum eorum declaret, si tamen de Nomine, & Cognomine eosdem specificare negligat, tunc in horum Homagiis Incattus convinci non potest, nam juxta præcitatum Articulum
ideo

ideo Actores ab ejusmodi fixis Domiciliis carentium, & ex longinquis partibus convocatorum Commissionatorum, & assumptorum de Nomine, & Cognomine fienda specificatione immunitantur, quia talium Nomina, & Cognomina resciri nequeunt; jam vero illorum, qui ex vicinis præcipue Possessionibus assumpti, item Familiarium nomine in Actione designati sunt, quoniam Nomina, & Cognomina resciri, ac falsionibus Testium doceri possunt, hinc merito talis Actor, qui Legis dispositionem in hac parte adimplere negligit, beneficio Legis, quod ex ejusmodi adhibita specificatione consequi potuisset, privari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Actor Litem ob violentam sui in præhabito pacifico usu turbationem contra unum dumtaxat suscitet, ex actis nihilominus Processualibus eveniat, quod turbatio illa non tantum ex Incatti, sed plurium Compossessorum commissione per eorundem Jurisdictionatos patrata fuerit, esto Actor indiscriminatim respectu omnium Commissionatorum actum videlicet Actionalem perpetrantium convictionem Incatti urgeat, hic tamen non in omnium, qui in Actione specificantur, sed dumtaxat in illorum Homagiis, qui Incatti jurisdictioni subsunt, convincitur, eo ipso enim, quod ex plurium commissione actus patratus sit, jam tales, qui reliquorum Committentium jurisdictioni subjecti sunt, non ex Incatti, sed ex Domini sui commissione actum patrassentur, hi autem in Lite non stant, igitur respectu horum Incattus gravari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet Articuli 70. 1659. & 18. 1687. Ignobiles nulli Dominali Jurisdictioni subjectos, & in Bonis Nobilitaribus sive Uxoreo, sive Materno jure possessis, degentes, propter actus violentos adinstar Nobilium in Jus attrahendos, & convincendos, adeoque pœnam illam, quæ Nobilibus dictari solet, ipsis irrogandam statuunt, Titulus vero 31. 3^{tiæ} in casibus illis, dum Nobilis ex parte læsi, & via facti damnificati Subditi sui contra damnificantem Nobilem agit, hunc in facto Minoris Potentiæ Centum florenos faciente, convincendum disponat, tamen si ejusmodi Ignobilis nulli Dominali Jurisdictioni subjectus, in proprio Fundo degens, via facti ex Bonis suis ejectus, vel damnificatus penes assistentiam Fisci Magistratualis ad Repositionem sui, & unâ ad violentiæ pœnas agat, tunc Incattus Nobilis ultra restitutionem Bonorum occupatorum, fructuum item medio tempore perceptorum, prout & expensarum refusionem in florenis dumtaxat 40 Homagium Ignobilium constituentibus, convinci solet, quia in Violentialibus Processibus Homagium læsi pro pœna dictari solet, Titulus vero 26. 3^{tiæ} Homagium Ignobilium ad florenos 40. restringit, nec officit, quod juxta Titulum 31. 3^{tiæ} Nobilis Colonum alterius via facti damnificans, contra Dominum ejus Terrestrem, & Nobilem in Homagio Nobilium convinci debeat, quia ibi læsa Terrestris Domini Nobilitaris Jurisdictio fundamentum convictionis constituit, Articuli etiam 70. 1659. & 18. 1687. velut ad refrenandam dumtaxat ejusmodi Ignobilium licentiam, qui olim ex defectu Jurisdictionis violentias impune tentare volebant, conditi, prout iis prærogativam Nobilitarem non tribuunt, ita nec Homagium aliud, quam quod Lex ex parte eorum definivit, jus exigendi concedunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Quamvis Violentiam patrans, juxta Articulum 56. 1655. respectu etiam assumptorum, missorum, & destinatorum in Homagiis eorum convinci soleat, si tamen ii, & tales, quos Actor pro assumptis, missis, & destinatis in Actione sua exponit, Nobiles, nec tamen Committentis, vel Assumentis jurisdictioni subiecti sint, respectu talium principalis ille Violentiam patrans, convinci non potest, quia illi dumtaxat pro missis, & destinatis reputantur, ad quos jurisdictio mittentis, & destinantis extensa est, jam vero cum Nobilis extra jurisdictionem alterius Nobilis sit, quoniam prærogativa eorum æqualis est, & par, in parem nullam jurisdictionem habeat, ideo tales, qua Patratores peculiari Actione juxta Titulum 32. 3^{tiæ} conveniri debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Licet Actor violentam Currus abactionem, ac ita impeditum præhabitum illimitatum Lignationis usum probet, si tamen Incattus abactionem ideo factam esse remonstrat, quod ipse, qua potior in Silvis possessor circa instituendum rectum lignationis ordinem, quo ita devastatio ejus præcaveri valeat, Actorem interpellaverit, is vero eundem licet non scripto, sed tantum sub verbo Nobili affidaverit, quod abusum a modo in posterum nullatenus exercebit, & tamen Homines ejus in damnosa defectio- ne deprehensi fuerint; tunc Incattus a pœna Violentiæ absolvitur; ejusmodi impulsio enim non ad exclusionem ab usu, sed potius ad observantiam regulationis ex facto, & consensu Actoris promanantis, instituta fuit, adeoque pro pœnali haberi nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Actor ad pœnas Violentiæ procedat ideo, quod res ad ipsum pertinentes, Incattus detineat, illasque erga iteratas etiam requisitiones restituere renuat, esto Incattus doceat, quod res ejusmodi Conthoralis Actoris ipsi donaverit, si tamen eveniat, quod res eadem Actoris propriæ fuerint, adeoque Jus donandi Uxor nequiquam habuerit, tunc quamvis Incattus ideo, quod bona fide ex supposito quippe præattactæ Donationis apprehenderit, & usurpaverit, a pœnis Violentialibus, & Litis expensis absolvi soleat, in restitutione tamen ejusmodi rerum, & si fructuosæ sint, in fructuum etiam perceptorum refusione convincitur, quia quælibet res Domino suo, ad quem videlicet privative pertinet, fructificare solet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si Actor duos, vel plures actus in continenti patratos, & nexum ad invicem habentes, in unam Actionem deducat, esto respectu utriusque Partem I. in pœna Violentiæ fingillativa convinci petat, illo nihilominus absoluto, Actor dumtaxat in una 100 florenorum Indebitæ pœna convinci solet, quia actus ejusmodi in continenti patrati, & sibi quasi juncti; pro uno, eodemque reputantur, adeoque quemadmodum Pars I. tantum in fingillativa Violentiæ pœna convinci potuisset, ita etiam ejus intuitu pœna Indebitæ multiplicari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si tamen actus distinctis temporibus, & ita intercesserunt, ut pro continuato, adeoque uno quasi actu reputari non possint, illosque violentos fuisse Actor non doceat, tunc esto actus tales una, eademque Actione vindicandi assumpti sint, in
singil-

singillativis nihilominus respectu cujuslibet prætensi actus Indebitæ pœnis Actor convinci solet, quia in his circumstantiis etiam Incattus in distinctis Violentiæ pœnis, si Actionis expositionem docuisset, convinci debuisset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Actor ad pœnam Violentiæ, & una ad damnorum refusionem, vel sui in integrum repositionem procedens, Nobilis sit, tunc esto actum violentum doceat, pœnam tamen Violentiæ consequi nequit, sed dumtaxat damnorum refusionem, vel sui in integrum repositionem consequi solet, quia acquisitio pœnæ tantum Nobilitari prærogativa gaudenti competit, & eo ipso, quod Personalis sit, jam vice versa parem Personalem prærogativam acquisitio ejus prærequirit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Si quis propter illata sibi verbera ad pœnam Violentiæ procedat, & ex actis Processualibus eveniat, Actricem cum Incatta eodem fere tempore quasi ad certamen congressas fuisse, & semet verberasse, neque doceri possit Actricem in statu deffensæ fuisse, tunc nec Actrix in Indebitæ, nec Incatta, in Violentiæ pœnis convinci solent, quia facto proprio jam verba verbis, & verbera verberibus sibimet compensarunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si tamen Maritus Incattæ ultra præstitum in ejusmodi actu Uxori suæ ex debito, & Conjugali amore adjutorium, procurata videlicet jam liberatione, & separatione Consortis suæ, esto in continenti Partem alteram Nobilitari æque prærogativa gaudentem, verberibus afficiat, tunc is in Violentiæ pœna convinci debet, jam enim eo ipso, quod Uxorem suam, quæ alteram ita, prout ipsa verberata est, verberibus excepit, adeoque satisfactionem sibi procuravit, ad statum libertatis, & extra periculum posuit, actus ejus ad studium nocendi, & ad vindictam recidit, & ideo juxta Titulum 21. 3^{tiæ} pœnalis evadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Si nec Actor, nec Incattus usum Plageæ illius, unde Abactio facta est, pacificum, annualem, illumque abactionis tempus immediate præcedentem, adeoque Articulo 42. 1729. conformem docere possint, tunc & Incattus a Violentiæ, & Actor ab Indebitæ pœnis absolvuntur, jam enim eo ipso, quod Lex ad irrogandam Incatto Violentiæ pœnam usum Annualem Actoris pacificum prærequirat, & talis doceri non possit, actus Incatti pœnalis nequiquam evadit, vicissimque Incattus cum talem, quem Lex exigit usum remonstrare non valeat, vexandi studio Litem sibi intentatam quæri non potest, cum illi dumtaxat, qui pacificum, eumque legalem usum docent, pœnam Indebitæ exigere possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 14.) Esto aliquis in proprio Territorio propriis sumptibus Pontem construi, vel novam viam erigi curet, tamen si a Subditis alterius Domini Terrestris cum rebus Domini sui, adeoque in servitio Dominali per talem Pontem, aut viam proficiscentibus pensum aliquod titulo transitus desummi curet, tunc Lite ad pœnas Violentiæ per Dominum Terrestrum talium Subditorum, a quibus illud desumptum est, suscitata, in singillativis pœnis respectu singuli actus desumptionis, tam videlicet occasione transitus, quam & reditus seorsim, & singillatim considerati convincitur, cum enim

juxta Articulum 15. 1715. ac itidem 15. 1723. interdictum fit, ne ullus privata Auctoritate Telonium in viis, aut Pontibus constituere audeat, juxta Articulos vero 86. & 87. 1452. 59. 1618. Subditi in negotiis, & cum rebus Dominorum suorum Terrestrium proficiscentes, etiam in obtentis ex benigna concessione Regia Teloniis, ab omni Tributi, & Telonii solutione immunes sint, merito tot Legum prævaricator respectu singuli actus singillativis pœnis subjici debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si in Lite ex turbatione usus, ad pœnas Violentiæ promota, eveniat, quod Particulæ, quarum intuitu turbatio usus vindicatur, recte in Limitibus duorum vicinorum Terrenorum sint, & occasione, qua Arendator, cui Partes Lite agentes Terrena sua in Arendam locaverant, unitim possederat, usus illarum ad confusum statum ex indultu, vel conniventia ejusmodi Arendatoris utrumque Terrenum simul possidentis devenerit, neque aliis probis, quam ex possessorio illo confuso, & permixto derivatis privatus usus comprobari poterit, tunc nec Incattus in Violentiæ, nec Actor in Indebitæ pœnis convincuntur, sed Partes ad Metalem Processum diriguntur, quia ejusmodi sive confusus, sive permissivus tempore Arendatoris exercitus usus neutra ex parte pro legali reputari potest, adeoque substratum Actionis Metalem controversiam involvit, cujus discussio, & decisio, quoniam Violentialem Processu definiri non poterit, per consequens tam in his circumstantiis, quam & dum ex variato, promiscuo, vel confuso usu probæ Partium Metalem potius quæstionem, quam pacifici usus turbationem involvunt, merito Partes ad Metale Institutum relegari debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Si porro circa usum in Limitibus duarum Possessionum diversis Comitibus subjectarum, quæstio sit, adeoque illa Metalem controversiam quaqua ratione involvat, & Actor coram Vice-Comite illius Comitatus, cujus jurisdictioni Possessio ejus subjecta est, ad pœnam Violentiæ agat, tunc Judicatus condescendit, quia eo ipso, quod Limitaneæ, adeoque Metales prætensiones vigeant, jam tales quæstionem Jurisdictionis Comitatus involvunt, quæ coram delegato Judicio velut competente juxta Articulos 71. 1618. 19. 1635. 127. 1647. Judice superari debent. *Tabula Regia.*

(Dec. 17.) Esto plures sint, qui ex communi, & indiviso Bono violentiam patrent, exempli causa: si jus Montanum inter plures Congenerationales indivisum sit, & hi occasione exactionis Juris Montani ex competentia alterius Compõssessoris via facti certam quantitatem occupent, vel detineant, in pœnis nihilominus singillativis convinci non solent, cum enim ejusmodi detentam, vel occupatam quottam ad communem, & indivisam inter se competentiam applicare, adeoque commune efficere voluerint, jam actus eorum ex ratione indivisi status pro tali reputari debet, ac si per unum dumtaxat attentatus fuisset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Unde respectu unius, ejusdemque actus Maritus, & Uxor licet ex utriusque commisione, vel facto violenta turbatio promanet, distinctis, & singillativis pœnis subjici non possunt, cum juxta Titulum 48. ^{1^{mæ}} in hoc casu pro una eademque Persona in Jure reputantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.)

(Dec. 19.) Si plures unum idemque Jus foventes Condivisio-
nales, respectu prætenſive turbati usus sui, ex uno eodemque Jure
profluentis, contra plures Incattos una, eademque Lite agant, &
usum suum debite comprobare nequeant, esto Actio eorum ad sin-
gillative Incattis dictandam pœnam directa sit, tamen non in sin-
gillativa, sed in una dumtaxat copulative sumpta pœna Indebitæ
convincuntur, quia eo ipso, quod omnium prætenſio ex uno eo-
demque Jure profluat, & ex communi tali Jure promanantis usus
turbatio vindicanda assumpta, adeoque ad reparationem ejusmo-
di communis usus directa sit, pœna multiplicari nequit. *Utraque
Tabula.*

(Dec. 20.) Actio quærulosa contra Magistratum ex Officio pro-
cedentem, licet vis aliqua in effectuatione Sententiæ adhibita sit,
haud competit, nam Magistratus vi officii procedentis illegalia
facta non quærulosa Actione vindicari, sed distincta per Leges præ-
scripta via corrigi, aut tolli debent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si Noverca in Viduali statu constituta, contra Pri-
vignos ad pœnas Violentiæ procedat ideo, quod per hos e Bonis
Maritalibus violenter ejecta, & exturbata sit, Privigni vero do-
ceant illa ipsa Bona, unde exturbatio facta est, ipsos ex Mater-
na successione concernere, tunc Incatti a pœnis Violentiæ absol-
vuntur, quia ejusmodi Bona ipsorum propria effecta sunt, jam
vero nemo in proprio violentus, sed nec Actrix in pœna Indebitæ
convincitur, quia præhabitu Mariti in iisdem Bonis possessorium,
& hinc præassumpta bona fides omnem vexandi studio institutæ Li-
tis suspicionem tollit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Si quis Bona per alterum occupata propria auctho-
ritate reoccupet, jam ex actu occupationis ad consequendam Vio-
lentiæ pœnam agere nequit, quia eo ipso, quod repositionem,
quam Authore Judice cum pœna violentiæ adjudicatione juxta Ar-
ticulum 48. 1563. consequi potuisset, per Reoccupationem facto suo
privato præoccupaverit, taliterque propria auctoritate sibi satis-
factionem procuraverit, per consequens vim illatam amplius vin-
dicare nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 23.) Si Actor ad pœnas Violentiæ ex turbatione usus
Pascui ex Transactione inter Possessionis per se actualiter possessæ
plures Dominos Terrestres, Partis item I. prædecessores inita sibi
competentis, Violentia Processu agat, & ex actis prodeat, quod
Transactionalis ille usus jam longiori tempore interruptus fuerit,
ac occasione primum illa, dum Actionalis turbatio intercessit, A-
ctor se ad prætenſum usum ponere voluerit, tunc Incattus a pœ-
na Violentiæ absolvitur, & Actor in Indebitæ Actionis pœna con-
vincitur, quia in his circumstantiis prætenſio Actoris sub specie
Violentiæ acquisitionem proprietatis Pascui involvit, adeoque sub
dispositionem Articuli 23. 1613. cadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 24.) Esto Actor ob Invagationem Caprarum ex Silvis
inter Compossessores subdivisis quærulosa Actione procedens, do-
ceat, quod per Divisionalem Contractum communis Graminis in
iisdem Silvis crescentis, pascuatio per se, & reliquos Condividen-

tes reservata sit, tamen si Incattus Invagationem præcipue hyemali tempore, & ob periculum decorticationis Arborum adeoque ob damnosam Caprarum inter Virgulta pascuationem factam fuisse remonstret, a pœna Violentiæ absolvitur; quia libera illa in Divisionali Contractu ad gramen restricta pascuatio, publica experientia notam Caprarum damnosam in Silvis pascuationem excludit, cum proinde nemo in excisa sua Silva damnum ob alterius commodum sufferre teneatur, jam actus Incatti velut ad conservationem Silvæ suæ, & in ea existentium, ac succrescentium Arborum directus, pro licito reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 25.) Licet Actor tribus, vel pluribus vicibus tentatos actus distinctis Actionibus, & Levatis includat, ac respectu singuli actus singillativam Violentiæ pœnam Incatto irrogari petat, si tamen actus illi continuative patrati sint, tunc una dumtaxat, & non singillativa respectu cujuslibet actus Violentiæ pœna dictari solet, quia actus tales ad unum, eundemque finem directi, & continuative patrati, pro uno, eodemque reputantur, nec obstat, quod distinctis Actionibus utatur, nam non ex forma, sed ex commissorum actuum indole, & natura dictandarum Violentiæ pœnarum norma repeti debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 26.) Is, qui se in usu glandinationis Silvarum turbatum esse præten dit, esto consuetum in iisdem Silvis a longo tempore remonstret, si tamen usus ejusdem per Contractum, sive ad propria dumtaxat pecora, sive vero ad certum Numerum restrictus sit, non sufficit probare, quod talium, qui ultra Contractualem Numerum per eundem conducti sunt, census per se definitum Incatto præstandum ordinaverit, quia conductio talis Incatto sine consensu ejus facta præjudiciosa fuit, adeoque Invagatio, vel ex eo licita erat, quod Actor per Contractum ad certum Numerum regulatus, jam ad ratam alterius illo incensio nec aliena pecora conducere, neque censum determinare potuit, & ideo Actorem a pœna Indebitæ non salvat, quod pactatum per se censum extradare illi voluerit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 27.) Si quis ex violenta rerum suarum detentione contra Officiale Dominalem sibi in officio succedentem agat, & ex actis Processualibus prodeat, occasione ejusmodi detentionis Actorem rationes, quibus dandis vi Officii obnoxius erat, Domino suo nondum reddidisse, Incattum vero non motu proprio, ast ex dispositione Domini sui res ejusdem in Sequestrum sumpsisse, tunc in his circumstantiis, & Incattus a Violentiæ, & Actor ab Indebitæ pœnis absolvuntur, cum enim juxta Articulum 65. 1622. Officiales dandis Rationibus obnoxii, in Persona etiam detineri, tanto vero magis res eorum in Sequestrum summi valeant, jam factum Incatti velut ex dispositione Domini sui procedentis, adeoque in actu licito constituti pro pœnali reputari nequit, Actor vero eo ipso, quod rerum private ad se pertinentium, & per Officiale secum in æquali statu constitutum, & in se nullum jus habentem attentatam detentionem vendicet, jam pro temere, & indebite litigante censeri non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 28.)

(Dec. 28.) Dum Actor propter Impensionem tempore debito non præstitam, contra Incattum fundamento Articuli 23. 1613. ad pœnas Violentiæ procedit, si Incattus remonstret, quod Admonitio respectu petitiæ Impensionis Officiali ejus Dominali præsentata fuerit, & is jam in mutatione Officii constitutus Successori suo ejusmodi Admonitionem tradiderit, hic vero eandem primum post transmissam Violentialem Actionem Incatto resignaverit, adeoque facta Admonitio quod ipsi debito tempore non constiterit, dummodo ante diem Terminum per Judicem in Violentialem causa ordinati, medio Judicis Nobilium Impensionem offerat, ab onere Violentialem Actionis absolvitur, quia Articulus 41. 1729. cum provocatione ad præcedaneas Leges illos dumtaxat pœnis Violentiæ subjiendos disponit, qui sufficienter intermissæ Impensionis rationem assignare nequeunt, sufficiens autem ratio est, quod ad notitiam ejus voluntas Actoris non pervenit, quia in illum, qui ignoravit, nec præsumptio quidem neglectus cadit, præcipue si facto subsequo se impendere voluisse testetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 29.) Quamvis juxta Titulum 67. 2^{dæ}, & Articulum 55. 1492. Potentiariorum Actuum Patrores, præter Violentiæ pœnam, in expensis quoque convinci debeant, Actor nihilominus quærulosa Lite ad pœnas Violentiæ agens, si Actionem suam debite comprobare nequeat, in expensis convinci regulariter non solet, quia contra hos per Leges Indebitæ dumtaxat Actionis pœna, statutâ est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 30.) Tametsi in casu illo, quo Actor Causam Violentialem suscitans, in proba deficit, in pœna Indebitæ convinci solet, si nihilominus ex actis Processualibus eveniat, quod non sine fundamento, adeoque non ex puro Partem I. vexandi studio Litem moverit, sed nec illud prodeat, quod sub specie Violentiæ proprietatem quærat, tunc Incatto absoluto, Actor quoque a pœna Indebitæ relevatur; cum enim Articulus 23. 1613. præmissam pœnam in prærecensitis dumtaxat casibus dictandam statuatur, idcirco neutro ex his casibus subversante, Actor tamquam bona fide procedens, censuram Legis non incurrit, (*Praxis.*)

(Dec. 31.) Si quispiam Jurisdictionis alicujus Domini Terrestris injuriam inferat, & propterea in Jus vocatus, respectu Domini Terrestris eorundem Jurisdictionatorum in pœna Violentiæ, damnorumque refusione convincatur, tunc amplius in Homagio injuriatorum convinci non solet, quia talismodi injuria principaliter redundat in Dominum Terrestrum, adeoque juxta Titulum 31. 3^{tie} per convictionem Incatti respectu ejusdem Domini Terrestris factam, damnorumque refusionem jam sufficienter vindicatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 32.) Si quispiam Pecora sua ad indubitatum alterius Terrenum impellat, ibidemque damna inferat, vel Silvam invadat, & ligna avehat, damnificatus vero hoc advertens, Pecora illa vel Currum lignis onustum invagiare velit, interim antequam ad locum patratiæ violentiæ perveniat, Pecora, vel Currus jam ex Territorio illius excedant, eo tamen non obstante damnificatus eadem in instanti, & nulla mora intercedente, persequatur, atque in alie-

no Territorio deprehensa invagiet, propterea Violentiam non incurrit, quia actus ille persecutionis est continuativus, atque adeo fictione Juris ita considerari debet, ac si Pecora, vel Currus in loco patratae Violentiæ deprehensa fuissent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 33.) Si Frater Sorori portionem suam ad certum tempus usufructuam concedat, ita tamen, ut evoluto illo tempore, eandem etiam propria Auctoritate recipere possit, subsequente vero ante evolutionem pactati Terminum prærepetitam portionem suam Extraneo vendat, isque Terminum Contractuali effluente, Sororem Vendentis tam Amice requirat, quam etiam Judicialiter admoneri curet, ut portionem Contractui implicitam, & sibi venditam remittat, illa vero reluctantem, in conformitate Contractus apprehensionem propria auctoritate tentet, sed vi repellatur, propterea contra eandem Processum Violentialem suscitet, in hoc casu Incatta non tantum absolvitur, verum Actor in pœna quoque Indebitæ convincitur, quia in præmissis circumstantiis Actor sub prætextu Violentiæ proprietatem quærit, adeoque directe in censuram Articuli 23. 1613. impingit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 34.) Si in Processu Violentiali Actor duos Nobiles in Causam attrahat, & utrique singillative pœnam Violentiæ dictari petat, postea vero in proba deficiat, quamvis unus Incattorum tantum assumptus sit, tamen contra singulum Incattum in seorsim Indebitæ Actionis pœnis convincitur, quia idipsum etiam ex Articulo 23. 1613. elici potest, & Lex ista inter principales Incattos, & assumptos Nobiles nullam distinctionem facit. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 35.) Si tota Communitas ad patranda Violentiam consentiat, nihilominus tantum aliquot Personæ ad illam perpetranda mittantur, aut destinentur, tunc præfati Patratores singillative non quidem in pœna Violentiæ, nam hæc non cadit in personam Rusticam, sed in Homagiis juxta Titulum 26. 3^{tiæ} soli Actorum cedentibus, damnis item, & expensis convincuntur, & ita demum ejusmodi onus convictionale derivatur in totam Communitatem, quia juxta Articulum quoque 56. 1655. ad refrenanda illorum, qui Violentias medio aliorum patrare consueverunt temeritatem, justum est, ut omnes, qui ad patrandum actum concurrerunt, convincantur, & Executio de Bonis Committentium fiat. *Tabula Septem-Viralis.*

(Dec. 36.) Si Debitor in una Navi cum pluribus aliis Merces vehat, & Creditor ab eodem Debitum desumpturus, totam Navim detineat, propterea per omnes illos, qui in eadem Navi navigabant, Actione Violentiali conveniatur, tunc tantum respectu solius Debitoris in pœna Violentiæ convinci solet; cum enim Navis sit unum complexum, & detentio actionalis præcise propter Debitorem, non vero sine vexandi, aut injuriandi alios in eadem vectos intercesserit, per consequens actu illo quoad reliquos culpa, & dolo carente, Actor sensu etiam Tituli 82. 2^{diæ} respectu illorum pro violento censeretur non possit, idcirco in his circumstantiis Incatto singillativa quoad omnes Actores pœna dictari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 37.)

(Dec. 37.) Si Teloniator a Subditis alicujus Domini Terrestris in negotio ejus proficiscentibus Passualibus tamen Literis destitutis, solitum pensum desumat, licet Villicus ejusdem Terrestris Domini cum iisdem Subditis proficiscens, plebæ nihilominus conditionis, & Teloniatori ignotus, declaret, illos in negotio Dominali constitutos esse, ex post vero Dominus Terrestris tam Teloniatorem, quam & illum, ad quem Telonium pertinet, super eo, quod ejusmodi Subditi res ad ipsum pertinentes devexerint, adeoque in negotio ejus constituti fuerint admoneri curet, desumptumque Telonium restitui petat, non secuta vero restitutione contra utrumque Violentialem Processum suscitet, si Teloniator occasione repetitionis ad Proprietarium Telonii provocabat, tunc is a pœnis absolvitur, Proprietarius vero Telonii, quod erga Admonitionem desumptum Vectigal detinebat, convincitur, cum enim Subditi Passualibus destituebantur, & assertis eorum fidem dare non tenebatur, dolo, & injuriam inferendi studio egisse non præsumitur, Proprietarius vero contra Admonitionem, quod restituere neglexerit, violentus detentor efficitur. *Tabula Utraque in hac questione Juris.*

(Dec. 38.) Esto Civitas aliqua in Liberam, & Regiam evehat, si tamen occasione publicationis Privilegii Civibus ejus super immunitate a solutione Telonii, & Nauli elargiti contradictio interponatur, & ab hac antequam depuretur, ob desumptum a Civibus suis in Telonio Contradictentis pensum ad pœnas Violentiæ agat, fundamento tali, quod æqualis ex Lege omnibus Liberis, & Regiis Civitatibus immunitas competat, eveniat interim, quod Contradictor in usû exactionis Telonii a Civibus ejusdem Civitatis etiam a tempore obtenti Privilegii præfuerit; tunc Actio ejus condescendit, quia obstat contradictio, a qua prius depurari, & ita usus immunitatis ductu etiam Articuli 41. Uladislai Decreti 4. obtinere debet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(II.)

M a r c a l e s.

(Dec. 1.) Si Actor Actionem suam fundet in eo, quod Abactio ex commissione Incatti per Subditos ejus facta fuerit, adeoque ex intermissa intra triduum ad manus Judicarias resignatione ad pœnas Marcales fundamento Articuli 42. 1729. agat, tunc commissionem docere debet, nec sufficit, si etiam recognitione Judicis Nobilium remonstret, quod invagiantes Subditi coram eodem Judice factam per ipsos Invagationem jam post actum Domino suo Terrestri notificasse declaraverint, quodve ex superabundanti idem Dominus Terrestris Pecora, quæ per Subditos suos invagiata erant, Literatorie successive resignare voluerit, quia Actio in commissione fundatur, quæ juxta Titulum 32. 2^{dæ} doceri debet, ex actu vero post longam moram, posteaquam videlicet Invagatio per Subditos facta eidem innotuit, tentatæ resignationis inferri non potest, quod sive factum eorum consensu suo probaverit, sive vero resignandi Obligationem in se assumpserit, quia facto tali ex superabundanti, & citra ullam ipsi incumbentem obligationem, bonam fidem testari voluit, quæ ipsum ab omni culpa immunem reddit, adeoque merito ob non edoctam commissionem absolvi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Dum Abactio ex Plaga controversa intercedit, quamvis abacta Pecora erga Literatoriam cautionem extradari debeant, si tamen is, cujus Pecora abacta sunt, cautionem Articulo 42. 1729. conformem non offerat, seque non obliget, quod pro Termino Revisionis Judiciariæ in natura, vel æquivalenti pecora restatuere, rationem reddere, & Judicio stare velit, tunc esto Judex talem cautionem acceptet, & abigi curans, post peractam etiam admonitionem pecora restituere intermittat, in pœnis tamen Marcalibus convinci non potest, quia eo ipso, quod citatus Articulus formam præstandæ Literatoriæ cautionis præscribat, & Actor conformem Legi dare intermittat, jam culpa non in Incattum, sed in Actorem cadit, nemo enim ex erroneo Judicio facti ejusmodi cautionem, quæ securitatem Abigenti nullam tribuit, acceptare, adeoque Juribus suis præjudicium inferre tenetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Abigens illam intermissæ restitutionis rationem assignet, quod nec Actor, nec resignatorum Pecorum Judex Literatoriæ cautionis contextum cum ipso communicaverit, esto Judex per Actorem oblatam cautionem acceptet, restitutionemque Pecorum Abigenti imponat, tamen a pœnis absolvi debet; Abigentis enim interest investigare, num cautio oblata Legi conformis, adeoque pro Jurium suorum tuitione secundum Legis præscriptum sufficiens sit, per consequens ex ejusmodi detentione, quæ facta, ac neglectu Actoris, & Judicis procurata est, culpa in Incattum cadere non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si is, cujus Pecora invagiata, vel abacta sunt, legalem in abstracto cautionem verbo offerat, in effectu tamen non præstet, utut Judex verbalem illam oblationem acceptet, & pro cautione reputet, Abigentique restitutionem imponat, tamen Incattus propter intermissam restitutionem in pœnis Marcalibus convinci non potest; quia Articulus 42. 1729. per expressum præscribit, ut Cautio effective detur, & ideo simplici, illaque indeterminata oblatione supleri non potest, quoniam talis indeterminata, & non ad specificum reducta oblatio pro elusoria merito vel ideo reputari debeat, cum citatus Articulus duas species Cautionum utpote Literatoriam, & realem præscribat, constare vero invagiari, vel abigi curanti debet, quam, & qua forma præstandam Cautionem offerat, & ideo oblatio talis non in verbis subsistere, sed ad effectum deduci debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si quis plura Pecora, vel Gregem ex damno abigi faciat, ex post vero is, qui ex Domini commissione pecorum curam habet, unum, vel aliud eousque apud Invagiantem relinquat, donec illati damni effectiva persolutio præstetur, talia pecora licet post Judiciariam Admonitionem sine eo præmissam, non resignentur, pœna Marcalis locum non habet, quia ejusmodi pecus pro reali pignore relictum est, adeoque usque appromissæ bonificationis realem effectum licite reservari potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Quamvis per abigi curantem debito tempore resignatio Literatorie facta sit, si tamen Judex adinventam dumtaxat Literatorie Cautionis necessitate, erga hanc Pecorum restitutionem imponat, ac invagiari curans Literatoriam Cautionem effective acceptet,

acceptet, & dumtaxat ideo, quod ampliorem, quam Judex defini-
 niverit, intertentionis refusionem habere velit, post acceptatam
 Cautionem, & Summæ per Judicem titulo intertentionis limitatæ
 effectivam oblationem, ac tam eatenus, quam & sine restitutionis
 pecorum peractam Admonitionem extradare negligat, tunc Incat-
 tus in pœnis Marcalibus convincitur, quia jam a tempore, quo
 Literatoriam Cautionem acceptavit, & pecora per Judicem pro
 restitutis declarata sunt, velut propria Aucthoritate, adeoque fa-
 cti via retinens, violentus detentor est, & eo magis pœnæ Marcali
 se obnoxium reddidit, quod erga etiam oblatam intertentionis re-
 fusionem, quam Judex limitaverat, restituere intermiserit. *Utra-
 que Tabula.*

(Dec. 7.) Si Invagiatio ex damno facta sit, licet Judex, cui
 Pecora Literatorie resignata sunt, Cautionem Literatoriam acce-
 pter, ac penes hanc Invagianti restitutionem imponat, per conse-
 quens is, cujus pecora impulsa sunt, ob denegatam restitutionem
 Marcali Processu agat, dummodo Incattus remonstrare possit, ex
 damno, & plaga per se pacifice possessa Invagationem factam
 fuisse, a pœnis absolvitur, cum enim Articulus 42. 1729. in ejus-
 modi casibus necessitatem realis Cautionis imponat, jam dispositio
 Judicis, qui cum Lege dispensare non potest, inefficax evadit,
 adeoque beneficio Legis suffultus, via facti egisse non censetur.
Utraque Tabula.

(Dec. 8.) Etiam si Judex, cui resignatio Pecorum facta est, lo-
 cum, ex quo Invagiatio intercessit, controversum esse reputans,
 ejusmodi Pecora erga solam Literatoriam Cautionem extradari
 præcipiat, si nihilominus Dominus Pecorum ad exigentiam Arti-
 culi 42. 1729. usum Plagæ illius, ex qua Invagiatio facta est, pro-
 xime ante Abactionem ad minus unius Anni pacificum non habuit,
 verum dumtaxat aliquem antiquum usum docere possit, e conver-
 so Invagians proxime ante Invagationem unius, vel plurium An-
 norum pacificum, & privatam mentionatæ Plagæ usum compro-
 bare valeat, in tali casu non tenetur eadem Pecora erga Litera-
 toriam Cautionem extradare, atque adeo si propter detentionem
 Pecorum ad desumptionem Marcarum citatus fuerit, absolvi debet,
 quia in præmissis circumstantiis jam evenit, quod locus Abactio-
 nis occasione Invagationis non fuerit controversus, per conse-
 quens sensu præcitati Articuli 42. 1729. Dominus pecorum non Li-
 teratoriam, sed realem Cautionem præstare debuisset, hac proinde
 denegata, Invagians pecora licite detinere poterat. *Utraque Tabula.*

(III.)

Causa Succisionis Silvarum.

(Dec. 1.) Si quispiam alterius Subditos in Silva sua prohibiti-
 tia, in succisione, vel decorticatione Arborum deprehendat, potest
 quidem illos indultu Tituli 33. 3^{tiæ} sine ablationis rerum apud se
 habitarem comprehendi curare, si nihilominus eosdem non sine
 præmissis comprehendi faciat, verum ideo, ut illos in Arrestum de-
 duci curare possit, & ejusmodi intentionem etiam effectu, videli-
 cet Arrestatione, & detentione illorum manifestet, tunc propter si-

milem comprehensionem Violentiam incurrit, nam eo ipso, quod præcitatus Titulus 33. comprehensionem talismodi Succidentium, vel decorticantium præcise sine ablationis rerum apud se habiturum, admittat, jam talis, qui illos alio fine comprehendi curat, taliterque ultra Legis indultum progreditur, jam in Legem delinquit, adeoque pro violento reputari debet. *Tabula Septem Viralis.*

(Dec. 2.) Dominus Terrestris Subditos alterius in Silva sua prohibita deprehensos, & se absente per Homines suos in Arrestum Dominale deductos, detinens, & post amicam quoque repetitionem non secus quam erga Fidejussionem per alios datam dimittens, incurrit Violentiam, cum enim Leges præscribant modum, qualiter contra Succifores, & decorticatores Silvarum procedi debeat, idcirco Actor viam Lege præscriptam sequi, per consequens sibi met ipsi satisfactionem impendere non potest. *Tabula Septem Viralis.*

(IV.)

Causæ ad acquisitionem Damnorum.

(Dec. 1.) Esto Actor ad obtinendam reparationem, & restorationem Aggeris in vicino Terrestris Domini Terreno existentis, fundamento Tituli 37. 1^{mæ}, Articuli item 27. 1613. procedens, doceat, quod a tempore eo, quo vicinus Terrestris Dominus Aggerem illum desolari permittit, notabilia in Pratis suis damna sentire debeat, & ita neglectam restorationem sibi multum damnosam esse remonstret, adeoque illam in se assummere velit; si tamen Incattus in obversum probet, non solum id, quod Actor, & Prædecessores ejus in usu talis reparationis non fuerint, sed &, quod prætenfa reparatio, ac conservatio tam vicinæ Molæ suæ, quam & Pratis ipsius vicissim propter delabentis Fluvii exundationem damnosa foret, tunc Incattus a prætenfione Actoris absolvitur, repugnat enim Ordini legali, ut vicino, qui præhabitum usum docere non potuit, restauratio Proprietario damnosa admittatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si Actor ad acquisitionem damni procedat ideo, quod Incattus Pecora ejus erga conventum pretium ad Gregem suum receperit, & diligentem eorum curam in se assumpserit, interim expleto pascuationis termino cum notabili falcidia resignaverit, Incattus vero Pecora illa furto sublata fuisse in persequendis Furibus, reinveniendisque illis omnem diligentiam adhibuisse, fatigia, imo expensas etiam fecisse remonstret, a damni refusione absolvitur, quia prætenfa damnificatio his in circumstantiis ad casum fortuitum, nullam paritate Articuli 16. 1622. obligationem incurrentem, recidit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Magistratus quempiam furti insimulatum, præhabitis sufficientibus indiciis, & accedente propria quoque ejusdem in benigno Examine super patrato furto elicita falsione, incaptivari curet, deinde vero post diuturnos Carcerum squalores erga restitutionem rerum prætenfivè furto sublatarum, & ad Sequestrum positarum, eundem dimittat, & proscribat, subsequenter porro eveniat, quod furtum illud alii paraverint, atque adeo præfatus
invin-

invinclatus innocenter ad Arrestum positus, & ad compensationem rei furto sublatae condemnatus fuerit, proptereaque ad acquisitionem damni, & detrimenti corporis contra Magistratum procedat, in tali casu Magistratus ad nihil aliud, quam ad restitutionem rerum ab eodem ademptarum tenetur; cum enim invinclatus in benigno Examine Crimen sponte confessus sit, Magistratus vero penes sufficientes præcautiones, & modalitate Lege præscripta ex Officio processerit, idcirco nullius culpæ argui potest. *Utraque Tabula.*

(V.)

Repetitionis Fugitivorum Colonorum.

(Dec. 1.) Si is, ad quem profugus Colonus se recepit, per priorem profugi Coloni Dominum Terrestrem admonitus, quæstiones circa ejusmodi Colonom subversantes, per consequens remissionem etiam decisioni eligendorum Arbitrorum se submittere velle declaret, & repetens conditionem acceptet, tunc esto admoneri curans fundamento Judicialiter præmissæ repetitionis, ob intermissam restitutionem ad consequendam pœnam agat, Incattus tamen non solum a pœnis, sed & Expensis Litis absolvitur, cum enim Actor oblationem Incatti acceptaverit, & ratihabuerit, jam culpa, quæ pœnam post se trahere solet, in Incattum non cadit, & ideo Actor post ejusmodi acceptatam Incatti oblationem, ad Littem profusas expensas, tamquam sibi ipsi inaniter facto suo causatas, sufferre debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2) Si Actor penes repetitionem erga Patrem Incatti præmissam contra Filium ejus Littem ob intermissam restitutionem suscitet, Incattus tam a pœna, quam & Expensis absolvi debet, quia actus pœnales non alias in Hæredes transeant, quam dum hi post noviter erga ipsos peractam Admonitionem facto Patris insistant, taliterque culpam ejus in se sponte derivant, Filium vero, qui eatenus præmonitus non est, facto Patris insistere, adeoque culpam ejus in se derivare voluisse, nec præsummi potest. *Utraque Tabula.*

(VI.)

Repetitionis Literarum.

(Dec. 1.) Esto Fratres Condivisionales Contractu mediante conservationem Literarum Fratri Juniori deferant, attamen si Frater Natu Major ad restitutionem, & resignationem ejusmodi Literarum fundamento eo agat, quod conservatio talium juxta Titulos 42. 1^{mæ}, & 34. 2^{dæ} ipsum directe respiciat, tunc Incattus, sive Junior Frater in resignatione Literarum convincitur, nam Contractu tali publica, & Familiarum securitati providere volens, Legis dispositio alterari non potest; si tamen Actio ob denegatam resignationem ad pœnam Articuli 43. 1659. directa sit, tunc Incattus a pœnis, & Expensis absolvitur, cum obstante Contractu culposa detentio in Incattum non cadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si quis ejusmodi Literas sibi private resignari petat, quæ duas distinctas Sanguinis communionem neutiquam fo-

ventes Familias concernunt, exempli causa: Donationem, quæ per duas distinctas Familias impetrata est, & Incattus unius Impetrantis Familiæ descendens fit, tunc Actoratus Actoris descendit, cum enim remonstrare nequeat, quod Familiam suam jure privato concernentia Instrumenta Incattus habeat, jam Actoratus eidem ad obtinendas private prætenfas Literas competere non potest. *Tabula Regia.*

(Dec. 3.) Quamvis in Causis illis, dum ex circumstantiis Processualibus Actori, vel Incatto five suppletorium, five purgatorium Juramentum adjudicatur, Appellata ad præscriptum Articuli 30. 1729. ante Juramenti depositionem admitti debeat, cum tale Juramentum pro Litis decisorio reputetur, in Causis nihilominus ad restitutionem Literarum motis, si Incatto Revelatorium Juramentum imponitur, Appellata admitti non solet, tum ideo, quod Revelatorium, & non Litis decisorium fit, tum quod natura Causæ juxta Articulus 43. 1659. & 14. 1622. revelationem sub Juramento fiendam exigat, & ideo si Incattus post Sententiam procedentis Judicis Revelatorium Juramentum imponentem, illud præstare renuat, dummodo Actio ad pœnam Articuli 43. 1659. directa sit, non tantum in 500. florenorum pœna, sed & in perpetuo Evictoratu Bonorum in Actione specificè designatorum, convincitur, quia ejusmodi Incattus Judiciaræ potestati per positivam Legem attributæ obtemperare renuens, se ultro contumacem efficit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Licet Incattus in Causa ob denegatam restitutionem Literarum ad pœnam Articuli 43. 1659. coram Judice Nobilium suscitata, Judicatum difficultet ideo, quod Birsagiales Causæ Judicatum dumtaxat Vice Comitum per Articulum 26. 1550. subjectæ sint, hæc vero velut pœnalis ad classem Birsagialium Causarum pertinere debeat, quod item nec per Novellarem Articulum 28. 1715. in Causis ejusmodi judicandi provincia Judici Nobilium positive delata sit, Judicatus nihilominus Judicis Nobilium stabilitur, tum ideo, quod ex præcitati Articuli 28. 1715. dispositione jam eo ipso Judici etiam Nobilium judicandi in Causis ob denegatam Literarum restitutionem moveri solitis, provincia vel ex eo competit, quod illa præcise ad Vice-Comites restricta non sit, tum quod subsequens Articulus 35. 1729. Causas dumtaxat Violentiales, & occupationis Bonorum solis Vice-Comitibus attribuat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Esto Incattus ob denegatam Literarum restitutionem in Litem vocatus, ideo pœnam Articulo 43. 1659. statutam a se remove intendat, quod Actor Nobilis non sit, adeoque pœnam ejusmodi, quæ Birsagium sapit, obtinere non possit, tamen si Actor Jurisdictioni Dominali subjectus non est, & agat respectu propriarum Literarum Jura sua Materna concernentium, tunc Incattus ob denegatam restitutionem in pœna citati Articuli convincitur; sicut enim Ignobilis Bona Materna Nobilitaria successione mediante adepta possidendi de Lege capax est, ita etiam Literas ejusmodi Jura concernentes, aquirendi potestatem Leges ei concessisse videntur. *Utraque Tabula.*

(VII.)

Ad pœnam Dehonestationis.

(Dec. 1.) Cum illi, qui Hominem Nobilitari prærogativa gaudentem Ignobilem compellare, taliterque dehonestare præsummerent juxta Titulum 36. 2^{dæ} convincendi statuuntur, hinc si ejusmodi Nobilis Nobilitatem suam fidedignis Comitatus Testimonialibus legaliter probet, quamvis Incattus in obversum certæ alicujus Familiæ protestatorias contra ejusmodi Comitatus Testimoniales, quo Actor Nobilitatem suam docet, interpositas exhibeat, & Actor propterea distinctam adhuc Emendæ pœnam Incatto ideo irrogari petat, quod Incattus contra ita edoctam veram Nobilitatem ejusmodi injuriosis protestatoriis Literis uti præsumpserit, tamen Incattus ultra pœnam Dehonestationis 200. florenorum Auri in præcitato Titulo specificatam, in distincta pœna Emendæ videlicet Lingvæ convinci non potest, ejusmodi enim Instrumentum non proprium Incatti, sed alterius est, ususque illius non distinctus actus ab Actionali, sed ejus duntaxat defensivum medium est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si Actor ad pœnam Emendæ Litem ideo suscitet, quod Incattus Protestatoriis suis Universitati Comitatus præsentatis, ipsum non tantum a Cognominis, & prædicati usu inhibuerit; sed & quod iisdem Protestatoriis Cognomen, & prædicatum incompetenter, temere, & larvate Actorem usurpare declaraverit, Incattus vero remonstrat, quod ante ejusmodi Protestatorias Actorem sine eo admoneri curaverit, ut de competentia usus ejusmodi Cognominis, & Prædicati eundem capaciter, quodve Actor capacitate intermiserit, proinde necessitate tuendorum Jurium suorum coactus, hanc viam arripere debuerit, tunc his in circumstantiis, si ex ipsis Protestatoriis eveniat, quod illæ principaliter ad tuitionem, & sustentationem Jurium interpositæ fuerint, Incattus a pœna Emendæ Lingvæ absolvitur, quia eo ipso, quod Admonitionem præmiserit, jam ejusmodi bonæ fidei tractatus demonstrat, Protestationem non animo injuriandi, ast ad Jurium sustentationem, antevertendamque eorum involutionem interpositam esse. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 3.) Si sub deffluo cujuscumque Processu alterutra Partium ad Superiores Instantias recurrendo, ibidem adversus contra Partem suam injuriosam expositionem faciat, propterea in eodem Processu in pœna Dehonestationis convinci non solet, cum enim Dehonestatio in Jure peculiarem Processum ordinatum habeat, idcirco distinctim tractari debet, & cum aliis Processuum speciebus confundi non potest. *Utraque Tabula.*

VIII.)

Ad desumendas Marcas propter denegatam Testificationem.

Licet juxta præscriptum Articulum 49. 1635. 87. 1563. illi, qui penes Mandata Ordinariorum Regni Judicum legitime requisiti, testimonium perhibere intermitterent, vel alios a testificando impedirent, in pœna Sedecim Marcarum gravis ponderis convincendi

A a a

veniant,

veniant, si tamen ex ipsis Interrogatoriis punctis, ad quæ Actor inquiri curare voluit, prodeat, quod de ejusmodi factis ad perhibendum testimonium coacti sint, respectu quorum per Leges a testificando exempti sunt, Actionali pœnæ subjici non possunt; Mandatum enim Compulsorium ad actus Legibus contrarios extendi non potest, verum in sensu illarum accipi debet. *Utraque Tabula.*

(IX.)

Ad pœnam Articuli 19. Uladislai Regis Decreti 4. propter occupationem Bonorum contra oppositionem attentatam.

Quamvis Articulo 19. Uladislai Decreti 4^{ti} contra illos, qui contra Oppositionem tempore Executionis interpositam, Bona occupare præsumerent, pœna perpetuæ amissionis Causæ, sive substantiæ illius, quæ ipsi per Sententiam Judicis adjudicata est, statuta habeatur, nihilominus si non per illum, qui in Lite succubuit, sed alterum, qui videlicet prætensionem ad substantiam convicti format, Nomine dumtaxat proprio oppositio tentetur, & Judex hanc, utut illo, qui triumphavit, adurgente, in Executionem summat, dummodo ejusmodi Executionem procurans, probare possit, quod Substantia in Executionem sumpta, privative convictum concernuerit, per consequens, quod Opponens simulate sibi appropriare voluerit, tunc non solum a pœna absolvitur, sed insuper is, qui ad pœnam præcitato Articulo statutam agit, in Expensis Litis vincitur, quia Titulus 72. 2^{dæ} illi, qui in Causa non egit, adeoque non succubuit, tunc saltem Oppositionis beneficium admittit, si in reali possessorio Bonorum, vel Substantiæ, cujus intuitu Lis intercedit, constituitur, non vero, qui ad eludendam alterius justam acquisitionem sub ipso Executionis actu Substantiam simulate appropriare intendit, & ideo merito ejusmodi Actor, qui alterum prætextuosa Lite ad gravem adeo pœnam directam, onerare præsumit, in Expensarum refusione convinci debet. *Utraque Tabula.*

(X.)

Ad desumptionem Vinculi.

(Dec. 1.) Si quispiam coram Judice Comitateni succumbens, sub Vinculo ita transigat, quod in casum illum, quo Sententiam in Sedria Comitatus approbari contingeret, Executionem admissurus sit, approbatione autem subsequuta, Mandatum Regium intra Dominium Transmissionale impetret, taliterque Executio impediat, propter factum hoc non potest in pœna Vinculari convinci, quia in similibus circumstantiis Executio nec tentatur, adeoque illa non facto Succumbentis impeditur, verum ex interventu Benigni Mandati Regii per Sedriam suspenditur, & alioquin inconveniens foret, si aliquis propter recursum ad Thronum Regium, qui omnibus patere debet, pœnam incurreret. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Pœna Vincularis tunc locum non habet, quando præjudiciosis Vincularibus Contractibus Jura Successorum involvuntur, illi vero coram competenti Judice ad rescissionem similis Contractus procedunt, injustum enim est, alterius Jura præjudiciosis

ciosis Contractibus involvere, sed adhuc injustius eidem viam Juris, quo minus præjudicium suum remediari possit, præcludere velle. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si aliquis in imperfecta ætate constitutus Contractum ineat, & se sub Vinculo obliget, quod eundem revocare nolit, nihilominus subsequenter, antequam perfectam ætatem attingat, illum revocet, talis in pœna Vinculari convinci non solet, quia beneficio revocationis infra perfectam ætatem constitutis, ex peculiari Legis Dispositione competenti, per Vincularem Contractum in imperfecta ætate celebratum, velut alioquin perfecto consensu destitutum derogari nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) In Causis, ubi pure ad desumptionem Vinculi per modum Liquidi Debiti obligati agitur, & Actor triumphat, etiam Expensæ Processuales ipsi adjudicari solent, quia taliter obligatum Vinculum naturam Liquidi Debiti imbut, per consequens sensu Articuli 31. 1659. cum Expensis vadit. *Utraque Tabula.*

(XI.)

Ex confectiōe falsæ Literæ ad pœnam Infamiæ.

Licet Actor ad dictandam pœnam Infamiæ ob confectiōem falsæ Literæ fundamento Articuli 12. 1723. procedens, unius Testis fassione monstret, quod Incattus medio ejus aliquod Instrumentum scribi, & subscribi curaverit, illudque cujus Originale Incattus in Judicio exhibuit, idem Testis suam scripturam agnoscat, ac in adminiculum id quoque doceat, quod idem Incattus recte talem Zonam, qua ejusmodi Instrumentum confutum, cui item Siggillum appressum est, confici curaverit, si tamen Incattus in obversum doceat Instrumentum illud, tam Notarii Conventus recognitione genuinam ejusdem Conventus expeditionem, quam & Testimonio subscripti Conventualis in eodem Instrumento contentam subscriptionem ipsius propriam esse, tunc a pœnis absolvitur, prout enim nulli magis realitas expeditionis, quam subscribenti Conventuali, & Notario Conventus constare potest, ita eorum recognitio debite circumscripta plenam probam facit, per consequens his proba Actoris sufficienter enervatur. *Utraque Tabula.*

(XII.)

Ob involationem in Jurisdictionem Magistratualem.

Si aliquis super exercitio Juris Gladii Benigna Regia concessione destitutus, Malefactores legitimo Magistratui resignare negligat, tunc per Fiscum Magistratualem illius Comitatus, cujus Magistratui resignari Malefactor debuisset, ad Sedem Judiciariam citatus, non in tribus Marcis gravis ponderis Titulo 32. 3^{tiæ} affectis, sed in pœna 500. florenorum convincitur, quia per posteriorem Legem Articulum quippe 16. 1659. dispositio præcitati Tituli ea in parte alterata, & pœna ad 500 florenos extensa est. *Utraque Tabula.*

(XIII.)

Causæ Magistratuales contra Dominos Terrestris ex Sævitiæ.

Comperto eo, quod Dominus Terrestris in Subditos suos sævierit, illos oppresserit, ab iisdem sub variis prætextibus illegales præstationes extorserit, quin imo citra viam Juris Fundos illorum ademerit, idem Dominus Terrestris non tantum ad quarumvis illegalium extorsionum, damnorum item, & injuriarum compensationem, Fundorumque prævio modo ademptorum restitutionem, sed etiam ad fructuum medio tempore ab inde perceptorum resarcitionem obligatur, præterea si Colonum suum sine legitima causa verberari curet, vel modum, & mensuram in verberando excedat, ejusmodi verbera, seu detrimentum corporis mulcta pecuniaria juxta prudens arbitrium Judicis imponenda compensare tenetur. Porro si ob sævitiem Domini Terrestris, aut propter excessus ejusdem contra Urbarium commissos Coloni profugiant, in tali casu idem Dominus Terrestris in Homagio singuli profugi, florenis utpote 40. convinci solet, circa facultates vero talium Colonorum, si Colonus profugus amplius non redeat, vel semet non infinet, hæc norma observari debet, ut primum, & ante omnia, ex illis restantiæ Contributionales deducantur, substantia autem abinde resultans in publicum Loci illius, ex quo Coloni profugerunt, alleviamen convertatur, demum expensæ etiam Processuales in talismodi Magistratualem Causam erogandæ, Domino Terrestri supportandæ incumbunt; cum enim Reipublicæ interfit, ut fundus Contributionalis tamquam ad sublevandas Publicas necessitates destinatus, omni meliori modo conservetur, hinc utique justum est, ut in talem, qui data opera, & illegalibus modis diminutionem illius procurat, pro exemplo quoque aliorum severe animadvertatur. *Utraque Tabula.*

(XIV.)

Ad cassationem citra Privilegium exercitæ exactionis Telonialis.

(Dec. 1.) Dum Fiscus Magistrualis contra privatum Terrestrum Dominum propter exactionem Telonii a transeuntibus per viam, quam is privatis suis sumptibus in proprio Terreno construi curavit, coram Sede Judiciaria Comitatus ad sublationem citra Privilegium exercitæ Exactionis agit, esto Incattus Judicatum Sedriæ difficultet, ideo quod Fiscus Magistrualis non alias, quam Nomine Universitatis procedere, per consequens Sedes Judiciaria Actor, & Judex juxta Titulum 17. Prologialem, & 22. 2^{dæ} esse nequeat, difficultas ejus rejicitur; jam enim eo ipso, quod per Articulum 15. 1715. & 56. 1723. correctio ejusmodi excessuum Magistratui Comitatenfi concedita sit, judicandi provincia Sedriæ attributa est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet Incattus in Causa contra se ad cassationem citra Privilegium exercitæ Exactionis Telonialis suscitata opponat, non solum id, quod viam propriis Sumptibus, & pro privatis dumtaxat suis usibus extrui curaverit, sed &, quod neminem ad transeundum cogat, per consequens pensio eorum, qui sponte per eandem velut ipsis magis commodam transire volunt, a libero Arbitrio

bitrio eorum pendens, ad spontaneum factum, adeoque nemini præjudiciosum recidat, tamen quocunque titulo exigi solitæ exactiones cassari, & abrogari debent, cum juxta præscriptum Articulorum 86. & 87. 1497. ac 15. 1715. citra Privilegiam concessionem omnis ejusmodi Exactio interdicta sit, hinc esto via illa privatis sumptibus Incatti structa fuerit, tamen in quantum vel ad publicam antiquam viam extensa est, vel per exstructionem novæ accessus antiquæ publicæ viæ impeditus haberetur, parte in illa pro communi universorum itinerantium usu libero deserviente, declaratur; cum enim publicam viam in privatam transformare, & per novam accessum ad antiquam præcludere præsumperit, merito parte in ea amissione privati usus, ita ut illa non amplius privato dumtaxat ipsius, sed omnium publico, & libero usui deserviat, puniri debet. *Utraque Tabula.*

(XV.)

Ad demolitionem Molendinorum, & Aggerum.

(Dec. 1.) Cum Articulus 14. 1751. non solum Publico, sed & privatis nocivarum, & damnosarum Molarum, & Aggerum sublationem non tantum Fiscus Magistratualis, sed & privati, quibus in particulari damnosa est, agere possunt; quia publico, & universali Lege illis, quibus injuria, & damna inferuntur, vindicandi per consequens ad eorum, quæ damnificationis Causam præbent, sublationem agendi activitas, attributa est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Licet in Causa per Actorem ad sublationem Molæ per Vicinum constructæ, suscitata, Incattus Judicatum Vice Comitatus difficultet ideo, quod ejusmodi Molarum, & Aggerum Publico, & privatis nocivarum sublatio auctoritate Magistratuali Comitatum instituenda per Articulum 14. 1751. præcipiatur; si tamen Actor remonstret, quod Instantiam sine cognoscendæ damnificationis, per consequens procurandæ sublationis ejusmodi Molæ Universitati Comitatus porrexerit, & procedens Judex per Universitatem auctorifatus, & exmissus sit, tunc difficultas Incatti rejicitur, cum enim tota Universitas pro particulari ejusmodi Cause experimento, ocularique ejusdem revisione in concreto adesse non possit, auctorifare, & exmittere potest, & his in circumstantiis, ejusmodi exmissus, & auctorifatus ipsam Universitatem representat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Esto Actor contra Vicinum ad sublationem, & cassationem Molæ in privato ejus Terreno recentius exstructæ, procedat ideo, quod per Aggeris constructionem, vel Trabium impositionem defluxum aquæ, hacque ratione Molæ prius existentis cursum impediat, adeoque inutilem reddat, tametsi Judex exposito per Artis peritos experimento cognoscat, quod absque sublatione Molæ Incatti altera, Actoris videlicet, ad utilem, & pristinum statum reponi possit, tunc impedimenta dumtaxat ea, quæ cursum rotarum Molæ Actoris sistebant, sufferre debet, ~~quia~~ præterquam quod nemini in proprio Terreno ejusmodi usufructus perceptio, quæ absque evidenti, & gravi alterius damno, & præjudicio haberi potest, impediri valeat, Articulus etiam 14. 1751. in

ejusmodi casibus dum Molæ antiquiores ad utilem, & pristinum statum per sublationem impedimentorum poni possunt, correctionem, five instituendam impedimentorum sublationem præscribit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si Actor propter impeditum Molæ suæ ab antiquo præexistentis, cursum procedens, tam oculata Judiciaria, quam Artis peritorum falsionibus probet, quod vicinæ Molæ Possessor antiquæ novam imponendo Trabem, defluxum aquæ, taliterque cursum Rotarum impediatur, quodve erga iteratas etiam Admonitiones impedimenta ejusmodi sufferre neglexerit, tunc non solum impedimentum tollitur, sed & Incattus in refusione damnorum & impedita fructuum perceptione causatorum, convincitur, si enim juxta Articulum 69. 1715. communium ædificiorum morosi reparatores præmissa Admonitione reparationem negligendo, alteri causatum damnum refundere tenentur, non videtur, quare per impeditum contra factam inhibitionem Molæ cursum amissi proventus refundi non deberent. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) In Causis ad sublationem, & cassationem Publico, & privatis nocivarum Molarum, & Aggerum, Judex omnia possibilia ad cognoscendam damni, & nocuenti qualitatem media adhibere, Oculatam Judicariam quoad distantiam quoque Molæ, & adjacentis situs peragere, per consequens pondus etiam aquæ investigare, imo convocatis Artis peritis, experimentum sufficiens in eo etiam ponere debet, num per reductionem, & depressionem Aggeris, vel Catharactarum corrigi, adeoque noviter erecta Moia absque notabili nocumento, & damno Vicinorum, vel Contribuentium conservari possit, & tum primum si posito sufficenti experimento correctionis modus non fuerit, cassari debet, quia jam tunc merito juxta Articulum 14. 1751. pro Publico, & privatis nociva reputatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) In Causis ad sublationem Molarum, & Aggerum Incatto succumbenti intra Dominium Appellata competit, cum enim inter Causas extra Dominium Appellabiles Articulo 28. 1729. expressas non specificetur, jam juxta ejusdem Articuli dispositionem pro intra Dominium Appellabili reputatur. *Utraque Tabula.*

(XVI.)

Ad Proportionem Usus.

(Dec. 1.) In Causis Proportionalibus hæc norma observari solet, ut a proportione Sessiois appertinentiis provisarum, per quemlibet Compofforem intra Villam actualiter possessarum, etiam Agri, Prata, Silvæ, & alia idgenus extravillana beneficia, in quorum videlicet promiscuo, seu simultaneo usu Compoffores actu idgenus omnibus appertinentiis destituti connumerationem Intra-villanorum non ingrediuntur, Curia vero ita considerantur, ut juxta ideam in quovis Comitatu eatenus observari solitam, una, ad duas plus, minus Sessiones reducatur, taliterque etiam illi extravillana beneficia admensurentur; Expensas denique Processuales Partes Collitigantes paritate Articuli 69. 1715. a proportione Intra-villani possessorii supportant. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Antiquum constitutum Sessio-
narum postfundualium Proportioni non subest, cum enim actuale
cujusvis Compessoris Intravillanum possessorium in ordine ad
erudendam in extravillanis beneficiis proportionem pro norma, &
cinofura deservire debeat, idcirco illud mutationem, & proportio-
nem non recipit. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 3.) Si unus Compessor ex Terreno communi quamquam
notabilem plagam occupet, illamque impopulet, & pluribus An-
nis private possideat, talis plaga relinquitur quidem actuali Pos-
sessori, nihilominus alteri Compessori pro recompensa tantum-
dem ex communibus Fundis adjici debet, quantum illa occupata
plaga exportat, dum enim ea, quæ fundo superædificantur, extra
objectum proportionis cadant, idcirco scopo Legis satisfit, si alteri
Compessori quoad fundum proportionata compensatio præste-
tur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si in Processu Proportionali Incattus hoc obvertat,
quod certa Plaga non sit pars illius Terreni, quod sub proportio-
nem trahi intenditur, verum sit distinctum Corporeum Prædium,
& hoc ipsum antiquis Privilegiis, vel aliis Literalibus documentis
comprobet, interim ex Actis Processualibus eveniat; quod Domini
Terrestres Actionatæ Possessionis Plagam illam a memoria Homi-
num non in qualitate distincti Corporis, verum in qualitate apper-
tinentiæ promiscue usuaverint; tunc prærepetita Plaga a propor-
tione eximi non potest, præterea etiam si alterutra Partium ex
Privilegiis doceat, quod in Intravillanis major eidem proportio
competeret, quam actuale ejusdem possessorium exportet, tamen
proportio non a quantitate competentis, verum a quantitate actua-
lis possessorii metienda venit, quia fundamentum Processus Pro-
portionalis est actualis Partium usus, quidquid igitur extra illum
prætentitur, hoc non ad Processum Proportionalem, verum ad
Processum Juris pertinet, & ideo Actori in Plaga Actionali cum
Parte I. simultaneum actualem usum non habenti, sed tantum Jus
ad eandem prætendenti Actio ad inducendam proportionem non
competit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si Actor causam Proportionalem suscitans, Actio-
nem suam in Legibus de Divisione sonantibus accumulatis etiam
aliarum Actionum speciebus, ad obtinendam legalem proportio-
nem non pertinentibus fundet, quin imo eandem Actionem etiam
ad subdivisionem Intravillanorum dirigat, Institutum condescen-
dere solet, tum quod cumulatæ Actiones in Jure Nostro locum
non habeant, tum vero quod Intravillana proportioni non obno-
xiantur, verum pro norma erudendæ proportionis deservire debeant.
Tabula Utraque in hac questione Juris.

(Dec. 6.) Si in Processu Proportionali Actio non tantum ad
communium beneficiorum regulationem, sed etiam ad certæ Pla-
gæ privativam pro Actore excisionem dirigatur, eadem condescen-
dere solet, quia ductu Articuli 69. 1715. Causæ Proportionales ni-
hil aliud quam limitationem usus communium beneficiorum pro
objecto habere possunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Quando Compossessores de proportione in Prædio inducenda agunt, tunc talis norma observatur: Fundi pro Curriis, Terris, item Arabilibus, Pratis, & Vineis deservientes cuivis Compossessori secundum competentiam ejusdem excinduntur, ædificia vero, & Vineæ, aliaque idgenus Beneficia privatis Partium sumptibus procurata, prioribus Possessoribus in sortem ratæ illorum relinquuntur, beneficium Pascui sive per propria, seu vero conductitia Pecora juxta tamen elaborandam quoad Pecora numericam proportionem usuandum, pro communi relinquuntur, residua demum tam interna, quam externa totius Territorii Beneficia inter Compossessores a proportione competentiae ad justam mensuram reducuntur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si in una eademque Possessione plures sint Compossessores, & status Intravillani eorumdem possessorii sit ita confusus, ut individuale Sessionum constitutum ex Actis Processualibus erui non possit, tunc Pars I. absolvi solet, quia juxta Articulum 69. 1715. status Intravillani possessorii deberet pro norma, & clavi eruendæ proportionis deservire, si proinde illius quantitas non constat, tunc communia Beneficia eidem appropportionari non possunt. *Utraque Tabula.*

(XVII.)

Repositionales.

(Dec. 1.) Ad repositionem ex violenta occupatione procedens, esto longiori tempore præhabitum Antenatorum suorum possessorium doceat, si tamen Incatto urgente, violentam ejectionem docere non possit, tunc Incattus absolvitur, quia Actio Actoris ex violenta occupatione assumpta est, illam igitur pro natura Causæ docere debet, & alioquin ex præhabito possessorio, cum illud variis modis amitti possit, violenta ejectio inferri non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si quis Repositionali Processu contra Compossessorem procedat, ideo quod Boni illius exempli causa medietas ipsum respiciat, ac in hujus usu quantum ad Dominalia Beneficia actu quoque persistat, alterius tamen Compossessoris Subditi, ultra competentiam ejus in extirpaturis, fundisque, & appertinentiis successivas occupationes fecerint, non sufficit docere, quod Portio Incatti in extravillanis major sit, sed præhabitum suum in ejusmodi appertinentiis possessorium, violentamque sui ejectionem, quam Actio pro objecto habet, docere tenetur, nemo enim in id reponi potest, in cujus usu non præfuit, & ideo si præhabitum usum, & violentam ejectionem Actor non docet, Incattus absolvitur. *Tabula Utraque.*

(Dec. 3.) Licet in Causis ad acquisitionem damni procedendi activitatem Judices Nobilium habeant, si tamen sub hoc titulo repositio in integrum petatur, Judicatus condescendit, quia per Articulum 35. 1729. ejusmodi Causæ, velut Bonorum occupationem pro objecto habentes, reflexe ad Articulum 4. & 5. 1542. ac 56. 1655. Judicatu Vice-Comitum subjectæ sunt. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.)

(Dec. 4.) Si Actor cum expositione illa, quod ex Fundo suo Nobilitari violenter ejectus sit, ad repositionem agat, Incattus vero remonstret, quod Fundus ille olim Datis, & præstationibus Colonialibus subjectus fuerit; & abinde Datis, & Servitutes Genitori suo præstitæ fuerint, imo recentioribus etiam temporibus inter se, & Actorem continuæ eatenus dissensiones viguerint, tunc nisi Actor Fundum illum Nobilitari jure ad se pertinuisse doceat, Actoratus condescendit; quia præterquam quod Expositionis proba Actorem maneat, Articuli etiam 3. 1543. 54. 1563. 11. 1687. Bona occupata veris, & legitimis, adeoque Proprietariis restituenda imponunt, jam vero Fundi tales, a quo Censuræ, & Datis alteri præstantur, proprietates non ad Possessorem sive Usufructuarium, sed ad eum, cui Censuræ dependitur, pertinet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Actor, qui se ad præhabitum usum immunitatis a Telonio reponi petit, nisi illum imperturbatum, & talem, qualem Leges requirunt, remonstret, Repositio locum non habet, nam is pro excusso haberi non poterit, qui legalem usum nunquam adipiscitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) In Causis ad Repositionem motis, Actori triumphanti fructus, & expensæ adjudicari solent, qui fructus Bonorum illi competunt, ad quem juxta Articulum 48. 1563. possessorium Bonorum legitime pertinet; cum porro Causæ ad Repositionem suscitari solitæ, violentam usus turbationem pro objecto habent, jam paritate Violentialium Causarum refusionem Expensarum exigunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Vidua una cum Filia sua Bonis Maritalibus immanens, per Sexum Masculinum ratione ex illa, quod eadem Bona Sexum Fæmineum non concernant, ex possessorio via facti excutiatur, proptereaque Mater quidem intuitu Jurium Vidualium, Filia vero respectu Jurium Capillarum ad sui in integrum repositionem agant, & triumphant, nihilominus antequam Executio peragatur, Vidua moriatur, Filia autem nubat, tunc Filia ad acquirenda tam Matris, quam propria Jura ad distinctum peculiarem Processum relegari solet; quia circumstantiis taliter mutatis, pro titulo Actionis assumpta in integrum Repositio, amplius effectuari non potest. *Utraque Tabula.*

(XVIII.)

Ad acquisitionem Bonorum ex Incapacitate Possessoris.

(Dec. 1.) Dum Nobilis contra Ignobilem Patriæ filium Bona Nobilitaria possidentem, fundamento Articuli 23. 1715 ad revindicationem Bonorum procedit, quamvis Incattus Actionem Actoris a se amovere intendat, ideo, quod citati Articuli dispositio ad Extraneos restricta sit, adeoque ad nativos nulli Dominorum Terrestrialium jurisdictioni subjectos, per consequens ad liberas Personas, qualis ipse esset, extendi nequeat, tamen erga inhærentis Summæ, & accessoriorum renumerationem in amissione Bonorum vincitur, cum ultra præcitati Articuli dispositionem Tituli quoque 29. & 30. 3^{tiæ} Ignobiles possidendorum Bonorum, & Jurium Nobilitarium

rium incapaces esse declarent, adeoque posterior ille Articulus in præcedanearum, vigoremque suum retinentium Legum sensu intelligi debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si tamen Bona ejusmodi post Citationem Ignobilis de manu incapaci ad capacem transeant, tunc fundamentum Actoreæ prætensionis cessat, adeoque Pars I. absolvitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Actor contra ejusmodi Ignobiles, qui Bona Jure Materno Avito tenent, ex incapacitate agat, dummodo hi condescendentiam suam ex Nobili Matre, Bonaque eadem Jure Successionis in se devoluta esse doceant, ab impetitione absolvuntur, quia his velut ex Materna Successione tenentibus, jus retentionis, adeoque ea in parte possessorii capacitatem Articulus 18. 1687. indulget. *Utraque Tabula.*

(XIX.)

Metalis ex Usu.

(Dec. 1.) Etiam si in Processu Metali Via Appellatæ ad Curiam Regiam deducto, Judex in Partibus procedens jam oculatam pergit, eo tamen non obstante Referens Protho-Notarius ante relationem Processus denuo ad oculatam exire solet, tum ideo ut in facie Loci de situ Terreni controversi, Signis Metalibus, aliisque idgenus circumstantiis plenam informationem capere, ac ita demum occasione revisionis Causæ pro re nata Curiam Regiam capacitare possit, tum vero ideo, ut Mappam quoque cum ductibus Partium combinare, taliterque authenticare valeat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si inter Partes respectu cujusdam Plagæ ab antiquo Metales controversiæ vigeant, eousque neutra Partium ratione turbati usus alteram Processu quærulo impetere potest, donec controversia illa Metali Processu definiatur, quia propter confusum, & a discussione, atque decisione Judiciaria pendentem Plagæ controversiæ statum sciri nequit, ad quemnam illa pertineat, & cui Territorio includatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Quamvis juxta Titulum 85. 1^{mæ} in Metis rectificandis non currat Præscriptio, si nihilominus quispiam Processum Metalem sub Appellata hærentem intra Annos Præscriptionis non prosequatur, talis Causa pro irrevivibili declaratur, quia juxta Titulum 79. 1^{mæ} cuivis Liti qualecunque objectum habeat, si intra tempus Lege definitum non promoveatur, præscribi solet, nam talis Præscriptio solum perimit formam, non vero ipsam rem. *Tabula Regia.*

(Dec. 4.) Si in Processu Metali alterutra Partium præter Signa Metalia etiam usum antiquum illis conformem ostendat, Ductus juxta eadem Signa stabiliri solet, nam etiam si altera Pars aliquem recentem usum docere possit, ille tamen exstantibus antiquis Signis Metalibus, pro usurpativo dumtaxat censeri debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si in Processu Metali ex usu suscitato, alterutra Partium sine eo Privilegium producat, ut per illud probare possit, quod

quod altera Pars per Ductum suum aliquod Corpus absorbere velit, tunc Privilegium illud solum per modum testimonii assummi solet, nam discussio Privilegiorum eatenus, quatenus ad probam Juris deserviunt, ad Forum, & Institutum Processus Metalis ex usu promoti non pertinet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 6.) Si Controversia Metalis inter Partes vigens sit antiqua, nullaque realia Signa Metalia existant, & neutra Partium circa Plagam controversam privativum usum docere possit, verum confusus, & promiscuus usus eveniat, tunc ad exigentiam Articuli 20. 1635. Plaga illa bifarianda decernitur, nihilominus bifariatio ita debet institui, ut habita ratione situs, aliarumque circumstantiarum, pro commoditate, & convenientia Partium peragatur, quia Accomodationes Metales illo scopo fiunt, ut inter Vicinos pax, & tranquillitas conciliari possit, hæc autem vel maxime procuratur per id, si commoditatis, & convenientiæ Partium condigna ratio habeatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si in Processu Metali ex usu suscitato, tales Commetanei pro testimonio adhibeantur, in quos fundata præsumptio cadit, quod inter duos Litigantes de proprii quoque Terreni dilatazione, & extensione agant, eorum testimonia acceptari non possunt, quia tales a paritate Servorum, & Subditorum cadunt sub censuram Articuli 26. 1729. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Quamvis ductu Tituli 85. 1^{mæ} sub prætextu Metarum Corporales Possessiones, vel Prædia acquiri, & absorberi non possint, si nihilominus in Causa Metali ex usu suscitata, talem Plagam Ductibus inclusam esse eveniat, quæ olim distinctum Corpus fuit, verum jam ab immemoriali per neutram Partium private, & in qualitate distincti corporis, sed per utramque Partem promiscue usuabatur, in tali casu præensum illud distinctum corpus Metationi non obstat, quin imo salvis Partium Juribus pro objecto ejusdem assummi potest, tum quod Anima Processus Metalis sit usus, & Judex quoque Pedaneus non nisi ex usu judicare possit, tum vero quod restauratio, & revindicatio præattacti distincti Corporis ad Processum Juris pertineat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Actor Processum Metalem non continuet, Incatus vero eundem ad continuationem Litis evocet, taliterque semet Actorem efficiendo, Causam prosequi, & terminare velit, tale Institutum condescendit, quia caret Actione, Citatio vero absque Actione non subsistit. *Tabula Regia.*

(Dec. 10.) Actio Metalis ex usu etiam Hypothecario possessori competit, quia talis Processus fundatur præcise in usu, adeoque nihil obstat, quominus etiam per eos, qui tantum Dominium utile, Boni controversi habent, promoveri possit, cum utpote illorum vel maxime interfit, ut quietum Bonorum possessorium nanciscantur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 11.) Licet quispiam in Causa Metali usum doceat, si tamen altera Pars in contrarium ostendat, quod usus ille ex violenta occupatione promanaverit, nullam in Jure attentionem subit, quia talem usus, velut ex legali fonte promanans, legitimum possessorii titulum fundare non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) In *Causis Metalibus Testes in facie Terreni* contraversi examinati, & authenticati, præponderant illis, qui extra faciem Loci examinantur, quia juxta Titulum quoque 41. 2^{dæ} quod visu noscitur, verissimo testimonio comprobatur, & alioquin Testes in facie loci præsentés, possunt se ad omnes circumstantias magis reflectere, illasque melius explicare, quam absentes. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) *Quamvis Dominus Terrestris Bona sua sub certis conditionibus alteri in Pignus locaverit, eo tamen non obstante, etiam extra possessorium constitutus, potest respectu eorundem Bonorum Processum Metalem instituire, quia Proprietarii, vel maxime interest præcavere, ne Bona sua sub Pignore constituta per Vicinorum involutiones, & occupationes diminuantur. Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) In *Causis Metalibus usus simplicis Pascui præsertim turbulentis temporibus exercitus exiguam reflexionem subit, vel adminus non potest comparari cum usu Arationis, Fœnificii, Lignationis, & aliis idgenus, notum enim est, quod multa Loca potissimum priscis temporibus ex reflexione bonæ Vicinitatis reciprocum in Territoriis suis pascui usum admiserint, notum item est, quod ejusmodi pascuationes, non semper fundamento Juris ad rem habiti, sed interdum casu, & incuria eveniant, interdum vero modo subreptitio instituantur. Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Si quispiam ad acquisitionem certi Prædii ex Jure procedat, Jureque, & possessorio edoctis, eidem Actionale Prædium per Curiam Regiam in abstracto adjudicetur, nihilominus occasione Executionis Succumbens motivo ex illo, quod Actor eandem Executionem prætensive ultra justos adjudicati Prædii limites, extendere voluerit, Oppositione utatur, proptereaque Jure conveniatur, interim pendente adhuc Lite Oppositionali, Triumphans ad definiendos Actionalis Prædii Limites, taliterque procurandum adjudicationis Curialis effectum in Partibus Processum Metalem suscitet, eundemque terminet, & pro Revisione ad Curiam Regiam deducat, in similibus circumstantiis Decisio præattactæ Causæ Metalis suspendi solet, cum enim illa ideo suscitata fuerit, ut effectus Sententiæ Curialis procuretur, Sententia vero illa Oppositione impedita sit, & Lis eatenus mota, adhuc pendeat, idcirco ante terminationem ejusdem, Causa Metalis vel ex eo decidi nequit, quia per decisionem illius ipso facto anticiparetur Judicium in præmentionata Causa Oppositionali ferendum. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(XX.)

Decimales ex Usu.

(Dec. 1.) *Esto Clerus ob denegatam in natura Decimam ad pœnam dupli procedens probet, quod Exarendatio, sive Quietantia super perfoluta Arenda cum his Clausulis: pro hoc dumtaxat Anno, hac vice, item absque præjudicio Successorum, & usque beneplacitum Nostrum, a longo jam tempore data fuerit; item quod Summa etiam variata jam inclusis, jam exclusis Parochorum obventionibus, non tamen in natura sed parata pecunia, cum certa,*

&

& definita Summæ quotta præstita fuerit, Incattus tamen in pœna dupli convinci non potest, quia ejusmodi convictio pro pœna, quæ culpam prærequirit, statuta est, jam vero in illum, qui fiducia longo tempore continuati erga paratæ solutionem usus, exactionem in Natura prætensam denegat, culpa eousque non cadit, donec legali potestate ad id præstandum stringatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) Si Clerus ad pœnam dupli procedat ideo, quod in Terreno Possessionis illius, ubi Decima ex Terris Exstirpatitiis denegata est, usum Decimæ etiam in aliquibus Exstirpatitiis Terris habeat, interim in specifico respectu Actionalium Exstirpatitiarum usum docere nequeat, Incattus absolvitur, quia eo ipso, quod ex Terris illis denegatam Decimam vindicandam assumpserit, jam præhabitum specificum usum docere debet, & illo non edocto necessario absolutio Incatti sequitur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Esto Prælatas ad pœnam dupli procedens, in certi Prædii Promontorio præhabitum Decimationis usum in abstracto doceat, si tamen Incattus remonstrat, quod Actor, vel Prædecessores ejus in usu exactionis aliquarum dumtaxat Vinearum, non vero totius Promontorii præfuerint, ex reliquis autem Dominium Terrestrale sive Septimæ, sive Nonæ, vel Decimæ titulis Vindemiale obveniens, desumpserit, tunc respectu ejusmodi Vinearum, quarum privatum Vindemialis obventionis usum Terrestrale Dominium habuit, simpliciter absolvitur, & non nisi parte in ea, ubi usus Decimationis ex parte Actoris præhabitus, evenit, in pœna dupli convinci solet, quia Actio ad pœnam dupli in præhabito usu fundatur, adeoque jam convictio, & per consequens pœna, quæ restitutionem denegatæ Decimæ in duplo pro Objecto habet, ultra Vinearum ex usu Decimæ subjectarum proventum extendi non potest. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 4.) Quamvis Prælatas doceat, quod ex appertinentiis Sessionalibus per Subditos possessis Annue Decimam perceperit, & non nisi a tempore eo, quo Nobilis Persona Jure suo ad possessorium venit, Decima denegata sit, tamen nec pœnam dupli, nec repositionem obtinere potest, quia eo ipso, quod ejusmodi Terræ ad manus Nobilitares jure devenerint, onus præstandæ Decimæ cessavit, cum Nobilis suo jure possideat, adeoque priorem Ignobilem possessorem non representet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Prælatas respectu denegatæ Decimæ ad pœnam dupli ideo procedenti, quod desumptio Decimæ in Natura admissa non sit, si Proprietarius probet, quod Prælatas a memoria Hominum in usu exactionis Decimæ in natura non præfuerit, pro exactione vero pendi solitam pecuniam Summam obtulerit; Actoratus denegatur, cum enim Arendalis Decima, sive pecuniaria solutio in usu fuerit, & natura Causæ usum pro Objecto habere debeat, jam ob denegatam in Natura Decimam Actoratus ad desumptionem pœnæ Articularis competere non potest. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Licet is, contra quem Actio ob denegatam Decimam suscitatur, Officialis quidem Domini illius sit, ubi Decima Prælatas denegata est, si tamen Actio contra ipsum non qua Officialem,

sed simpliciter suscitetur, & eveniat, quod per illum qua Officialem denegatio commissa fuerit, tunc Institutum modo prævio erectum, condescendit, eo ipso enim, quod actus ejusmodi ex Officiolatu patratus sit, Actio vero ad pœnam dupli, concomitanter ad repositionem suscitata fuerit, illa vero a privato qua tali, si videlicet ab Officiolatu ejus abstrahatur, obtineri non possit, merito Institutum tale, velut erronee contra privatum assumptum, condescendere debet, cum effectum Lege præscriptum producere non possit. *Tabula Regia.*

(Dec. 7.) Esto Officialis Dominalis Prælato Decimam non denegat, si tamen convectionem ejus impediatur, exempli causa: si circa mercedem convectionis alium usum, quam qui vigeat, facto proprio inducere tentet, adeoque Subditos a convectione prius practicata inhibeat, vel si Prælatus Horreum inito eatenus cum Loci Incola tractatu, erga competens pretium conducat, & hoc Officialis sine ulla Domini necessitate impediatur, & neque locum competentem, ac securum designet, tunc in pœna dupli convincitur, qui Articulus 61. 1548. non tantum justam Decimam Prælato denegantes, sed & illos, qui exactionem Decimæ impedirent, aut turbarent, in pœna dupli convincendos statuit, jam vero ejusmodi Officialis, qui modum exigendæ, & colligendæ Decimæ contra præhabitum usum impedit, merito pro turbatore reputari debet. *Utraque Tabula in hac questione Juris.*

(Dec. 8.) Quamvis Jus Decimandi in Terris Extirpatitiis non competat, si tamen ante denegatam Decimam in usu decimationis Extirpatitiarum Terrarum præfuit, Lite ad pœnam dupli promota in usum illum decimationis, in quo proximis ante impeditam Decimationem Annis existit, reponitur; quia via facti turbatus eo ipso in integrum reponi debet, quod Terreni possessor non via facti agere, adeoque usum alterius pacificum propria Auctoritate turbare, sed Processu mediante Jura sua revindicare debuisset. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si Prælatus usum ante denegationem proxime præcedentibus Annis habitum, illumque pacificum probet, tunc Incattus, quamvis juxta Articulum 17. 1609. in pœna dupli, sive pretio denegatæ Decimæ duplicato convinci debeat, expensæ tamen Litis adjudicari non solent, quia pœna dupli in refusionem etiam expensarum Legetenus ordinata eo ipso reputatur, quod particularem expensarum in ejusmodi Causis refusionem nulla Lex imponat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Licet Proprietarius Loci Arendam Decimæ olim, ante videlicet, & post conditum Articulum 95. 1647. in longe minori, illaque plurimis Annis æquali Summa solutam fuisse probet, & ideo subsequis Annis exigi solitam fundamento præcitati Articuli, quo Auctio Summæ interdicta est, ad priorem illum antiquum usum reduci petat, si tamen eveniat, quod subsequus usus facto Prædecessorum Partium Lite agentium in illum, quo occasione præerectæ Litis reperitur, statum positus, atque per complures Annos pacifice continuatus sit; tunc Arenda Decimæ ad antiquum usum, Annum videlicet 1647. præcedentem, reponi non potest,

test, sed actualis usus stabilitur, quia eo ipso, quod facta, adeoque mutuo Partium consensu antiquus usus sublatus fit, per consequens Boni Possessor, beneficio, quod ipsi competit, facto proprio renunciaverit, jam illo contra factum proprium longiori pacifico usu roboratum amplius uti non potest. *Utraque Tabula.*

(XXI.)

Pignorum ex Comitatus.

(Dec. 1.) Si quispiam ad reuisionem Bonorum indivisorum procedat, & Impignorans sub ipsa Lite a Possessore auctionem levando, eidem Annos inscribat, talis inscriptio reuisionem non impedit, tum quod juxta Titulum 27. 1^{mæ} sub Lite nihil innovandum sit, cum vero quod sensu Articuli 47. 1723. Contractus de Bonis communibus, & indivisis celebrati sint ipso Jure nulli. *Utraque Tabula.*

(Dec. 2.) In Causa Pignoratitia tenetur Actor condescendentiam suam ab Impignorante, item Pignoris realitatem, & si de portione agitur ejusdem quantitatem, non secus, & Pignoris ad possessorium Partis I. applicationem, Bonorumque Actionalium ex manibus primi Pignus recipientis ad manus actualis Possessoris eodem Pignoris titulo factam devolutionem circumstantialiter docere, tum quod Titulus 82. 1^{mæ} idipsum expressis verbis exigat, tum vero quod Possessor eousque non tenetur titulum possessorii sui pandere, donec proba Actoris gravetur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 3.) Si Possessor prætensi Pignoris quoad Bona Actionalia præpignus doceat, absolvi debet, quia in tali casu Bonis ad manus hæreditarias redeuntibus, posterior Subin hypothecatio sua pte cessat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 4.) Si in una Possessione sint duo Domini Terrestres, & unius Subditus vendat Terram ex communi Fundo extirpatam alteri Domino Terrestri, proptereaque Dominus Subditi Vendentis contra talismodi Emptorem ad reuisionem Terræ venditæ Processum Admonitorium suscitet, in hoc casu ad probam Pignoris non sufficit Actori hoc allegare, quod Terram controversam prævie Subditus suus possederit, sensu vero Tituli 30. 3^{tia} Colonus in Fundis per se possessis nullam proprietatem habeat, adeoque Fundos per eundem venditos, Domino Terrestri recaptivandi facultas competat, cum enim præcitatus Titulus 30. 3^{tia} solum de Extraneis loquatur, consequenter jus ex æstimandi fundos ex communi extirpatos, uni Compossessori ita competat sicut alteri, in pari autem causa melior fit conditio possidentis, idcirco in præmisso casu alioquin Actione directe ex Pignore assumpta, tenetur Actor relate ad Fundos Actionales formale Pignus docere. *Utraque Tabula.*

(Dec. 5.) Si medio Pignoratitii possessorii tempore, ex Pignore aliquid avulsum est, adeoque illud in sua integritate reddi non possit, tunc a proportionem fit defalcatio ex Summa pignoratitia, neque enim prætendi potest, ut Summa toti Bono inhærens pro aliqua ejusdem parte integraliter deponatur. *Utraque Tabula.*

(Dec. 6.) Licet Fessio in casu extremæ necessitatis, exempli causa pro redemptione Capitis ex Turcica captivitate per Fatentem perennaliter celebretur, si attamen sub privato Sigillo emanet, perennalitatem non importat, verum pro simplici Pignore reputatur; nam qualitas Fessionum non a motivis, quorum intuitu celebrantur, verum a solennitatibus Lege requisitis metienda venit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 7.) Si Quispiam Fessionem sub privato Sigillo perennaliter celebret, ac una semet obliget, quod talismodi Fessionem etiam in Loco Authentico confirmare velit, nihilominus præmissam obligationem ad Successores non extendat, antequam vero illam expleat moriatur, Successores illius possunt via Pignoris ad relutionem Boni dictæ Fessionis involuti, agere, quia obligatio celebrandæ perennalis Fessionis tamquam ad Successores non extensa, cum Persona Fatentis extincta est. *Utraque Tabula.*

(Dec. 8.) Si quispiam Bona semet concernentia, sed per alterum possessa repetat, Possessor autem Jus repetentis agnoscens, eadem Bona vigore certi Contractus sub privato Sigillo initi, remittat, talis remittens non potest sub prætextu illo, quod prædicta remissio tamquam sub privato Sigillo celebrata, Pignus sapiat, mentionata Bona Processu Pignoris rursus repetere; quia præscriptus actus non sapit acquisitionem Juris alieni, sed receptionem juris proprii, adeoque sub Intellectum Articuli 47. 1723. non cadit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 9.) Si quispiam Subditum suum manumittat, ac una eidem Sessionem, quam incolit, inscribat, & pro utroque hoc beneficio ab eodem certam Summam levet, non exprimendo quantum uni, vel alteri beneficio in specifico admensurandum sit, tunc in casu eo, quo ad relutionem prævio modo inscriptæ Sessionis proceditur, Judex Pedaneus ejusmodi Summam colligatam partiri, & propter beneficium Libertationis Personæ nihil ex illa detrhere potest, verum eandem integram Incatto adjudicare debet, quia similis partitio tamquam interpretationem Literæ involvens, activitatem illius excedit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 10.) Si Bona Pignoratitia diversis Comitatus adjacentia in una Litera, & una Summa colligentur, & Actor tantum Bona unius Comitatus coram Judice ejusdem Comitatus in Actionem deducat, tunc Judicatus condescendere solet, quia Judex Pedaneus tamquam præscripto Articulorum 28. 1715. & 31. 1723. verbali Contractus tenori alligatus, nec Bona partiri, nec Summam separare potest, & alioquin partitione hac admessa, omnia Pignora diversis Comitatus adjacentia, a legali Tabulæ Regiæ Judicatu abstrahi possent. *Tabula Regia.*

(Dec. 11.) Si Proprietarius Pignus reluens, Possessori integram Summam deponat, subsequenter vero eveniat, quod Pignus in sua integritate remissum non sit, tunc Possessor non tantum in remissione restantis Boni, sed etiam in refusione fructuum a tempore levatæ integralis Summæ ex Bonis retentis perceptorum, convinci solet, quia ipsi Naturali æquitati adversatur, ut Possessor tam
Boni,

Boni, quam vero pecuniæ fructuum retineat, taliterque dupliciter beneficietur, alter vero utroque carens, duplex maleficium reportet, Expenſæ tamen adjudicari non ſolent, quia **Processus Pignoratitii** ex indole ſua expenſarum compensationem non recipiunt *Utraque Tabula.*

(Dec. 12.) Si in Literis Pignoratitiis tantum in abstracto Portio contineatur, adeoque quantitas Boni in pignus locati ad ſpecificum reducta non fit, tunc Actor tenetur quantitatem, & localitatem Pignoris circumſtancialiter docere, ſecus enim Judex nec in adjudicando, nec in Exequendo debitam menſuram obſervare poteſt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 13.) Poſſeſſor Pignoratitius præmiſſa Admonitione planum, & manifeſtum Pignus non remittens, quin imo Lege vetitis tergiverſationibus Proceſſum protrahens, atque adeo nullam legalem non remiſſionis rationem aſſignans, reſuſioni fructuum obnoxia- tur, quia incidit in Notam Fænerationis Titulo 71. 2^{dæ} damnatæ. *Utraque Tabula.*

(Dec. 14.) Urbaria, Conſcriptiones, aliaque idgenus domeſtica Inſtrumenta ad probandum Pignus non ſufficiunt, quia Pignus regulariter mutuo dantis, & recipientis conſenſu perficitur, qui conſenſus per ſimilia domeſtica Inſtrumenta tamquam omni authentia, & legali ſolemnitate deſtituta, adeoque requiſitam in Jure probam non præſtantia, doceri nequit. *Utraque Tabula.*

(Dec. 15.) Poſſeſſor Pignoratitius intuitu remittendi Pignoris cum integrali Summa Judicialiter admonitus, illud remittere detrectans, & hujus renitentis ſuæ legalem rationem non aſſignans, in amiſſione Summæ convinci ſolet, juſtum enim eſt, ut talis male fidei Poſſeſſor Lege damnatam Fænerationem ſuam juxta Articulum 29. 1638. propriæ pecuniæ amiſſione expiet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 16.) Coloni adventitii, qui medio Pignoratitiæ Poſſeſſionis tempore in Bonis pignore affectis, ſedem ſixerunt, & loco priorum ſive decedentium, ſeu vero manumiſſorum, & emigrantium ad Seſſiones illocati ſunt, occasione reſuſionis cedunt Proprietario, ſi nihilominus Pignoratitius poſſeſſor loco migratitorum Colonorum, ſive decedentium, ſeu emigrantium Colonos ſuos hæreditarios ad Seſſiones illocavit, illos occasione reſuſionis pro ſe reſervare, & ad alia Bona ſua tranſferre poteſt, præterea quemadmodum Meliorationes Pignoratitio Poſſeſſori, ita deteriorationes ſub tali poſſeſſorio evenientes, Proprietario compenſari ſolent, quia Bona Pignoratitia debent in illo ſtatu redire ad Proprietarium, in quo Pignori locata ſunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 17.) Si Poſſeſſor Pignoratitius cum Minori Summa admonitus, Pignus non remittat, in amiſſione Summæ convinci non poteſt, cum enim eidem integra Inveſtitura oblata non fit, idcirco per hoc ſufficientem retenti tantisper Pignoris rationem aſſignat. *Utraque Tabula.*

(Dec. 18.) Faſſiones ſub privatis Sigillis perennaliter celebratæ, ad mentem Tituli 13. 2^{dæ} & Articuli 47. 1723. ſemper ſapiunt

Pignus, etiam si in Loco illo, ubi Falsio celebrata fuit, contrarius usus vigeat, quia privata Statuta Legi publicæ derogare non possunt, adeoque usus ille potius pro abusu reputari debet. *Utraque Tabula.*

(Dec. 19.) In antiquis Pignoribus non sufficit producere veteres Literas Pignoratitias, verum realitas, seu effectus Pignoris doceri debet, præsertim si tam ante, quam post emanationem talium Pignoratitiarum Bonum Actionale per alios possessum fuisse eveniat, quia dantur multa talia antiqua, & obsoleta Pignora, quæ in pura charta substiterunt, & per realem Bonorum traditionem nunquam in effectum deducta sunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 20.) Si Contradictores occasione Statutionis contradictionem suam præcise ad Investituras restringant, per consequens Donatarius quoad hæreditatem, & proprietatem Bonorum puram Statutionem obtineat, tunc potest Donatarius illos Processu Admonitorio ad Liquidationem stringere, etiam si Pignus docere nequeat, quia Contradictores facto proprio jus suum ad temporaneum reducentes, ab ejusmodi declaratione amplius resultum facere non possunt. *Utraque Tabula.*

(Dec. 21.) Si quispiam de Bonis Civilibus jure Executionali in se devolutis alicui tertio perennem Falsionem celebret, & Bonorum illorum proprietatem recte Judicem, vel Consulem Civitatis, coram quo Falsio celebratur, concernat, interim nec iste, nec Cointeressati ejus prævio modo celebratæ perennali Falsioni per plures Annos reclamant, subsequenter autem contra Possessorem ad revocationem ejusdem Boni Actionem Admonitoriam suscitent, talis Actio non subsistit, quia ductu Tituli 12. 2^{dæ} præmissæ circumstantiæ arguunt recessum a proprietate, & important consensum in Falsionem alteri Jure perennali celebratam. *Utraque Tabula.*

(Dec. 22.) Si unus Fratrum Bonum quodpiam indivisum Extraneo impignoret, alter vero Frater illud reluat, tunc Impignorans non potest totum Bonum simplici Processu Pignoris a redimente Fratre amplius requirere, verum intuitu consequendæ ex tali indiviso Bono dumtaxat sibi competentis portionis, Actionem habet, & ideo eatenus ad Processum Divisionalem relegari solet, licet enim juxta Titulum 82. 1^{mæ} Pignus ad Impignorantem redire debeat, cum nihilominus in proposito casu Bonum Pignoratitium fuerit commune, & per revocationem alterius Fratris ad manus hæreditarias devenerit, taliterque Pignus resolutum fit, idcirco Impignorans Frater nihil aliud quam portionem sibi competentem requirendi jus habet. *Utraque Tabula.*

(XXII.)

Ad Cassationem Educilli.

Si potior Loci alicujus Compossessor, vel Civitas Regia ad sublationem per Nobilem ab antiquo libere exerciti usus Educilli coram Vice-Comite Litem suscitet, tunc Judicatus ejus condescendere debet, quia legalitas usus non alias quam ex Privilegiis cognosci potest, horum autem productio, discussio, & interpretatio juxta Articulum 6. 1426. ad Forum Tabulare pertinet. *Tabula Utraque.*

(XXIII.)

(XXIII.)

Ad dandas gesti Officii Rationes.

Plenipotentarius absolutam Plenipotentiam habens, nisi se in perceptionem, & erogationem sponte immittat, sed nec Officialis ab ejusmodi absoluto Plenipotentiaro Absolutionales obtinens, ad dandas gesti Officii Rationes obligantur, quia talis Plenipotentarius repræsentat Personam Plenipotentiantis, adeoque acta, & facta illius vel ex eo in quæstionem vocari non possunt, quia juxta Titulum 77. 1^{mæ} contra proprium factum non datur Actio. *Utraque Tabula.*

(XXIV.)

Ad æstimationem Fundorum.

Si quispiam Dominus Terrestris Subditos Extraneos ad Exæstimationem Fundorum in certa Plaga prætenfive Territorio suo ingremiata, per eosdem possessorum fundamento Articuli 58. 1625. ad Sedem suam Dominalem citet, & docere non possit, quod Incatti a Fundis illis sibi antea Censum, vel Datias quaspiam in signum Domini præstiterint, eo tamen non obstante ipsos convinci faciat, Dominus eorum Terrestris Executionem eatenus attentatam licite impedire potest, quia in præmissis circumstantiis jam agitur de Jure Dominali, illud vero non Subditis, sed Domino illorum Terrestri defendendum incumbit. *Utraque Tabula.*

(XXV.)

Ad Executionem Sententiæ Sacræ Sedis.

Cum Sententiæ in Sacra Sede latæ, præscripto Articulorum 25. 1552. & 45. 1588. per Brachium Sæculare Executioni mancipari debeant, idcirco si quispiam penes talem Sententiam in Comitatu Executionalem Processum suscitet, etiam Expensæ Processuales eidem adjudicari solent. *Utraque Tabula.*



Decisiones Curiales, quæ sibi invicem contrariari videntur.

Anno 1759. in *Causa Malikiano Ostffiana Tabula Septem-Viralis* hoc decidit, quod in casu illo, quo unus Fratrum Bonum quoddam indivisum Extraneo impignorat, subsequenter vero alter Frater illud reluit, Impignorans non possit amplius contra Fratrem reluentem Processu Admonitorio agere, & ab eodem talismodi Bonum in sua integritate reluere, verum propriam dumtaxat portionem Processu Divisionali consequi possit.

E converso Anno 1756. *Utraque Tabula*, & Anno 1757. *Tabula Regia in Causis Illésháziana, & Korponajana* hoc adinvenunt, quod si Bona per Antenatos oppignorata, subsequenter per unum ex Successoribus Impignorantis reluantur, reliqui Fratres ad Divisionem ejusmodi Bonorum non secus, quam si Actionem ad resolutionem quoque Pignoris dirigant, agere possint.

Conciliatur. quia in primo casu egit Frater ad resolutionem totius Boni Processu Pignoris, in secundo autem egerunt Condivisionales ad simplicem Bonorum Divisionem, & ideo Utrumque inductum est, quia utrumque ad idem principium recidit, quod videlicet contra Condivisionalem Bona communia Pignore affecta possidentem, ad Divisionem secus agi non possit, nisi Actio simul etiam ad resolutionem Pignoris dirigatur.

Anno 1724. In *Causa Fiscii Regii ex defectu Törökiano Utraque Tabula* hoc decidit, quod Vidua pro Dote sua Legali ad Fundum Aquifitorum Mariti relegari non possit.

E converso Anno 1746. In *Causa Szapariana Utraque Tabula* adinvenit, quod Avita exstantibus Aquifitis, nullo Onere gravari possint, atque adeo tam Dos Legalis, quam vero universa Debita, aliaque idgenus Onera primum quidem ex Aquifitis, & nonnisi illis non existentibus, vel non sufficientibus ex Avitis desummi possint.

Conciliatur, quia in priori casu agebat Vidua Nomen Mariti gerens, & Bonis Maritalibus immanens, in posteriori vero Vidua jam ad secunda vota transiens, ideo Utrumque inductum.

Anno 1747. In *Causa Christophori Ordódy contra Ursulam Kéry Utraque Tabula* convenit in eo, quod si Contractualem Dotem obligans, Aquifita non habeat, & ejusmodi Dos a proportione Avitorum Bonorum Obligantis excessiva sit, per illos, quos Successio Bonorum respicit, invalidari possit.

E converso Anno 1750. *Tabula Regia in Causa Moisis Uzovics, contra Julianam Deseö*, Anno vero 1760. *Utraque Tabula in Causa Voligangi Szent-Iványi, contra Annam Kerekes*

Kerekes licet Actio in Titulis 58. & 59. imæ adeoque præjudicio ob Avitorum Bonorum Onerationem fundata fuerit, deliberavit, quod Obligatio Dotis scriptæ pecuniariæ sub sensum Legum de invalidatione sonantium non eadat.

Conciliatur, quia in priori casu fuit probatus excessus Dotis scriptæ, in posteriori autem ejusmodi excessus non fuit probatus.

Anno 1750. In Causa Baronissæ a Freinfeld, item Anno 1762. in Causa Evæ Roth, contra Fridericum Beer, præterea Anno 1758. in Causa Josephi Trummer, contra Georgium Schiemer, Utraque Tabula, demum Anno 1753. in Causa Jagodicsiana Schreiberiana Tabula Septem-Viralis in eo conquievit, quod in casu illo, quo Creditores vel non intabulati, vel eodem tempore intabulati de prioritare Debiti ad invicem contendunt, ejusmodi prioritas ab ætate emanationis Obligatoriarum metienda veniat.

Inductum est tamquam pluribus Decisionibus firmatum.

E converso Anno 1767. in Causa Susannæ Solterer Tabula Septem-Viralis omnes Creditores, qui in una eademque Congregatione intabulati fuerunt, ad eandem classem collocavit, per consequens prioritatem, quam Tabula Regia in præmissis circumstantiis ab ætate contracti Debiti metiendam adinvenit, simpliciter sustulit.

Emanet, quia in Causa hac pecuniarum circumstantiæ subservabantur.

Anno 1758. In Causa Josephi Trummer contra Georgium Schiemer Utraque Tabula hoc decedit, quod in concursu Creditorum Auszugalists ex prærogativa mercedis laboris, & quotidianæ sustentationis prælatio competat.

Emanet.

E converso Anno 1762. In Causa Evæ Roth contra Fridericum Beer Tabula Septem-Viralis Auszugalistas ad ultimam classem, seu post simplices Chyropharios collocavit.

Inductum.

Anno 1762. In Causa Evæ Roth contra Fridericum Beer Tabula Septem-Viralis hoc adinvenit, quod Dotem scriptam omnia alia Debita præcedant, adeoque ad fundum ab exolutione universorum Debitorum remanentem relegari debeat.

Emanet.

E converso Anno 1767. in Causa Susannæ Solterer Utraque Tabula hoc determinavit, quod Dos scripta ad classem Creditorum pertineat, atque adeo pro ratione circumstantiarum interdum etiam prælatione gaudeat. Item in Causa Enyediana Utraque Tabula 1732.

Inductum.

Anno 1732. In Causis Judithæ Enyedy, & Capituli Zagrabiensis Tabula Septem Viralis decedit, quod Dos Legalis tantum illis Debitis præferatur, quæ post Matrimonium contracta sunt.

Emanet.

E converso Anno 1767. In Causa Susannæ Solterer Tabula Septem-Viralis, & aliis pluribus Utraque Tabula in eo conquievit, quod Dos Legalis tamquam speciali Legum privilegio gaudens, universa Mariti Debita præcedat, adeoque ante omnes reliquas prætensiones præferenter excindi debeat.

Inductum.

Anno 1756. In Causa Zarkaiana, contra Talián, & aliis plurimis ad dandam rationem contradictionis promotis, tamquam longæ Litis Utraque Tabula in cohærentia Articuli 33. 1729. beneficium Repulsionis admisit.

Inductum.

E converso Anno 1747. In Causa Georgii Luka, contra Ladislaum Gödei ad dandam contradictionis rationem suscitata, Utraque Tabula beneficium Repulsionis non admisit, adeoque turbationem Restatutionis ad Oppositionem reduxit.

Emanet.

Anno 1737. In Causa Almasiano Szent Mariaiana Utraque Tabula decidit, quod Judicia Subalterna pœnam Calumniæ formaliter adjudicare non possint, sed tantum per modum Emendæ Lingvæ, si nihilominus convictio eatenus in Partibus lata per Curiam Regiam approbetur, tunc jam pœna Calumniæ formaliter dictata esse intelligitur, & Executio illius fit per Judicem ex Curia Regia exmissum.

Emanet.

E converso Anno 1768. In Causa Danielis Valter contra Elisabetham Oneffrey Utraque Tabula Calumniam per Magistratum Civicum formaliter dictatam, & in Executionem sumptam approbavit.

Inductum.

Anno 1746. In Causa Adami Fiáth, contra Michaellem Fördös 1752. Helenæ Blaskovics contra Michaellem Nyáry 1768. Kvasovszkiano Rozasicsiana Utraque Tabula. 1760. vero In Causa Stephani Németh contra Stephanum Fakó Tabula Septem-Viralis, ac aliis pluribus decidit, quod in Causis Violentialibus, si Actor in pœna Indebitæ convincitur, Expensæ Incatto adjudicari non debeant.

Inductum, tamquam pluribus Decisionibus firmatum.

E converso Anno 1749. In Causa Ignatii Palásthy contra Christophorum Nedeczky Tabula Regia. Anno vero 1753. in Causa Leopoldi Thalhaim contra Ducem Mutinæ Utraque Tabula penes Indebitæ pœnam Expensas quoque Incatto Utraque Tabula adjudicavit.

Emanet.

Sententiæ inter Tabulam Septem-Viralem & Regiam in Quæstione, ac Principiis Juris differentes.

De Evictore, & Evictione.

In Cambiis Evictio locum habet, etiam si in Literis per expressum non assumatur, nam Evictio, ut ex Titulo 74. 1^{me} erui potest, Literis Cambialibus plerumque non ideo inseri solet, quasi vero absque expressa insertione penitus locum non haberet, sed præcipue ideo, ut si eadem sub certis conditionibus assumpta est, Partes semet ejusmodi conditionibus accomodare teneantur, & alioquin ipsa bona fides, & natura Cambii exigit, ut Cambiantes semet mutuo evincant. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum:

Notandum: In præmissa *Causa Tabula Regia* ex eo, quod *Evictio Cambialibus* per expressum inserta non fuerit, fundamento *Cambialium Evictionem* non admittit, *Titulus enim 74. i. mæ* claris verbis exigit, ut *Evictio etiam* ideo quatenus conditiones, sub quibus assumitur, consent, *Cambialibus* per expressum inseratur.

De Oppositione.

Esto *Filius* ad revisionem *Causæ* contra *Genitorem* suum promotæ, in qua finalis *Sententia* illo jam decedente, lata, & per *Advocatum* ejus *Appellata* interposita est, *Triumphantem* illa cum expositione, quod *Genitor* ejus onerosam *Sententiam* receperit, prosecutioque *Causæ* ejusdem in ipsum condescenderit, citari, illamque successive in *Appellationis Foro* revideri curet, tamen post revisionem *Causæ*, & subsecutam *Sententiæ* procedentis *Judicis* approbationem, si se *Executioni* opponat, & remonstrat, quod finalis *Sententia* utut triduo tantum post obitum *Patris* sui, qui in disito a loco celebrationis *Judicii*, ubi *Sententia* lata est, residebat, intercesserit, ac ideo nec *Judici*, nec *Advocato* *Incatti* mors ejus constare, taliterque declaratio eatenus in *Processu* fieri potuerit, tamen sufficientem impeditæ *Executionis* rationem reddit, prout enim juxta *Titulum 23. 2dæ Mortuorum Evocatio*, ita paritate ejusdem *Tituli* *Sententia* etiam contra *Mortuos* ferenda interdicta est, per consequens *Sententia* talis nulla, & irrita evadit, adeoque ex nullitate *Sententiæ* se opponere potest, nec obstat, quod *Appellatam* per *Advocatum* interpositam prosecutus, *Partem* triumphantem citari, *Processum*que revideri petierit, adeoque quasi facto proprio in revisionem consenserit, cum enim *Sententia* illa contra *Mortuum* lata, non modo inefficax, sed ipso jure nulla fuerit, utique nec consentiente *Parte* gravata, legalem validitatem obtinere potuit. Et licet in *Actione* revisionem attacktæ *Sententiæ* petierit, nec tamen ideo beneficio se legitime opponendi renunciasse præsummi poterit; igitur pro casu gravatoriæ *Sententiæ* beneficio illo licite uti potuit, unde viam revisionis tantum ideo secutum fuisse præsummi debet, quo acceptum vulnus breviori modo resanare, neque ad *Oppositionem* prorumpere cogatur, qui actus in his *causæ* circumstantiis utique pœnalis non est. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: *Tabula Regia Partem I.* convicit ideo, quod ipsi tempus latæ *Sententiæ* ex *Advocati* informatione, mors vero *Genitoris* alioquin constiterit, & tamen *Actorem* non tantum ad revisionem *Causæ* citari fecerit, sed & ejus revisionem adurserit, ac ita ferendæ desuper in *Foro* *Revisorio* *Sententiæ* semet subjecerit, adeoque a beneficio *Citationis* ex morte *Genitoris* enato, sponte, & facto proprio recesserit.

De Repulsione.

In *Causis* ad invalidationem illegalium conditionum *Literis Pignoratiis* insertarum motis, beneficium *Repulsionis* *Incatto* succumbenti non suffragatur, quia tales *Causæ* velut ex *Pignore* permanantes, sunt brevis *Litis*, in similibus vero *Repulsio* ex *Lege* non admittitur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa *Causa Tabula Regia* beneficium *Repulsionis* *Incatto* admittit, ratione ex illa, quod ad invalidationem illegalium conditionum fundamento præjudicii instituta fuerit, *Causæ* vero ex præjudicio motæ longæ *Litis* esse soleant.

De Actionibus Fisci Regii.

Si Nobilis in fundo Rusticano degens, & Domino Terrestri obligatus deficiat, in substantia ejusdem mobili non Fisco Regio, sed Domino Terrestri competit Successio, quia Articulus 62. 1715. in Mobilibus Personarum Nobilium, & liberarum fundos Rusticanos incolentium, solum tunc defert successionem Fisco Regio, si illæ Dominis Terrestribus nullatenus obligatæ sint. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Articulum 62. 1715. ita interpretabatur, quod Fiscus Regius in Mobilibus Personarum Nobilium indiscriminatim succedere debeat, seu in fundis Rusticanis degant, & Domino Terrestri obligatæ sint, sive non; clausulamque illam præcitati Articuli Nulli Proprietario Domino obligatarum solum ad Personas liberas, & Ignobiles referendam esse arbitrabatur, & ideo cum in casu præmisso Deficiens fuerit indubitatus Nobilis in substantia ejusdem Mobili Successionem Fisco Regio detulit.

Processus ex Jure Radicali.

Si Actor ad acquisitionem Bonorum ex Jure procedat, & in probam Juris tale Instrumentum producat, ex quo elicitur, quod Prædecessores illius Bona Actionata penes Donationem, & Statutionem gubernaverint, taliterque ejusmodi Donationem, & Statutionem præexistisse, verum acta illius temporis ex Capitulo, vel Conventu quocunque tandem fato periisse doceat, quin imo etiam subsequum Antenatorum suorum in Bono Actionali exercitum possessorium comprobet, tamen per præmissa omnia Jus sufficienter probasse non censetur; quia juxta Titulum 15. 2^{dæ} ad Juris probationem originales Literæ requiruntur, sensu vero Articuli 42. 1723. per talia Transumpta, quorum originalia præfuisse, verum deperdita existisse Capitula, vel Conventus recognoscunt, præ-existentia quidem, & amissio illorum sufficienter comprobatur, Jus vero, & res in iisdem contenta non solidatur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia casu in præmisso ex ratione edoctæ Statutoriarum præ-existentiæ, & subsequenter factæ ex Conventu deperditionis, in concursu etiam subsequi possessorii probam Actoris pro sufficienti adinvenit.

Dum Actor ex Jure procedit, etiamsi Privilegium, quod in probam Juris producit, ante plura Sæcula emanaverit, dummodo attamen illud subsequenter usuroboratum fuisse doceri possit, non obstante eo, quod usus ille per impetitiones, involationes, vel etiam occupationes Vicinorum subsequenter interruptus, aut turbatus fuerit, tale Privilegium pro obsoleto censi non potest, quia per similes involationes, & via facti interventas turbationes vigor, & efficacia Privilegii non extingvitur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia casu in præmisso Privilegium Actoreum ex eo, quod in subsequo controverso petitorio, & jam ante Sæcula fluctuante possessorio subsisterit, tamquam obsoletum ad acquisitionem Juris haud sufficere adinvenit.

Cum in Processibus ex Jure promotis Actor Jus, & possessorium docere debeat. hinc tametsi producat Donationem, & Statutionem puram, producat item subsequam confirmatoriam Donationem, in qua Princeps conferens recognoscit, quod occasione primæ collationis Bona Actionalia Donatario tradita, & assignata fuerint,

fuerint, producat insuper Metalem reambulationem privilegialiter expeditam, in qua Metæ eorundem Bonorum specificè designantur, producat denique Literas Judiciales, iisdemque insertam adjudicationem Antenatis suis factam, cum clausula: **Contradictione** cujusvis non obstante emanatam, & penes illas rursus peractam Statutionem, hæc tamen omnia ad legitimandum usum, & possessorium non sufficiunt, quia juxta Titulum 24. 1^{mæ} possessio est quasi pedum positio in usum, & Dominium rei illius, quam aliquis realiter tenet, & gubernat, proinde reale possessorium non secus, quam per effectivam fructuum perceptionem, reique possessæ usuatorem doceri potest, sæpe autem fiunt puræ Statutiones, Metales reambulationes, & Adjudicationes, quin per hoc prætendens reale Dominium adipiscatur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia prærecensitas circumstantias pro legitimando Jure, & possessorio pro sufficientibus adinvenit, adeoque Actoratum Partis A. stabilivit, sed deinde Partes I. ex Præscriptione absolvit.

Ex Æqualitate, vel Inæqualitate Juris.

Si Princeps Bonum quodpiam duobus Fratribus jam divisis, eorundemque Hæredibus, & Posteritatibus primum quidem Masculini, iis vero deficientibus etiam Fæminei Sexus universis conferat, ita quidem, ut ratam Bonorum medietatem unus, alteram vero alter obtineat, subsequenter porro alteruter ex præattactis Donatariis in Sexu Masculino deficiat, tunc in portione Deficientis non Filiæ illius, verum Masculini lineæ superstitis succedunt, quia præmissa Donationis clausula hoc importat, ut Fæminæ dumtaxat post integram Sexus Masculini utriusque Donarii Defectum in Bonis collatis successione consequi possint; nihilominus casu in præmissis Filiabus deficientis Summæ per Parentem suum in præallegata Bona investitæ compensari debent, hæ enim velut sub privatam Lineæ suæ acquisitionem cadentes, & ex indole sua utriusque Sexui deservientes successioni alterius Lineæ non subserviunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex ratione illa, quod Condonarii occasione impetrationis jam divisi fuerint, & alioquin etiam in Donatione portio unius Fratris a portione alterius separata existerit, Successionem Filiabus deficientis detulit.

Ad dandam, & recipiendam Contradictionis rationem.

Si quis titulo illo, quod Antenati eorum in possessorio impetratorum Bonorum præfuerunt, ipseque actualiter existit Novam Donationem cum adnexo Jure Regio impetret, successive vero Conferens de sinistra Impetrationis expositione, quod videlicet nec Antenati eorum possessorium talium Bonorum, neque vero Impetrator habuerit, capacitatus, esto per Statutionem jam pro parte Impetratoris peractam, modo prævio concessam Donationem revocet, Bonaque Actualibus Possessoribus conferat, tunc quamvis prior ille Impetrator adversus Contradictores agens, collato Juri Regio inhæreat, illudque probare tentet, tamen si Contradictores Donationem revocatam esse, & expositionem Impetratoris, reflexe ad Bona per se possessa, finistram fuisse remonstrent, Actor

ab acquisitione removetur; quia Conferenti ex causis rationabilibus revocatio juxta Titulum 12. 2^{dæ} competit, rationabilis vero causa est, quando sub prætextu præhabiti, & actualis possessorii ad conferenda ejusmodi Bona, quorum possessorium nunquam habebat, conferentem inducit; ac ita prætextu impetratæ Novæ Donationis, ex latente Jure Regio Juribus bonæ fidei Possessorum inhiat, præcipue cum canales primitivæ impetrationis respectu talium Bonorum, in quorum possessorio Impetrator, Antenatique ejus nondum erant, ad duos dumtaxat fontes Notæ, vel Defectus per Leges restricti sint. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia admittit Actoratum ideo, quod Conferens juxta Titulum 37. 1^{mæ} Donationi semel factæ refragari nequeat, quodve nemo nisi legitime citatus, & Juris ordine convictus, juribus suis privari queat, ad cassationem autem Privilegii citatus non fuerit.

Ad excisionem Quartaliti.

Filiæ etiam in talibus Bonis, in quibus post defectum Masculorum, quoad Summam inhærentem successionem obtinent, Jus Capillare contra Fiscum Regium prætere possunt, si enim juxta Titulum 67. 1^{mæ} Frater condicionalis in alterius Fratris sui sine hærede Masculo decedentis, portione Sexum dumtaxat Masculinum concernente, succedens, Filias Deficientis usque dum in Capillis persistunt, victu, & amictu providere, honesteque elocare tenetur, utique idipsum etiam Fiscus Regius præstare obligatur, qui utpote tamquam Successor legalis majori privilegio gaudere non potest, quam Successores propagativi. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmisso casu Tabula Regia Filiabus Jus Capillare non competere adinvenit ratione ex illa, quod Filiæ ex Summa inhærente æqualiter participant, ita considerari debeant, ac si ratas portiones ex ipsis Bonis perciperent.

Ad invalidationem Fassionum ex neglecta Præmonitione.

Si Pater in Testamento suo quodpiam Bonum Filiabus suis privative leget, ita tamen, ut in casu defectus alterutrius portio deficientis inter Filium, & Filias superstites æqualiter dividatur, subsequenter vero una Filiarum Sororibus suis non præmonitis, portionem sibi in præmissis Bonis competentem, Fratri suo vendat, in hoc casu Sororibus non præmonitis, ex neglecta Præmonitione Actio competit; cum enim Pater per Testamentum suum quoad prædictum Bonum Filias a Filio segregaverit, & nonnisi in casu defectus alterutrius Filiæ etiam Filio successionem detulerit, idcirco mens, & intentio illius hæc fuisse videtur, ut eousque, donec Filiæ superstites sunt, eadem in ordine ad possessorium præscriptorum Bonorum præ Filio prælationem habeant. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia tum ideo, quod Titulus 60. 1^{mæ} beneficium Præmonitionis juxta seriem Successionis observandum innuat, tum vero, quod Comitissa A. ipsamet quoque portionem suam Fratri emendam obtulerit, taliterque in alienationem Sororis consenserit, præmonitionem non fuisse necessariam adinvenit, nam eo ipso, quod Pater in casu defectus alterutrius Filiarum, Filio suo æqualem in quæstionatis Bonis cum superstibus Filiabus Successionem admiserit, jam sensu præcitatæ Legis occasione Venditionis Filiabus præ Fratre jus præemptionis non competebat, adeoque nec præmoneri debebant.

Ad sublationem Beneficiorum Curialium.

Oppidis privilegiatis Educillum, Macellum, Venatio, Piscatio, Aucupium, aliaque idgenus Jura Regalia non competunt, nisi expresse Privilegiis inserta sint, & penes talismodi Privilegia in usu eorundem beneficiorum præexisterint, quia similia beneficia tamquam immediate ad eminentis jus Terrestrale pertinentia, a Dominis Terrestribus abstrahi non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia non obstante eo, quod Macellum, Venatio, & Aucupium in specifico Privilegiis inserta non fuerint, cum attamen Beneficia Curialia in genere collata existerint, & Oppidani in usu illorum præexisterint, usus autem sit optimus Privilegiorum interpret, eosdem in talismodi præhabito usu stabilivit.

Divisionis, Successionis, Rectificationis in uno, vel diversis Comitibus.

Siquidem successio Fisci Civici in defectibus per Articulum 16. 1649. ad Bona dumtaxat Civilia restricta esset, idcirco eveniente alicujus liberæ in Civitate degentis, sed nulla Bona Civilia possidentis, Personæ defectu, ex Articulo 62. 1715. in substantia Deficientis nullam successionem prætereundere potest, verum Fisco Regio immediata successio competit, quia præcitatus Articulus 62. habet, pro objecto liberas Personas in fundis Rusticanis degentes, sub istam vero classem fundi Civiles non cadunt, cum itaque circa successionem Fisci Civici post superius citatum Articulum 16. 1649. nihil novi per Leges statutum sit, ideo illa ultra sensum ejusdem Articuli extendi nequit, verum præcisè exinde repeti debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ideo, quod Deficiens ad Onera Civilia concurrerit, & Magistratus Civicus in illo Jurisdictionem exercuerit, Successionem Fisco Civico detulit, cum enim quælibet Civitas repræsentet Nobilem, hinc quemadmodum juxta Articulum 62. 1715. Nobilis Dominus Terrestris Personæ liberæ in Bonis suis degenti, & sibi obligatæ, in casu defectus seminis succedit, ita idipsum etiam quoad Civitates circa Personas liberas in gremio illarum degentes, onera Civilia supportantes, adeoque Jurisdictioni ipsarum subjectas, statuendum esse videtur.

Si Mulier quæpiam cum primo Marito Fundos Civiles immobiles comparet, & postea in secundo Matrimonio sine Prolibus, & Testamento decedat, taliterque inter secundum ejusdem Maritum, & Matrem Deficientis de successione Lis oriatur, tunc in rebus ejusdem Mobilibus superstes Maritus vi mutæ Conjugalis successionis ex Articulo 11. 1687. succedit, in Fundis tamen immobilibus successio Matri præ Marito defertur, tum quod præcitatus Articulus 11. mutuam Conjugum successionem tantum ad Mobilia restringat, tum vero quod juxta Titulum 53. 1mæ Parentes Prolibus, & Proles Parentibus jure Naturæ aquirant. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia in hoc casu, tam ex certo Matrimoniali Contractu, quam vero ex mutua Conjugali Successione etiam in Fundis immobilibus Successionem Marito detulit, tametsi enim Articulus 11. 1687. solum Mobilia pro objecto habere videatur, posterior tamen Articulus 26. 1715. mutuam Conjugalem Successionem in acquisitis etiam ad immobilia extendit. Titulus vero 53. 1mæ Successionem ascendentiū Jure Naturæ admittens, mutæ Conjugali Successioni Legè municipali introductæ derogare non potest.

Si Mater Filiam elocans, eidem titulo Parapherni talia Mobilia tradat, quæ in ordine ad devolutionem adhuc per Antenatos suos, tamquam primos Aquifitores, Testamentaliter, vel aliter quoque regulata sunt, subsequenter autem Filia illa deficiat, tunc præattacta Mobilia, non ad superstitem Maritum, verum ad illos, ad quos ex præmissa regulatione pertinent, devolvi debent, tametsi enim res Paraphernales juxta Titulum 100. 1^{mæ} & Articulum II. 1687. successioni Maritorum deserviant, casu tamen in præmissa regulatio hominis alterat dispositionem Legis, quæ quidem regulatio eousque subsistere debet, donec sua legali via infringatur. *Tabula Septem Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia quæstionatas res Mobiles ex eo, quod titulo Parapherni datæ sint, Leges vero Parapherna absque ulla classificatione Maritorum successioni subternant, Marito addixit.

Si Pater Aquifitor quodpiam Bonum Donatione mixta ita aquirat, ut illud Sexui Masculino perennaliter, Fæmineo autem in Summa investita post defectum Sexus Masculini per Fiscum Regium deponenda, per Principem conferatur, in hoc casu Patre ab intestato decedente, Filiabus in Summis investitis præsentanea successio non enascitur, verum usque eventum defectus Sexus Masculini præstolari debent, tametsi enim ductu Tituli 21. 1^{mæ} Filia in casu illo, quo Bona partim pro Servitiis, partim vero pro Summa pecuniaria per Aquifitorem superaddita, comparantur, ex talismodi investituris competentes portiones præstendere possint, cum nihilominus casu in præmissa primus Aquifitor exolutionem Filiarum ad casum defectus Masculorum suspenderit, idcirco regulatio ejusdem standum est. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In prædeducto casu Tabula Regia hoc decidit, quod clausula illa de exolvendis per Fiscum Regium Sexui Fæmineo investituris Donationi inserta, ordinariam Legis æqualem Filiabus eatenus Successionem deferentis, nullatenus alteret ex eo, quod Fisco perinde sit, seu illas Fæminis immediate ex Lumbis primi Aquifitoris descendentes, seu vero remotioribus deponere teneatur, & ideo Filiabus in prærepetitis Investituris præsentaneam Successionem adjudicavit.

Fructus Bonorum Sexui dumtaxat Masculino deservientium ab obitu communis Patris provenientes, non secus, & Meliorationes, ac ædificia in similibus Bonis per communem Patrem posita cedunt solis Masculis, quia hæc tamquam accessoria indolem sui principalis imbuunt, & cedunt Solo, accedente potissimum eo, quod Pater ita ædificans, & subsequenter nullam desuper dispositionem faciens rationabiliter pro Filiis suis, quos utpote Bonum illud a radice Acquisitionis concernit, ædificasse censeatur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissis Causis Tabula Regia ex Summis per communem Patrem in præscripta ædificia, & Meliorationes insumptis, Filiabus competentes portiones adjudicavit ideo, quia si Pater talismodi ædificia non posuisset, tunc pecunias, quas eatenus insumpsit, retinisset, illæ autem absque ulla difficultate inter Utrumque Sexum partiendæ fuissent.

Si Maritus, & Uxor Bonum quodpiam jure perennali simul aquirant, & Nomen Uxoris Literis acquisitionalibus per expressum inseratur, subsequenter vero Uxore sine Testamento Marito præmortua,

mortua, & Marito quoque absque ulla dispositione obeunte, inter duplicis Matrimonii Proles de successione in præallegato Bono Lis oriatur, in hoc casu medietas Boni Prolibus Uxoris coaquisitricis adjudicatur, altera vero medietas ad ratam coaquisitoris Patris cadens, inter Proles utriusque Matrimonii æqualiter dividitur, quia cum supervivens Maritus velut principalis Aquifitor, sine Testamento decesserit, taliterque regulationem Boni controversi in primævo Aquifitionalium statu reliquerit, idcirco etiam successione inter Proles in conformitate illarum observatam habere voluisse censei debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex eo, quod coaquisita Uxorum a dispositione Maritorum dependeant, casu vero in proposito Uxor Marito præmorta sit, per consequens tota aquifitio in ipso, velut alioquin principali Aquifitore, concentrata fuerit, ille autem sine Testamento decesserit, adeoque rem in statu Legis reliquerit, totum Bonum inter Proles utriusque Matrimonii æqualiter dividendum adinvenit.

Licet Pignora ductu Tituli 102. 1^{mæ} inter res Mobiles computentur, adeoque utrique Sexui deserviant, si nihilominus Genitores a Collateralibus suis Masculis titulo Pignoris tales portiones comparent, in quibus Sexus Fæmineus ejusdem Familiæ neque in superioribus Generationibus unquam æqualiter divisit, tunc similia Pignora nec inter Proles aquirentium successioni utriusque Sexus substerni possunt, verum dumtaxat Investituræ æquali Divisioni obnoxiantur; cum enim præscripta Bona ab origine, & radice soli Sexui Masculino deserviant, idcirco ad evitandas quoque Jurium convulsiones etiam in linea Aquirentium solis Masculis relinqui debent. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia Bona Pignoratitia tamquam ex indole sua utrumque Sexum concernentia, præscindendo ab eo, utrum eadem ex radice aquifitionis solis Masculis, vel etiam Fæminis deserviant, cum hoc ad Processum Juris pertineat, utrique Sexui adjudicavit.

Si Mater Vidua Bona tam Sexus Masculini privativa, quam vero communia, & propria quoque Allaturalia in una Massa possidens, ex fructibus illorum Filiam emaritet, eidemque præmissa titulo erga Quietantiam certam Summam pecuniariam exolvat, etiamsi deinde Testamentum condat, & circa imputationem præattactæ Summæ nihil disponat, tamen Summa talis pro Bono reputari nequit, adeoque prædicta Filia sub prætextu illo, quod præmissa Emaritatio non fuerit statui Bonorum appropportionata, & alioquin Summa sibi exoluta Donum sapiat, eandem communi Massæ subtrahere, & citra imputationem retinere non potest, præsertim si post fata Genitorum ex Mobilibus, & Bonorum fructibus æqualiter cum reliquis Prolibus participet; tum quod Leges Regni circa proportionem Emaritationis nullam ideam præscribant, tum vero, quod in præmissa casu prætensa improportio, per fructus Bonorum, & Mobilia sufficienter compensata sit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia Summam per Filiam occasione Emaritationis levatam ex eo, quod eandem communis Mater ex fructibus Bonorum etiam communium, & propriorum in una Massa possessorum, sine ulla in subsequo Testamento imputationis reflexione, dederit, ad Donum reduxit, per consequens a communi Massa exemi.

Ad implementum Contractuum.

Si quispiam Operam suam duobus obliget, exempli causa, quod utrique par beneficium exoperari velit, & vicissim illi ambo sub certo vinculo remunerationem promittant, interim obligans ille operam suam tantum uni locet, in vero appromissam remunerationem non præstet, proptereaque ad implementum Contractus, & desumptionem vinculi citetur, in hoc casu vinculum partitionem non recipit, verum totum Incatto persolvendum imponitur, cum enim totum beneficium, quod ex Contractu in duos redundare debuisset, solus perceperit, idcirco etiam totum onus eidem annexum, solus ferre tenetur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmisso Casu Tabula Regia motivo ex illo, quod duo illi Contrahentes semet ad persolvendum vinculum in solidum non obligaverint, pœnam vincularum Incatto in rata dumtaxat medietate incumbere adinvenit.

Liquidorum Debitorum.

Talis Creditor, qui respectu Debiti sui Litem movit, & Debitorem suum etiam convinci fecit, verum Executionem peragi non curavit, præfertur quidem Creditoribus non intabulatis, ante illos tamen, qui intabulati sunt, licet Intabulatio eorundem posterius intercesserit prioritatem non obtinet, quia Intabulatio est solenne, & Lege publica introductum consequendæ prælationis medium, adeoque Litis motio, & Sententia per realem effectum, & Bonorum assignationem nondum consummata eidem comparari non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia hoc adinvenit, quod Sententiæ Judiciariæ præponderent Intabulationi subsequæ, ideo enim Intabulatio prælationem tribuit, quia per illam publicatur Status Debitoris, taliterque Creditores in elocandis pecuniis suis cauti redduntur, atqui hoc ipsum quin imo adhuc plus præstat Citatio, & convictio Debitoris, quia præterquam quod onera ejus ad notitiam publici deveniant, insuper Judex substantiæ illius quasi manum imponit, & Actori hypothecam Judiciariam procurat.

Si Debitor Creditori in sortem Debiti statim Bona resignet, ac insuper hanc conditionem adjiciat, ut in casu eo, quo idem Creditor per hostiles incurfiones ex possessorio eorundem Bonorum excluderetur, ex aliis Debitoris Bonis sibi satisfactionem procurare possit, hic autem casus eveniat, tunc Creditori non tantum Capitale, sed etiam Interusurium adjudicari solet, cum enim fructus Bonorum, qui vices Interusurii subibant, cessaverint, idcirco utique Interusurium iisdem substitui debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Interusurium ex eo, quod obligatum non fuerit, denegavit.

Si quispiam Domum suam in Civitate habitam divendat, & Emptor pretium non deponat, proptereaque in Litem vocetur, non potest pro fundo excontentationis rursus eandem Domum Venditori obtrudere, licet Debitum inde promanaverit, tum quod Venditio jam plene consummata sit, tum vero quod juxta Articulum 31. 1659. Executio in Liquidis Debitis debeat primum in paratis pecuniis, illis vero non existentibus, in Juribus possessionariis, ac demum in horum quoque defectu in rebus Mobilibus fructuosis, &
facile

facile in pecuniam convertibilibus peragi, Fundi autem Civiles sub classem Jurium possessionariorum non veniant. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex eo, quod denominatio fundi stet penes Convictum præattactam Domum Civicam ad vires condignæ æstimationis acceptandam adinvenit, salvo Creditoris, in quantum ad totalem Debiti, & accessoriorum expunctionem aliquid desiderabitur, ad alia Debitoris Bona regressu.

Ad acquisitionem Mobilium, Allaturæ, Dotum, & Paraphernorum.

Etiam si Mulier Maritum suum deserat, & extra Lares illius degens, usque obitum ipsius cum eodem non convivat, tamen si causa desertionis prævie per Forum Spirituale non cognoscatur, Juribus Vidualibus frustrari non potest, quia desertio eousque pro culposa non reputatur, donec in sua competentia pro tali declaratur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Quod casu in præmissa Tabula Regia Viduæ Jura Vidualia denegaverit ideo, quod illa propter fidem Conjugalem, & supportationem onerum Matrimonialium Viduabus competant, Mulier vero Maritum deserens hæc omnia excutiat, adeoque prærogativis Viduabus ex Lege competentibus gaudere non possit.

Quamvis Bona quæpiam per Donationem ita regulata sint, ut in casu defectus Sexus Masculini depositis per Fiscum Regium Sexui Fæmineo Investituris, rursus ad Sacram Regni Coronam recidant, si nihilominus ultimus Deficiens Viduam, & Filias in Capillis constitutas post se relinquat, eædem Jure Viduali, & Capillari privari non possunt, per consequens talibus Bonis immanere debent; Vidua enim, donec ad secunda vota transeat, defunctum Maritum, & Puellæ, quousque in Capillis constituuntur, Parentem suum repræsentant, adeoque sensu etiam Titulorum 29. 30. & 98. 1^{mæ} ex Bonis excludi non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia Viduæ ex eo, quod Marito non convixerit, Jura Vidualia, Puellis autem ideo, quod in Summa Bonis investita successerint, Jura Capillaria denegavit.

Quamvis Tituli 98. & 103. 1^{mæ} Dotem legalem adeo privilegiatam esse statuunt, ut si Maritus Bona sua alteri impignoraret, & alter fundus excontentationis non adesset, tunc illo decedente, Vidua ejus ab illo etiam, qui defuncti Mariti ejus Bona in pignore tenet, Dotem suam requirere valeat, tamen si Filius vivente Patre Uxori suæ Contractualem Dotem obliget, & Pater ejusmodi Contractum non subscribat, ac ita Filius extra possessorium Bonorum constitutus, antequam videlicet Divisionem ineat, Patri præmoriatur, tunc Vidua esto probet, quod Bona illa, quæ Socer possidet, Avita sint, tamen Contractualem Dotem a Socero suo acquirere non potest, quia præcicatorum Titulorum dispositio ad legalem dumtaxat Dotem restricta est, Filius vero vivente Patre, de Bonis per Patrem possessis, nullum Contractum juxta Titulum 51. 1^{mæ} inire, per consequens nec illa onerare potest, Pater præterea in Bonis per se possessis Filio non succedit, adeoque nec solutioni Contractualis oneris subjici potest, Vidua igitur Filii Legali Dote, quam præcitati Tituli privilegiatam, adeoque de Bonis etiam extra possessorium constitutis, jure tamen successionis Maritum concernentibus, depurandam statuunt, contentari debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Dotem scriptam per Patrem depurandam adinvenit ideo, quod ipso consentiente Matrimonium legitime initum fuerit, adeoque Filius a Patre Divisionem petere potuisset, quæ si intercessisset, prout tunc ejusmodi Dos Contractualis ex Filii portione depurari debuisset, ita ob non secutam Divisionem eandem vim suam non amisisse censeretur.

Ad exigendas Rationes Tutelares.

Cum Leges in genere quasvis damnosas Bonorum Pupillarum abalienationes, & involutiones vetent, idcirco etiam si similes abalienationes de fundis Civilibus, vel non liberis fiant, tamen annullantur, quia absque expressa Lege præsertim in odium Pupillorum, quibus cæteroquin omnia Jura favent, nihil statuendum est. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Cambium per Tutorem respectu certorum fundorum Pupillarum Civilium, & non liberorum initum, ex eo stabilivit, quod tales fundi Hæreditati Nobilitari per Tutores abalienari prohibita, æquiparari non possint, & alioquin ex ratione Compossessoratus aliorum Pupillis parum utiles fuerint.

Processus Violentiarum, & Indebita Actionis.

Si tota Communitas ad patranda Violentiam consentiat, nihilominus tantum aliquot Personæ ad illam perpetranda mittantur, aut destinantur, tunc præfati Patratores singillative, non quidem in pœna Violentiæ, nam hæc non cadit in personam Rusticam, sed in Homagiis juxta Titulum 26. 3^{tiæ} soli Actori cedentibus, damnis item, & expensis convincuntur, & ita demum ejusmodi onus convictionale derivatur in totam Communitatem, quia juxta Articulum quoque 56. 1655. ad refrenandam illorum, qui Violentias medio aliorum patrare consueverunt, temeritatem, justum est, ut omnes, qui ad patrandum actum concurrerunt, vincantur, & Executio de Bonis committentium fiat. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia totam Communitatem collectivè in una Violentiæ pœna convicit. & hoc a paritate Articuli 42. 1729 qui in Causis Marcalibus Communitates pariter dumtaxat collectivè convincendas innuit.

Causæ succissionis Silvarum.

Si quispiam alterius Subditos in Silva sua prohibita in succissione, vel decorticatione Arborum deprehendat, potest quidem illos indultu Tituli 33. 3^{tiæ} sine ablationis rerum apud se habitarem comprehendi curare, si nihilominus eosdem non sine præmisso comprehendi faciat, verum ideo ut illos in Arrestum deduci curare possit, & ejusmodi intentionem etiam effectu videlicet arrestatione, & detentione illorum manifestet, tunc propter similem comprehensionem Violentiam incurrit, nam eo ipso, quod præcitatæ Titulus 33. comprehensionem talismodi succidentium, & decortantium præcise sine ablationis rerum apud se habitarem admittat, jam talis, qui illos alio sine comprehendi curat, taliterque ultra Legis indultum progreditur, jam in Legem delinquit, adeoque pro violento reputari debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Dominus Terrestris Subditos alterius in Silva sua prohibita deprehensos, & se absente per homines suos in Arrestum Domine deductos detinens, & post amicam quoque repetitionem non
secus,

secus, quam erga Fidejussionem per alios datam dimittens, incurrit Violentiam, cum enim Leges præscribant modum, qualiter contra succifores, & decorticatores Silvarum procedi debeat, idcirco Actor viam Lege præscriptam sequi, per consequens sibimet ipsi satisfactionem impendere non potest. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissis Causis Tabula Regia Partem I. ex eo, quod in actu licito versata fuerit, a pœnis Violentiæ absolvit, nam Titulus 33. 3-tiæ per expressum admittit, ut decorticatores, vel succifores Silvarum in flagranti etiam comprehendi possint, alter vero Titulus 22. 3-tiæ indulget, ut injusti invasores notabili quoque incommodo affici valeant, accedit, quod omnis Violentia præsupponat dolum, & nocendi studium, quod casu in præmisso eo minus præsummi potest, cum utpote Pars I. restitutionem comprehensorum erga refusionem causati damni identidem sponte obtulerit, ac una declaraverit, quod illos non injuriandi animo, verum pure ob manutationem Jurium suorum comprehendi curaverit.

Sententiæ, quæ tantum in facto differunt, & in quibus Utraque Tabula in quæstionibus Juris coaluit.

De Juramentis, & Testibus.

Si in Causa Liquidi Debiti Incattus probet, quod super exolutione quarumpiam positionum Quietantiæ præexistenterint, verum eædem produci non possint, casu in tali Juramentum Suppletorium per Incattum super exolutione talismodi positionum oblatum adjudicari solet, quia præexistentia Quietantiarum facit adminus semiplenam probam, hac itaque non elisa, sensu etiam Articuli 27. 1729. Juramentum Suppletorium locum habet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Casu in præmisso Tabula Regia ex eo, quod nec præexistentiam Quietantiarum sufficienter edoctam fuisse adinvenit, Juramentum denegavit.

Quando Pars una in Processu Juramentum offert, altera vero illud non acceptat, eo tamen non obstante Judex illud Parti offerenti adjudicat, Parte altera ante, & citra depositionem ejusdem appellante, si ante revisionem Causæ Pars Juramentum offerens moriatur, & Fora Revisoria Juramentum competenter adjudicatum esse decernant, illud pro deposito habetur, adeoque prætensiones, quarum intuitu Juramentum oblatum fuit, liquidæ evadunt, quia facto Partis acceptare nolentis accidit, quod realiter deponi non potuerit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Dum Tabula Regia Processum revidit probabiliter Juramentum offerens, adhuc vixit, quia illa Processum pro deponendo Juramento remisit.

Testimonium Assumptorum Juri statui petitorum pro actus violenti comprobatione non acceptatur, hi enim Consortes Litis sunt, igitur eorum Fessio merito suspecta esse cenietur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Incattum convicit ideo, quod factum assumptis optime consistere debeat, adeoque per Fessiones eorum sufficienter probari valeat.

De Præscriptione.

Quamvis possessorium Bonorum penes Falsionem sub privatis Sigillis obtinens, Falsioni tali consensum Regium superinductum, & pura Statutione firmatum habeat, tamen fundamento superinductæ puræ Statutionis contra Successorem Falsionem sub privatis Sigillis celebrantis Præscriptione semet tueri operose nequit, nam eo ipso, quod Titulus 13. 2^{dæ} nihil perpetuitatis tales Falsiones in se continere positive statuatur, & reflexe ad dispositionem hujus tituli per posteriorem Legem Articulum quippe 47. 1723. Falsiones ejusmodi ad Pignus reductæ sint, in Pignoribus porro non esse admittendam Titulus 32. 1^{mæ} disponit, jam Præscriptioni locus esse non potest. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Incatto imposuit, ut circa objectam Præscriptionem agat, cum in ejusmodi Venditione voluntas & Vendentis, & Ementis illa sit, ut Emptor non Pignoris, sed perpetuitatis titulo possideat, adeoque extrinseca dumtaxat Sigilli Solennitas desit, hanc vero superinductus consensus, adeoque authentici Sigilli accessus suppleat, interim tamen ex sola provocatione Incatti ad Evictionem Successorum Fatentis, ibique in forma Pignoris facta ejusmodi Falsionis productione Præscriptionem sublatam esse definivit.

De pœna Silentii.

Advocatus Pauperum salario provivus, si cum Principalibus suis, quorum Causas ex debito Officii promovere obstrictus est, de quotta Litis conveniat, vel cum parte altera colludat, pœna perpetui Silentii punitur, agit enim contra obligationem, ad quam se Juramento obstrinxit, & ideo jure merito ab agendo in perpetuum removetur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Cum Contractus cum Pauperibus per Incattum qua Advocatum Pauperum initi, dumtaxat ad id remonstrandum, quod ex his gravis præsumptio tam vitiationis, quam & scientifici usus falsæ Literæ in ipsum cadat, exhibitum sint, Actio vero dumtaxat ex vitiatione Instrumenti, & usu falsæ Literæ ad pœnam Infamiæ erecta fuerit, Tabula Regia pœnam Silentii, velut extra Objectum Actionis non imposuit.

De Repulsione.

Quando in Causa Repulsionali Incattus sufficientem Repulsionis rationem assignat, nihilominus fundamenta Sententiarum in Processu primitivo latorum, non evertit, tunc absolvitur quidem a pœna Repulsionis, Sententiæ attamen Causæ Fundamentalis in suo esse relinquuntur, quia Sententia semel lata eousque subsistit, donec contrariis fundamentis elidatur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia Partem I. ex eo, quod legalem Repulsionis rationem non reddiderit. etiam in pœna Repulsionis convicit, & converso Tabula Septem-Viralis hoc adinvenit, quod sufficientem Repulsionis rationem dederit, adeoque illam eatenus absolvit.

Ad Executionem, vel Re-executionem.

Si quispiam penes Mandatum Re executorium ad Re-executionem Boni pro Possessore illegitime executi, procedat, & talis Re-executio decernatur, tunc Possessor non tantum in restitutione Boni cum fructibus medio tempore perceptis, convincitur, sed
etiam

etiam deteriorationes medio possessorii sui tempore in Bonis Actionalibus evenientes, resarcire tenetur, quia in præmissis casu priori Executione evanescente, damnificatus in illum statum reponi debet, in quo ante Executionem fuit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia propter circumstantias Processuales fructus denegavit.

De Actionibus Fisci Regii.

Si Fiscus Regius per defectum talis Personæ, quæ in fundo Rusticano degebat, & cujus Nobilitas dubia erat, ex Article 62. 1715. Processum moveat, tunc non secus, quam si Deficientis Nobilitatem, aut a Jurisdictione Dominali immunitatem luculenter comprobet, Actionem sortitur, in dubiis enim Leges liberant potius, quam obligant, & ubi Actor plene non probat, standum est pro Possessore. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex eo, quod deficiens Elisabetha Cseh alias Rustico nupta, adeoque una cum Marito suo Contributioni subjecta, ad Comitatum certam Instantiam dederit, atque in illa semet tamquam Personam Nobilem, & alioquin senio, morbisque confectam, a Contributione immunitari petierit, Comitatus vero eandem omnino immunitaverit, ad stipulante etiam certa super Nobilitate ejusdem producta Collaterali Inquisitione, eandem deficientem pro Nobili reputavit, adeoque substantiam illius Fisco Regio adjudicavit; e converso Tabula Septem-Viralis ideo, quod Deficiens Rustico nupta continuo Dicationi obnoxia, atque adeo extra usum Nobilitatis posita fuerit, prædeductas probas pro edocenda Nobilitate pro insufficientibus reputavit.

De Oppositione.

Si Convictus occasione Executionis fundum incertum, & instabilem, aut prætensiones difficulter exigibiles assignet, Triumphans vero præmissa non acceptando, solus fundum denominet, proptereaque Succumbens Oppositione utatur, talis Oppositio non subsistit, per consequens idem Succumbens in pœna Oppositionis convinci, Triumphans autem ad Executionem ex fundo per se denominato, peragendam, dirigi solet; quia sensu Article 31. 1659. pro fundo Executionis debent assignari fundi fructuosi, & facile in pecuniam convertibiles, Succumbente autem talismodi fundum denominare nolente, beneficium denominationis stat penes Triumphantem. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præattacta Causa Tabula Regia Comitatem I. ex eo, quod fundum convictioni correspondentem assignaverit, Pars vero A. eundem acceptare detrectaverit, absolvit.

Ad dandam, vel recipiendam Contradictionis rationem.

Contradictor esto gradualement nexum inter suum, & deficientis Antenatum docere nequeat, si tamen ostendat, non solum Divisionem inter eos intuitu impetratorum Bonorum intervenisse, verum præterea probet, post Divisionem Antenatum suum Novam Donationem superinduxisse, illamque etiam ad deficientis Antenatum extendisse, sufficientem contradictionis suæ reddit rationem, Divisio enim successione inferit, successio vero præsupponit Sanguinis nexum, illum vero præfuisse ipsa Novæ Donationis per Antenatum Contradictoris impetratæ ad deficientis Progenitores facta

extensio sufficienter probat, cum ejusmodi Novæ Donationis extensio juxta Titulum 38. 1^{mæ} ad evitandam pœnam proditionis Fraternali Sangvinis fieri consuevit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia dumtaxat quoad medietatem impetratæ Possessionis contradictionem Actoris stabilivit ideo, quod per Divisionem medietas Familiæ Actoris obtigerit, quod item in Divisione nec Fraternalis accommodatio, nec mutua successio attacta sit, & neque in Donatione pro Congenerationalibus Fratribus positi fuerint, adeoque Actor pro Extraneo reputari debuerit.

Ad invalidationem Fassionum.

Si quis portionem suam posteaquam jam Extraneus eandem impetravit, vendere velit, & Condivisionalem suam eatenus præmoneri curet, isque se pro Emptore portionis illius declaret, esto vendere volens Bona eadem in forma Cessionis contradictioni factæ, ex post Impetratori perennaliter fateatur, tamen Condivisionalis se pro Emptore declarans ex jure prælationis contra Fassionarium agere potest, Fassioque talis invalidationem recipit, ejusmodi enim Fassio titulo cassatæ contradictionis facta abalienationem Boni redolet, nam eo ipso, quod Condivisionalem præmoneri curaverit, facto animum vendendi manifestavit, proinde cassatio contradictionis merito pro colorato titulo reputatur, tanto magis, quod Condivisionalis Impetrationem factam sciens, periculo suo se pro Emptore offerat. *Septem-Viratus.*

Notandum: Tabula Regia stabilivit ideo, quod conventio illa non abalienationem Boni, sed interpositæ Contradictionis cessionem redolet.

Ignobilibus ad invalidationem Fassionum per Antenatos super Juribus possessionariis celebratarum, Actoratus non competit, Ignobiles enim, qui juxta Titulum 3. 1^{mæ} non sunt membra Sacræ Coronæ, Jurium Nobilitarium capaces haud sunt, adeoque ex Articulo 18. 1687. tantum beneficium Jure Materno possessa retinendi, non vero aquirendi, vel reaquirendi activitas eisdem competit. 1759. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ideo Actoratum stabilivit, quod cum Actio ad invalidationem Fassionis suscitata non sit Juris, sed tantum præhabiti possessorii (sublata Fassione) reparatio, & Actoratum personalem in ejusmodi Causis ipsa condescendentia tribuat, prout igitur si Materno Avita Bona vendita non fuissent, illa possidere potuisse, ita ad ejusmodi possessorii reparationem Actoratus competere debeat.

Fassiones super Bonis per Fatentis Antenatos jure temporaneo aquisitis, celebratæ, invalidationi nullatenus subsunt, quia ejusmodi Bona pro rebus Mobilibus reputantur, Titulus vero 58. 1^{mæ} abalienationes Bonorum Hæreditariorum, quales temporaneo jure aquisitæ haud essent pro fundamento præjudicii per Successores vindicandi constituit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia invalidavit ideo: quod Fassio de Bonis Paternis absque sufficienti ratione per Viduam celebrata fuerit.

Quamvis Fassio quæpiam celebretur coram duobus Capitularibus, vel Conventualibus, & per illos etiam subscribatur, nisi attamen Capitulum, vel Conventus in subsequa expeditione recognoscat, quod præattacti duo Capitulares, vel Conventuales pro excipienda Fassione exmissi fuerint, & eatenus Capitulo, vel Conventui

ventui modalitate Lege præscripta, relationem fecerint, talis Fasio pro perennali cenferi nequit; quia Capitulares, & Conventuales absque exmissione procedentes, & relationem non facientes, considerantur tantum ut privatæ Personæ, qua tales autem legali, & publica fidedignitate non pollent. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia præmissam reflexionem silentio prætermisit, verum Partem I. ex alio principio absolvit.

Ad invalidationem Obligatoriarum.

Si Successores ex primo Thoro nati, agant contra Novercam ad invalidationem Obligatoriarum Patris, quibus a Noverca durante Matrimonio notabilis Summa specificè exposita erga Interuturium levata declaratur, remonstrentque, quod Pater eorum Avitis Bonis provifus, non solum in statu acquisitionis fuerit, sed & quod jam ante initum secundum Matrimonium notabiles acquisitiones fecerit, Capitalia elocata habuerit, & a tempore initi posterioris Matrimonii nulla ejusmodi Bona, ad quæ Summa talis investiri potuisset, comparata sint, adeoque Obligatorias ejusmodi, vel Albæ superinscriptas esse, vel vero aliis mediis per Novercam procuratas obvertant, atque taliter fundatam coram Judicio circa realitatem ejusmodi Literarum suspensionem moveant, nisi numeratio pecuniæ probetur, Obligatorie ejusmodi invalidantur, si enim juxta Titulum 110. 1mæ, ubi de Allatura Uxorea quæstio est, non tantum quantitas, sed & in Bona Maritalia investitio probari debet, quanto magis in hac gravibus, & fundatis suspensionibus exposita præensione numeratio doceri debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Summas Viduæ adjudicavit, cum non solum Maritus illas ad se adlatas scripto recognoverit, sed & fidedignis testimoniis In-catta probaverit, partem illarum per Maritum a Debitoribus perceptam fuisse.

Ad Causas Novæ Divisionis.

In Causis Novæ Divisionis fructus Bonorum usque Divisionem per unum ex Condividentibus percepti, pro Massa Novæ Divisionis assummi non possunt, hoc enim non ad Novam Divisionem, sed potius rectificationem Divisionis spectat, Nova namque Divisio substantialem alterationem portionum primitivæ Divisionis pro objecto habet. *Tabula Septem Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Partem I. a fructuum refusione absolvit ideo, quod onera communia depuraverit, & nonnullos fundos sibi obligatos, habuerit, adeoque bonæ fidei Possessor fuerit; in reliquo cum in Causis Divisionum fructus etiam locum habeant, in Causa quoque Novæ Divisionis, si ab ejusmodi præensione per priorem Divisionem positive recessum non est, & in reliquo substantialis error primitivæ Divisionis remonstretur, assummi debere censebat.

Ad Transumpta Literarum.

Transumpta Literarum citra discussionem, aut approbationem valoris earundem intrinseci decerni solent, sæpe enim fit, ut Literæ quæpiam, quoad formam extrinsecam omni suspitione careant, & tamen quoad valorem intrinsecum non subsistant, & alioquin Transumptio tantum ideo per Leges adinventata est, ut paribus Literarum Legalis Authentia concilietur, adeoque ex indole sua præcise extrinseci earundem valoris discussionem pro objecto habet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia his formalibus deliberavit: Literalia in Judicio visa, & examinata, atque pro authenticis, & rite expeditis, omnique vitio carentibus recognita suo modo transummenda decerni, consequenter quodammodo in Approbationem intrinseci Literarum valoris se immisisse videbatur.

Ad relutionem Pignorum in diversis Comitatus existentium.

Si Possessor Pignoratitius in Bonis per se titulo Pignoris possessis Authore Judice proportionem inducat, Proprietarius tenetur illi occasione relutionis expensas in talismodi Processum erogatas refundere; tametsi enim per similem proportionem nefors reditus Bonorum aucti non sint, sufficit tamen, quod eadem Bona ad legalem ordinem, & regularem possessorii statum redacta habeantur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia præmissas expensas tamquam actuali Possessori incumbentes, non adjudicavit.

Si Pignoratitius Possessor integram Summam Bonis inhærentem, occasione præmissæ erga se Admonitionis levet, remissionem tamen oppignorati Boni in parte differat, aut plane negligat, tam ob prætensivè dubium Pignoratitii Contractus respectu ejusdem particulæ intellectum, tum vero, quod Familia ejus respectu attacktæ portionis jam a longo tempore prætensionem formet, tunc eodem ipso Processu, quo remissio ejusdem particulæ Bonorum decernitur, una etiam fructus non remissæ portionis a tempore levatæ inhærentis Summæ, Actori adjudicantur; quia levata integrali inhærente Summa, jam possessorium Boni ad illum pertinet, qui Summas renumeravit, fructus vero legitimo Possessori, adeoque illi, qui pro legali per renumerationem investitæ Summæ reputatur, cedunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia a fructuum persolutione relevavit ideo, quod quæstiones, & difficultates inter Partes subortæ, per Judicem decidi debuerint, cum certa Partio per Portes in quæstionem sumpta fuerit, num sub intellectum Pignoratitiarum cadat, & eatenus Partes in Arbitros quoque compromiserint, malam vero fidem non dubia, & a Judice pendens, verum scientiæ, & malitiosa alienæ rei detentio arguat.

Ad Actum Majoris Potentiæ.

Dum quispiam Actum Majoris Potentiæ incurrit, convincitur quidem in amissione universorum Bonorum suorum Mobilium, & Immobilium, illorum simpliciter, horum vero communi æstimatione mediante redemptibiliter, sed talium dumtaxat, quæ ad propriam ejusdem Portionem obtingunt, per consequens Jura, & portiones Uxoris, ac Prolium in universis Avitis, & aquisitis Mobilibus, ac Immobilibus in salvo relinquuntur, præterea convincitur etiam in Emenda Capitis 200. florenos faciente, verum hæc quoque Summa ex propria dumtaxat Convicti Portione deduci debet; si etenim juxta Articulum 9. 1723. etiam in casu Notæ infidelitatis universa Jura, & portiones Uxoris, ac Prolium in salvo manere debent, quanto magis idipsum in Actu Majoris Potentiæ observandum veniet. *Tabula Septem Viralis.*

Notandum: In præmissa casu Tabula Regia hoc adinvenit, ut pœna Actionalis in cohærentia Tituli 43. 2. dæ deductis tamen deducendis, in Executionem summat, Portiones vero Prolium ad mentem Tituli 60. 2. dæ solum in Bonis Aviticis salvæ maneant.

Ad dandam rationem Repulsionis, Oppositionis, Reoccupationis.

Si Judex per Insinuatorias suas Executionem ad Possessionem A. præfigat, Incattus vero, cui denominatio fundi competit, Oppositione quidem non utatur, nihilominus nec ibidem, nec alibi fundum pro Executione denominet, altera porro Die Exequens cum Triumphante ad Possessionem B. in qua Succumbens æque possessonatus est, divertat, ibidemque citra ullam novam Insinuationem erga denominationem Triumphantis Executionem peragat, subsequenter autem Succumbens Bona modo prævio in Executionem sumpta, reoccupet, ad legitimandam talismodi reoccupationem non sufficit ratio illa, quod præmissa Executio absque nova insinuatione, adeoque prætentive clancularie peracta fuerit, sufficit enim, quod Terminus Executionis semel legaliter præfixus, & Succumbenti debite insinuatus exstiterit, cum proinde eotum fundum denominare neglexerit, idcirco Exequens nihil aliud facere poterat, quam beneficium denominationis fundi Triumphanti deferre, & erga denominationem illius Executionem effectui mancipare. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex eo: quod Succumbens prima die in Possessione A. Executionem non impediverit, altera vero die Executio in Possessione B. absque ulla Insinuatione, adeoque clancularie peracta fuerit, Partem I. absolvit.

Si Creditor contra duos Condebitorum Processum moveat, & quoad unum Actio ex quopiam defectu condescendat, altero in Processu perseverante, subsequenter porro defectu illo penes aliam Actionem, & novam illius, cujus intuitu condescensio intercescit, Citationem resanato, & ambobus Incattis Deliberative ad agendum monitis, sed tantum tergiversantibus, tandem uterque in rata oneris semet ferientis, convincatur, ille demum, respectu cujus Actio non condescendit, Oppositione utatur, eandemque per hoc legitimare satagat, quod post condescensionem Actionis respectu alterius Coincatti pronunciatam amplius citatus non fuerit, talis ratio non subsistit, sufficit enim, quod jam ab initio in Processu steterit, per Judicium nulla ratione ex Processu exmissus sit, Actio præcise quoad alterum Incattum condescenderit, adeoque solum ille de novo citari debuerit, ac demum post novam quoque hujus Citationem opponens ad agendum monitus nihil egerit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Opponentem ratione ex illa, quod cum altero Incatto connexam Causam habuerit, & post prædeductam Actionis condescensionem nec de novo citatus fuerit, neque Causa per rejectam in futurum Terminum respectu illius dilata sit, absolvit.

Divisionis, Successionis, Rectificationis in uno, vel diversis Comitibus.

Uxor Coaquisitrix Marito ab intestato præmortuo plena, & absoluta de coaquisitis disponendi facultate pollet, quodsi vero Maritus talem dispositionem faciat, ut post obitum suum Consors sua in universis Bonis usque ad dies vitæ permaneat, ita tamen, ut ex illis nihil distrahere aufit, verum post fata ejusdem præscripta Bona in sua integritate in Legatarios per se constitutos, devolvantur, eo tamen non obstante, Uxor de prærepetitis Bonis Testamentum condat, illud pro inactivo reputari debet, concomitanter Testamento Mariti standum erit, quia Uxorum de coaquisitis disponendi activitas dependet

a nutu Maritorum tamquam principalium Aquisitorum, proinde regulationi illorum modo provisorio factæ, contravenire non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia præattactum Uxoris Testamentum stabilivit, sed rationem in Sententia non exposuit.

In Causis ordinariæ, & puræ Successionis expensæ Processuales non currunt, fructus tamen erui, & communi Massæ adjici solent, quia Successio radicatur in communi Juris, & Sangvinis, quod autem commune est omnibus Cointeressatis, æqualiter fructificare debet, quoad expensas *Utraque Tabula*; quoad fructus *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia in prædicta Causa hoc adinvenit, quod in Causis Successionalibus compensatio fructuum locum non habeat.

Quamvis Testamenta de Avitis condita, sint inactiva, si nihilominus unus Frater de Avitis Testamentum faciat, & alter illud subscribat, tunc talis Subscribens per defectum Testatoris ex Lege Collateralem successionem petere non potest, quia Testamentum Fratris subscribendo, illud ratificasse, adeoque ab ordinaria legali successione recessisse censetur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præattacta Causa Tabula Regia a mentionato Testamento præscidit ideo, quod Fratrem subscribentem per nudam subscriptionem Testamentum non ratificasse supposuerit.

Si Bona per primum Aquisitorem Donatione mixta pro Sexu dumtaxat Masculino absque ulla investitæ Summæ regulatione, aquirantur, & postea in plures Lineas dividantur, subsequenter vero una Linea in Sexu Masculino deficiat, tunc Superstiti alterius Lineæ Mascululo enascitur quidem successio in portione Deficientis, nihilominus Filiæ ejusdem non obstante eo, quod juxta Titulum 21. 1^{mæ} illis ex Summa investita æqualis portio competat, Jure Capillari eousque præscriptis Bonis immanent, donec vel statui convenienter emaritentur, vel decedant, per consequens usque præmissum eventum Masculi Bona realiter apprehendere non possunt, verum illucusque Executio suspendi debet, per hoc enim, quod Filiæ ex Investituris ratas petendi jus habeant, Jure Capillari sibi per Leges attributo, privari non possunt. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In prædicta Causa Tabula Regia ex distinctis principiis hoc adinvenit, quod Bona Actionalia utrumque Sexum concernant, adeoque præmissas particularitates ingressa non fuit.

Ad implementum Contractuum.

Si quispiam in Contractu Vinum, aut huic simile aliquod naturale in certa quantitate obliget, & illud partim ex procreatione Annorum Contractualium, partim vero Annorum subsequorum in natura præstare velit, hoc illi admittitur, dummodo Vinum illud non sit defectuosum, verum facile in pecuniam convertibile, per consequens talis Contrahens ad compensationem in pecunia præstandam invitatus adigi nequit, quia Contractus sunt stricti Juris, adeoque juxta Articulum 31. 1723. quoad fieri potest, ad Literam observari debent. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum

Notandum: In præmissa Cauſa Tabula Regia ex eo, quod integra Contractualiter obligata Vini quantitas ex procreatione Annorum Contractualium reddi non potuerit, quodve pretium Vini notabiliter accreuerit, eadem Vina ad pecuniam reduxit, & taliter Succumbenti compensationem injunxit.

In Cauſis Contractualibus fructus, & expensæ Processuales non currunt, nisi per expressum obligentur, cum enim fundamentum totius Instituti sit Contractus, idcirco extra illum nec Actor quidpiam petere, nec Judex adjudicare potest. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia in præmissa Cauſa ex eo, quod Incattus Liti ansam dederit, expensas adjudicavit.

Si Dominus Terreſtris Jurisdictionato suo dumtaxat utile cujuspiam Prædii Dominium Contractualiter obliget, per hanc obligationem, Educillum, Macellum, Piscationem, Venationem, Molendina, aliaque idgenus Jura Regalia obligasse, & cedere voluisse censi nequit, quia similia Jura Regalia velut directi Domini propria, adeoque magis principalia, sub sensum, & intellectum utilis Domini, quod videlicet præcise usum fructum Prædii per lignationem, pascuationem, glandinationem, & terræ procreationem percipi solitum, involvit, per consequens minus principale est, pertrahi non possunt, nisi in contextu expresse denominentur. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Cauſa Tabula Regia Venationem, & Piscationem pro communi adinuenit.

L i q u i d o r u m D e b i t o r u m.

Si in Cauſa Liquidi Debiti Incattus, seu ob non probatam per Actorem Debiti realitatem, seu vero ex alio incidenti absolvatur, Actor propterea in refusione expensarum indebite causatarum convinci non potest, dummodo eundem mala fide, & ex puro Partem I. vexandi studio egisse non eveniat, quia eatenus nulla Lex exstat, in odiosis vero, & pœnalibus nihil absque Lege statuendum est. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia utrobique Actorem in expensis indebite causatis convicit.

Si Mercator Debitis obrutus, clam profugiat, & sub ipso profugio ab exteris Provinciis erga Creditum Merces accipiat, de quarum adventu ille nihil scit, verum eadem Merces per Sodalem ipsius apprehendantur, & in Fornicem reponantur, postea vero profugio ejus vulgato, Concurſus Creditorum fiat, & Creditor ille, qui præattactas Merces submitit, easdem vel ex eo a Massa contentationi Creditorum destinata, eximi, sibi que in specie restitui petat, quod licet in Fornicem profugi repositæ fuerint, per ipsum attamen velut jam eotum profugum, & absentem apprehensæ non existerint, sed nec apprehendi potuerint, taliterque proprietates illarum, quæ non secus quam per realem traditionem, apprehensionem, & usucapionem transferri consuevit, in illum transderivata non sit; in hoc casu non obstantibus præmissis reflexionibus Merces illæ ad Massam Creditorum assummi debent, quia Principium illud, quod rerum proprietates per realem traditionem, apprehensionem, & usucapionem transferri soleat, dumtaxat quoad

Bona immobilia, quæ brevi manu, non vero quoad Commercialia, quæ longa manu tradi, & apprehendi consueverunt, militat, quin imo eo ipso, quod prærepetitæ Merces ex longinquis oris ad fortunam, vel infortunium, idest ad periculum Mercatoris profugi expeditæ fuerint, jam proprietas neminem alterum quam ipsum concernebat, nam cui periculum rei incumbit, ad illum etiam proprietas rei a primo motu pertinet, cum utpote res Domino suo perire consueverit, præterea in his circumstantiis sufficit, quod crebrofatae Merces per Sodalem, qui Herum suum, de cujus videlicet profugio adhuc eotum genuine non constabat, representavit, apprehensæ, & perceptæ extiterint. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In hoc casu Tabula Regia ex eo, quod prælibatæ Merces post profugium Debitoris appulerint, per eundemque realiter apprehensæ, & possessorio suo subjectæ non fuerint, a Massa Creditorum exemit, & priori Domino in specie restituendas adinvenit.

Ad acquisitionem Mobilium, Allaturæ, Dotum, & Paraphernorum.

Si Vidua prætendat coacquisita, & Successores præmortui Mariti docere possint, quod similia coacquisita adhuc vivente ejusdem Marito consumpta fuerint, Successores ad talium compensationem non obligantur, quia in præmissis circumstantiis paritate etiam Tituli 110. 1mæ consumpta pro consumptis haberi debent. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præattacta Causa Tabula Regia absque reflexione ad hoc, quod coacquisita adhuc vivente Marito consumpta fuerint, medietatem illorum Viduæ simpliciter adjudicavit.

Sola recognitio Mariti ad probandam Allaturæ Uxoreæ quantitatem non sufficit, quia ut Titulus 110. 1mæ habet, eo admissio, sæpe Mariti ex nimio, quo erga Uxores suas feruntur amore, iisdemque complacendi studio Bona sua Avitica in præiudicium legitimorum Successorum excessivis oneribus involvere. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In hac Causa Tabula Regia quoad eruitionem quantitatis Allaturæ Uxoreæ fundavit in recognitione Mariti.

Ad acquisitionem Contra-Dotis.

Uxore sine Prolibus decedente, superstes ejusdem Maritus non solum in Mobilibus illius aquisitis succedit, sed insuper si defuncta Consors eidem Contra-Dotem obligavit, illamque alieni fundo immobili aquisito irradiavit, ille, qui in eodem fundo successit, tenetur ipsi ejusmodi Contra-Dotem exolvere, quia Mobilia competunt Marito ex Lege, Contra-Dos autem ex Contractu, adeoque unum cum altero confundi non potest. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia de Contra-Dote nihil attigit, quia tam in Mobilibus, quam vero Immobilibus Uxoreis Successionem Marito detulit.

Ad pœnam Violentiæ.

Si Teloniator a Subditis alicujus Domini Terrestris in negotio ejus proficiscentibus, Passualibus tamen Literis destitutis, solitum

litum pensum desumat, licet Villicus ejusdem Domini Terrestris cum iisdem Subditis proficiscens, plebeæ nihilominus conditionis, & Telonatori ignotus, declaret, illos in negotio Dominali constitutos esse, ex post vero Dominus Terrestris tam Teloniatorem, quam & illum, ad quem Telonium pertinet, super eo, quod ejusmodi Subditi res ad ipsum pertinentes devexerint, adeoque in negotio ejus constituti fuerint, admoneri caret, desumptumque Telonium restitui petat, non secuta vero restitutione contra utrumque Violentialem Processum suscitet, si Teloniator occasione repetitionis ad Proprietarium Telonii provocabat, tunc is a pœnis absolvitur, Proprietarius vero Telonii, quod erga Admonitionem desumptum vectigal detinebat, convincitur; cum enim Subditi Passualibus destituebantur, & assertis eorum fidem dare non tenebatur, dolo, & injuriam inferendi studio egisse non præsummitur, Proprietarius vero contra Admonitionem, quod restituere neglexerit, violentus detentor efficitur. *Tabula Septem Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ideo Teloniatore etiam convicit, quod esto occasione desumptionis in actu licito constituti fuerint, tamen actus eorum post Admonitionem pœnalis evasit, cum Subditos Passualibus Dominorum provisos ex recepto usu sciverunt esse immunes, jam vero Admonitio, & in hac facta Domini Terrestris declaratio vices Passualium subit, adeoque jam tunc restituere desumptum Telonium debuissent; quemadmodum in casu tali, si a Subditis Passualibus provisos, Teloniatore Telonium exegissent, provocatio ad Proprietarium eosdem a pœna non sublevaret, ita Admonitione vicem Testimonialium supplente, quod post illam non restituerint, provocatio ad Proprietarium eosdem non excusat.

Esto Civitas aliqua in Liberam & Regiam evehatur, si tamen occasione publicationis Privilegii Civibus ejus immunitate a Solutione Telonii, & Nauli elargiti contradictio interponatur, & ab hac antequam depuretur, ob desumptum a Civibus suis in Telonio Contradicentis pensum, ad pœnas Violentiæ agat, fundamento tali, quod æqualis ex Lege omnibus Liberis, & Regiis Civitatibus immunitas competat, eveniat interim, quod Contradictor in usu exactionis Telonii a Civibus ejusdem Civitatis etiam a tempore obtenti Privilegii præfuerit, tunc Actio ejus condescendit, quia obstat contradictio, a qua prius depurari, & ita usus immunitatis ductu etiam Articuli 41. Uladislai Decreti 4. obtineri debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ideo Partem I. a pœna Violentiæ absolvit, quod Privilegium Actoris contradictum fuerint, & usus immunitatis post Privilegium doceri nequiverit, Actorem vero ab Indebitæ pœna relevavit ideo, quod cum plures Articuli de Privilegiis, & immunitatibus Liberarum, Regiarumque Civitatum observandis, conditi sint, adeoque fiducia illorum, non vero studio Partem I. vexandi Litem suscitaverit.

Si in Processu Violentialem Actor duos Nobiles in Causam atrahat, & utrique singillative pœnam Violentiæ dictari petat, postea vero in proba deficiat, quamvis unus Incattorum tantum assumptus sit, tamen contra singulum Incattum in seorsivis indebitæ Actionis pœnis convincitur, quia idipsum etiam ex Articulo 23. 1613. elici potest, & Lex ista inter principales Incattos, & assumptos Nobiles nullam distinctionem facit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ex eo, quod tantum duo Incatti fuerint, unus vero dumtaxat assumptus egerit, pœnam Indebitæ ad singularem reduxit.

Ad pœnam Dehonestationis.

Si Actor ad pœnam Emendæ Litem ideo suscitet, quod Incattus Protestatoriis suis Universitati Comitatus præsentatis, ipsum non tantum a Cognominis, & Prædicati usu inhibuerit, sed & quod iisdem Protestatoriis Cognomen, & prædicatum incompetenter, temere, & larvate Actorem usurpare declaraverit, Incattus vero remonstret, quod ante ejusmodi Protestatorias Actorem sine eo admoneri curaverit, ut de competentia ejusmodi Cognominis, & prædicati eundem capacitet, quodve Actor capacitare intermiserit, proinde necessitate tuendorum Jurium suorum coactus, hanc viam arripere debuerit, tunc his in circumstantiis, si ex ipsis Protestatoriis eveniat, quod illæ principaliter ad tuitionem, & sustentationem Jurium interpositæ fuerint, Incattus a pœna Emendæ Lingvæ absolvitur, quia eo ipso, quod Admonitionem præmiserit, jam ejusmodi bonæ fidei tractatus remonstrat protestationem non animo injuriandi, ast ad Jurium sustentationem, anteverendamque eorum involutionem interpositam esse. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ideo Incattum convicit, quod Protestatoriæ modestius stilisatæ etiam ad Jurium sustentationem suffecissent, per consequens præmissa Admonitio eundem ab injuriolis, & læsivis terminis in protestatione expolit, excusare nequeat.

Ad proportionem Usus.

Antiquum constitutum Sessionum, & Appertinentiarum post fundualium proportioni non subest, cum enim actuale cujusvis Compossessoris Intravillanum possessorium in ordine ad eruendam in Extravillanis Beneficiis proportionem, pro norma, & cinosura deservire debeat, idcirco illud mutationem, & proportionem non recipit. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia ex eo, quod in præmissa Causa proportio ex Compromisso Partium intercesserit, a prædeducta classificatione præscidit.

Si Actor Causam proportionalem suscitans, Actionem suam in Legibus de Divisione sonantibus, accumulatis etiam aliarum Actionum speciebus, ad obtinendam legalem proportionem non pertinentibus, fundet, quin imo eandem Actionem etiam ad subdivisionem Intravillanorum dirigat, Institutum condescendere solet, tum quod cumulatae Actiones in Jure Nostro locum non habeant, tum vero quod Intravillana proportioni non obnoxientur, verum pro norma eruendæ proportionis deservire debeant. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa fuerunt Leges de Divisione Bonorum sonantes pro fundamento Actionis assumptæ, eo tamen non obstante Tabula Regia Institutum subsistere posse adinvenit, cum omnis proportio involvat Divisionem, & alioquin Partes A. & I. Colonos Actionatarum Possessionum jam ante plures Annos inter se subdiviserint, illaque occasione circa subsequam Divisionem, & Appropriationem eorum, quæ adhuc in communione permanserunt, sibi normam, & regulam posuerit, atque inde factum sit, ut Actor Actionem suam tam in Lege, quam vero in facto Partium fundans, diversas prætensiones in Processum induxerit.

Decimales ex Usu.

Esto Prælatas ad pœnam dupli procedens in certi Prædii Promontorio Decimationis usum in abstracto doceat, si tamen
Incatt-

Incattus remonstret, quod Actor, vel Prædecessores ejus in usu exactionis aliquarum dumtaxat Vinearum, non vero totius Promontorii præfuerint, ex reliquis autem Dominium Terrestrale five 7^{mæ}, five 9^{næ}, vel 10^{mæ} titulis Vindemiale obveniens desumpserit, tunc respectu ejusmodi Vinearum, quarum privatam Vindemialis obventionis usum Terrestrale Dominium habuit, simpliciter absolvitur, & non nisi parte in ea, ubi Decimationis usus ex parte Actoris præhabitus, evenit, adeoque jam convictio, & per consequens pœna, quæ refusionem denegatæ Decimæ in duplo pro objecto habet, ultra Vinearum ex usu Decimæ subjectarum, proventum extendi non potest. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia cum in Promontorii usu Episcopus fuerit, & in eodem Promontorio omnes Vineæ situentur, idcirco respectu totius Sententiam Sedriæ stabilivit.

Esto Officialis Dominalis Prælato Decimam non deneget, si tamen convectionem impediatur, exempli causa, si circa mercedem convectionis alium usum, quam qui vigeat facto proprio inducere tentet, adeoque Subditos a convectione prius practicata inhibeat, vel si Prælatus Horreum, inito eatenus cum Loci Incola tractatu, erga competens pretium conducat, & hoc Officialis sine ulla Domini necessitate impediatur, & neque locum competentem, ac securum designet, tunc in pœna dupli convincitur, quia Articulus 61. 1548. non tantum justam Decimam Prælato denegantes, sed & illos, qui exactionem Decimæ impedirent, aut turbarent, in pœna dupli convincendos statuit, jam vero ejusmodi Officialis, qui modum exigendæ, & colligendæ Decimæ contra præhabitum usum impedit, merito pro turbatore reputari debet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia a pœna dupli absolvit ideo, quod directe non impediverit, sed moram tantum posuerit.

Causæ Metales ex Usu.

Si in Processu Metali ex usu suscitato, alterutra Partium sine eo Privilegium producat, ut per illud probare possit, quod alterutra Pars per Productum suum aliquod corpus absorbere velit, tunc Privilegium illud solum per modum testimonii assummi solet, nam discussio Privilegiorum eatenus, quatenus ad probam Juris deserviunt, ad Forum, & Institutum Processus Metalis ex usu promoti, non pertinet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia præattactam reflexionem omisit, sed Privilegium illud ad probandam corporeitatem simpliciter assumpsit.

Si quispiam ad acquisitionem certi Prædii ex Jure procedat, Jureque, & possessorio edoctis, eidem Actionale Prædium per Curiam Regiam in abstracto adjudicetur, nihilominus occasione Executionis Succumbens, motivo ex illo, quod Actor eandem Executionem prætenfive ultra justos adjudicati Prædii Limites extendere voluerit, oppositione utatur, proptereaque Jure conveniatur, interim pendente adhuc Lite oppositionali Triumphans ad definiendos Actionalis Prædii limites, taliterque procurandum adjudicationis Curialis effectum in Partibus Processum Metalem suscitetur, eundemque terminet, & pro revisione ad Curiam Regiam deducat, in similibus circumstantiis decisio præattactæ Causæ Metalis suspen-

di solet, cum enim illa ideo suscitata fuerit, ut effectus Sententiæ Curialis procureretur, Sententia vero illa Oppositione impedita sit, & Lis eatenus mota, abhuc pendeat, idcirco ante terminationem ejusdem, Causa Metalis vel ex eo decidi nequit, quia per decisionem illius ipso facto anticiparetur Judicium in præmentionata Causa Oppositionali ferendum: *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: In præmissa Causa Tabula Regia ex eo, quod ipsemet Incatus Actorem ad Processum Metalem invitaverit, a præmissa reflexione præscidit, & Processum Metalem revidit, potissimum cum alioquin prævideatur, quod Opponens hanc Oppositionis rationem daturus sit, quod Exequens Executionem ultra justos Actionalis Prædii Limites extendere voluerit, adeoque effectus adjudicationis Curialis neutiquam sperari possit, nisi idem Prædium prævie Metis designetur; quia Exequens nunquam sciet, quousque Executionem extendere debeat.

Ad cassationem Educilli.

Si potior Loci alicujus Compessor, vel Civitas Regia ad sublationem per Nobilem ab antiquo libere exerciti usus Educilli coram Vice-Comite Litem suscitet, tunc Judicatus ejus condescendere debet, quia legalitas usus non alias, quam ex Privilegiis cognosci potest, horum autem productio, discussio, & interpretatio juxta Articulum 6. 1486. ad Forum Tabulare pertinet. *Tabula Septem-Viralis.*

Notandum: Tabula Regia Judicatum Vice-Comitis stabilivit ideo; quod Incatus Privilegia ad Domum suam debite non applicuerit, quodve nec usum Educilli imperturbatum docuerit.


Comes Christophorus Niczky de Eadem
qua Deputatus Præses. m. pr.

Magister Antonius Vörös Excelsi Officii
Judicatus Curie Regie Protonotarius. m. pr.

Magister Josephus Kelcz Officii Personalis
Præsentie Regie in Judiciis Locumtenentis
Protonotarius. m. pr.

Præsentem Copiam ex verò, & genuino pro Usibus Excelsæ Curie Regie deserviente Originali descriptam, cum eodemque ex Concluso Inclytæ Tabulæ Regie Judicariæ per me collatam, ac occasione Callationis in Sequentibus correctam, utpote: Pag. 15. Linea 14. addit. intralinealiter Pauperum. Pag. 66. Lin. 12. addit. intralin. a Summa Æstimationis. Pag. 128. Linea 30. vox Successionis bis scripta, deleta. Pag. 152. Linea 10. addit. intralin. ipsorum. Pag. 168. Linea 11. addit. intralin. Paterno. Pag. 229. Linea 2. addit. intralin. jam. Pag. 277. Linea 18. addit. intralin. reliquos. Pag. 318. Linea 15. addit. intralin. Casu. Pag. 332. Linea 28. Voces: Tabula Septem-Viralis deleta. Pag. 335. Linea 21. addit. intralin. non. Pag. 339. Linea 5. addit. intralin. per Tutorem; in reliquo eidem in omnibus Punctis, & Clausulis conformem esse testor. Pestini 8. Novembris 1799.

Adalbertus Balla m. pr.
Inclytæ Tabulæ Regie Judicariæ Jur. Expedito.



ntia
a fit,
onem
cifo.
nata

Incat.
scidit,
d Op-
onem
adju-
Metis
ndere

ad
cilli
cen-
co-
atio
tem

uod
lum

ri

cii
r.
lis
tis

ie
la
r-
6.
x
o-
2.
1.
e.
7.
,

